DEFENSIO
INDICARVM MISSIONVM
Madurenſis, nempe, Mayſurenſis, & Carnatenſis.

Polem I 215 D

INSTITUTUM HISTORICUM
SOCIETATIS IESU

BIBLIOTHECA
23 L 12

DEFENSIO
INDICARVM MISSIONVM

Madurenſis, nempe, Mayſurenſis, & Carnatenſis, edita,

Occaſione Decreti

Ab Ill.mo D. Patriarcha Antiocheno

D. CAROLO MAILLARD DE TOVRNON

VISITATORE APOSTOLICO

In Indiis Orientalibus lati;
& ſuſcepta

A FRANCISCO LAÏNEZ E SOCIETATE JESU
Electo Epiſcopo Meliaporenſi.

ROMÆ,

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ
MDCCVII.

Superiorum permiſſu.

INSTITUTUM HISTORICUM SOC. IESU
IHS
BIBLIOTHECA
11040

Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino

D. AUGUSTINO AB ANNUNTIATIONE

ARCHI-EPISCOPO GOANO

Orientis Eccleſiæ Primati,

Apoſtolico in poteſtate fungenda Legato;

Sereniſſimo Regi à Conſiliis,

Emeritiſſimo olìm Indiarum Gubernatori;

Fælicitatem plurimam.

PRÆSVL AMPLISSIME.

PVblicam in lucem prodeunti Tamulenſis Eccleſiæ defenſioni Patronum à me aliunde adſcitum nuncupari, & Tibi maximè injurium, & mihi grande piaculum cenſeretur: Quandoquidem tuum eſt, quod à Te principium ducit; imò quod Tu ipſe auſpicatus, ego omine, & nomine tuo ſum proſecutus, in Te iniquiſſimus eſſem, ſi Te

 huju-

hujuſce defenſionis principium non repeterem, tuoque in opere Nomen tuum non inſcriberem. Tibi utique, Primas Illuſtriſſime, incolumitatem ſuam acceptam referunt Tamulenſes Neophyti, quos ab impendenti ſalutis diſcrimine vindicaſti, tùm maximè cum D. Carolus Thomas Mayllard de Tournon Patriarcha Antiochenus in Indias appulit, rem Chriſtianam ex Apoſtolico S. Sedis Imperio in Oriente compoſiturus. Is etenim, licet Ethnicorum Religionis, ac linguarum notitià prorsùs deſtitutus, de conſuetudinibus tamen Indicis, abſtruſàque eorum naturà, & origine, non quidem deſtinato, & data operà, ſed carptim, & à Teſtibus minimè idoneis cognoſcens; poſtquam ex iis aliqua primoribus tantum labris attigit, primà rerum facie deluſus, fatale illud Decretum tulit, cujus ſtatuta, & morum probitati minimè neceſſaria, & Fidei everſioni, adeo ſunt obnoxia, ut Tamulenſem Eccleſiam, totamque prorsùs Religionem ex Indiarum meditullio radicitùs convulſum iri, experientià idipſum edocente, illius Gregis Paſtores meritò extimeſcerent. Obſiſtendum igitur, antevertendumque erat tot animarum ruinæ; ideoque D. Patriarchæ Decreto reclamandum. Quod cum mihi quantumvis reluctanti demandatum eſſet; cumque ego tam graue, plenumque alea opus ſubire non auderem, Tu omni difficultate major, Tamulenſium Neophytorum ſpes ſuas

in

in Tè unicè reponentium ſortem miſeratus ſtudia tua omnia ad illorum ſalutem in Indijs, & Romæ curandam ſapienti providentià contuliſti. Indiarum enim Primatis munere, & Apoſtolici Legati, quà fungeris facultate, vel numquam alias opportuniùs, vel certè in hac potiſſimum occaſione utendum ratus, & Decreti illius executionem ad ultimum S. Sedis Judicium protraxiſti, & ſuperſtitionis immeritò damnatas, proindequè innoxias Neophytorum conſuetudines in Indiis perpetuari, ad Pontificumque præſcriptum continentes in poſterum haberi poſſe jure optimo indulſiſti.

Tuum hoc Decretum in Indiis latum, Romæ etiam tuendum ſuſcepiſti; litteris enim pro Tamulenſium conſuetudinum defenſione ad Pontificem Maximum datis, & me ad eumdem de negotio Romæ interpellandum conſiliis, & authoritate tua inſtructo, non ſolum cauſam hanc, ut graviſſimè, diligentiſſimèque poteras, mihi in Urbem profecturo demandaſti; ſed Tu ipſe eam ad finem perorare tàm impensè conatus es; ut me audiente dicere non dubitares, futurum ut, ſi res id exigeret, tranſmiſſo marium ſpatio Romam pergeres morti devotus, qua tot animarum millia à ſalutis diſcrimine vindicares.

Præclara hæc mentis tuæ deliberatio animos deſperatione jacentes, & dolore timoreque conſternatos, adeò uſque in ſpem, & expectationem erexit, ut

ego

ego ipſe negotio propè jam diffiſus calculum reducerem, tuoque fultus munimine, me non proinde ità deſererem, ac deſtituerem, ut in cauſa, authoritate, & nomine tuo agendà, animum deſponderem. A Te ergo, Præſul Illuſtriſſime, hujus defenſionis principium extitit; à Te etiam vires, quibus eam hactenus pro modulo meo ſum proſecutus: In Te deſinat neceſſe eſt; Tibi acceptum referri, beneficiumquè reddi maximè æquiſſimum. Quò circa nullus, credo, erit, qui in eo audaciæ vitium deprehendat, quod ipſe, qui humilis omnibus viderer, à Te uſque aſſurgere non modo non erubuerim; verum etiam Nomen tuum tot celebrandum Nominibus in hoc non meo quidem ſed tuo prorſus opere inſcripſerim.

Sed quamvis aliqua operæ, laboriſque mei parte conſtaret, illa ipſa quia omnium minima, niſi ad maximam ſteterit, nihilò ſtabit. Quid ni ergo à Te ſtare deceat, Primas Illuſtriſſime, qui totius operis caput es, & pars maxima, ut uſuram lucis, quam ab obſcura originis ſuæ conditione trahere nequit, à Dignitatis tuæ ſplendore haurire poſſit?. Tenuitatem meam, ſi à magnitudine tua diſiungerem, nihil ſibi pretii vindicaret: Dùm vero illam Nomini tuo obtenſam exhibeo, magno quidem licet adſcititio decore cohoneſtata incedet. Quò enim titulo illuſtrius commendari, vel ſub cujus Nomine auſpicatiùs prodire poterit quidquid in hac Tamulenſis Eccleſiæ defen-

ſione

ſione meum eſt, quam ſtrenui eiuſdem Eccleſiæ De-*fenſoris, cujus, tùm in vindicandis à ſalutis diſcrimine, illataque ſuperſtitione Indis Neophytis ſtudiũ, zelus, ardorque ferventiſſimus hoc ipſo in opere multis argumentis eluceſſit; tùm in profligandis totà Aſià Ethnicorum ſectis labor, induſtria, ac prudentia multoties enituit, ipſique Luſitaniæ conſpicua à Sereniſſimo Rege verbis ampliſſimis non ſemel eſt exornata. Et ſanè quis potiori jure illius exilitatem ſupplere valeat, qui nuper electus Meliaporenſis Epiſcopus ſuffraganei tui licet immeritò honorem eſt conſecutus, quàm Tu noui Chriſtiani Orbis Metropolites præſtantiſſimus? In Te, quis non videat? Effuſa liberaliter natura, tot, tamque præclaras dotes ſedulò collegit, quæ per alios diſperſæ multis, eximiiſque Præſulibus exornandis abundè forent. Has ipſas dotes, virtutumque tuarum ornamenta, quibus cælitus condecoratus es, quibuſq; ego illectus, quidquid in hoc opere meum eſt, Tibi conſecrare ſtudui, nunc in præſentiarum referre, & longum eſſet, & importunum. Quantum de bonis litteris, ac ſublimioribus ſcientijs meritus fueris, quà Te, quà alios in iis impenſe, feliciterque excolendis hodie num venerabunda teſtatur Conimbricenſis Academia. Neque verò hiſce dumtaxat noſtris terminis circumſcribi hæc erudita tuæ mentis lumina potuerunt: Etenim ſapientia tua vaſtiſſimum iter ocyùs emenſa exteras quoque*

Nationes præclariſſimo Nominis tui jubare colluſtravit. Galliam potiſſimùm teſtor, quæ nuperrimè litteras tuas ſuper nonnullis D. Patriarchæ ſtatutis pro orà Choromandelicà latis avidè lectitans, ſe adeo in Tui admirationem rapuit, ut Te cum cæteris ornamentis inſtructum, tùm apprimè omnibus ſapientiæ ſtudijs præſtantiſſimum fateretur. Cæterum non id ſolum cauſæ eſt, cur Te Alienigenæ pariter admirentur, cum neque his gloriæ inſignibus ſolùm condecoratus mirabiliùs, atque magnificentiùs aſſurgas. Alia præterea, & benè multa mihi undique occurrunt; quæ Te majorem in modum commendant, & alijs tantùm anteferunt, quantùm è vulgo immortali Nominis famà Heroes recedunt. Nam quem lateat, vel latere umquam poſſit, vividus ſemper mentis tuæ labor, animique ſtrenuitas, quam nec obruerent ſuà mole negotia, nec deterrerent obiecto terrore pericula? Vel ipſum Indiarum regimen Tibi aliquando demandatum tuam adhuc refert celeritatem in conficiendo, ac in providendo conſilium. Porrò quemadmodum Te multò ante, rebus optimè geſtis, & egregia in Chriſtianorum, Ethnicorumque bonum induſtria, ac vigilantia Sacræ Infulæ, & Apoſtolici Legati authoritatis, meritiſſimum effeceras; ſic Te cordatà hàc, ſapientiſſimàque adminiſtratione Regno haud imparem, Sereniſſimo Rege ipſo annuente, comprobaſti. Quamvis, & ſi cætera omnia deeſſent, ſu-

blimis

blimis firmitas, celeritaſque conſilii, quà multis undique circumſeptam periculis Tamulenſis Eccleſiæ incolumitatem haud jam pridem explicaſti, & inſita tuæ gloriæ monumenta revolveret, & ſatis, ſuperque tuo Nomini pareret immortalitatem. Profectò generoſa hæc tuæ mentis vis ac Providentia vivit, æternumque vivet in Poſterorum memoria, Præſul Illuſtriſs., neque futurum unquam eſt, ut de illà vel remotiſſima ætas conticeſcat. Reliquum igitur eſt, ut eà, quà ſoles Humanitate munus hoc excipias, parvum quidem, ſi Authorem ſpectes, ſi argumentum, & offerentis animum, non exiguum. Qualecumque tamen illud ſit totum tibi offero; nefas enim eſt ad Te, Metropolites Præſtantiſſime, omnino vacuis manibus acceſſum habere, qui ſemper omnibus plenus es in bene promerendo. Vive diu Sacræ Infulæ decori, Ethnicorum ſectæ everſioni, & Orthodoxæ Religionis, Divinique Nominis incremento.

Dominationis Veſtræ Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

Obſequentiſſimus Servus
Franciſcus Laînez è Soc. JESV Electus
Epiſcopus Meliaporenſis.

PROLVSIO.

MIſſio Madurenſis; aliæque Tamulenſes, Mayſurenſis nempe & Carnatenſis parum admodum hucuſque in Europa innotuère, vel quia Operarii, à quibus excultæ ſunt, ita in colligendis uberrimis fructibus, quibus abundant, toti fuere, ut earum deſcribendarum tempus nacti non fuerint: vel quia cum ſatis illis eſſet, Deo cognitos eſſe labores ſuos, timuere, ne ſi eos evulgarent, tantum illis præmii apud Deum decederet, quantum accederet humanæ laudis. Nunc verò cum pro laudibus, quas timebant, acri cenſura notentur; cum ſuos Neophytos infamari videant, ultimum ſuis Miſſionibus impendere exitium, ſilere illis integrum non eſt. Silere tamen optarent maximè, cùm eò ſint redacti, ut ad ſe, ſuaſque Miſſiones tuendas loqui nequeant, quin de eo conquerantur, de quo minimè vellent; de Illuſtriſs. nempe D. Patriarcha Antiocheno D. Carolo Maillard de Tournon; quem ante aliquot annos Sanctiſsimus D. noſter Papa Clemens XI. miſit in Sinas Viſitatorem Apoſtolicum cum facultate Legati à latere.

Ille etenim poſtquam ſub finem anni 1703. in Indias Orientales pervenit, ſeque de Miſsionibus Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi ſatis inqui-

ſiiſſe

ſiiſſe judicavit, Decretum tulit, quod quia Miſsionariis, ac Neophytis maximè probroſum, Religioniſque bono non parum contrarium eſſe exiſtimamus; illarum Miſsionum, ipſiuſque, ſi fieri poteſt, Religionis defenſionem aggredior; in qua & recta Miſsionariorum agendi ratio in permittendis aliquibus Indicis conſuetudinibus Evangelii propagationi conſentaneis, probatur; & qua tot Miſsionariorum, optimorumque Neophytorum exiſtimationi illata labes eluitur: Cum præſertim in totam Societatem noſtram ejus adverſariorum malignitate, & in totam Eccleſiam Hæreticorum calumniis, non leve dedecus eſſet redundaturum, ſi Miſsionum illarum ſtatus non niſi ex Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto innoteſceret.

Ut deſtinatum mihi hunc finem conſequar, tria effeci: primò quidem brevem illarum Miſsionum notitiam delineavi, quæ licet ad pungendam ſolum, & non ad ſatiandam Lectorum curioſitatem ſit ſatis, ad reliquam tamen diſputationem aditum aperiet, viamque ſternet argumentis pro conſuetudinibus Indicis, Miſsionariorumque praxi poſtea afferendis. Deinde Libelli Supplicis Pontifici Maximo oblati dilucidationem paravi; in qua ad ſingula quæ in ejuſdem Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto continentur, reſpondeo.

Denique Illuſtriſsimorum Indiæ Antiſtitum

ſuffragia

ſuffragia pro conſuetudinibus, quæ ab ipſis, eorumque Prædeceſſoribus ab uno fere ſæculo ſunt permiſſæ, in lucem proferemus: Nec non jurata, authenticaque teſtimonia, quibus illarum regionum Miſsionarii omnes, Catechiſtarum plerique, ac Neophytorum plurimi, omnibus aliis in idem conſpirantibus, eas ipſas conſuetudines tum ad illius naſcentis Eccleſiæ incolumitatem, tum ad Evangelii in Regnis illis productionem prorſus neceſſarias eſſe jurejurando affirmant.

Ex his omnibus infra dicendis Lectori pervium erit cognoſcere quantum veritati adverſentur multa quæ de Orientalibus Indis ſcripta hactenus fuere, quæque multorum manibus teruntur: Sed nimirum ii qui in conſcribendis rebus Indicis multoties à veritate deflectunt, rationem aliquam errori ſuo poſſunt obtendere: Aſiæ etenim meditullium nunquam penetrarunt, atque adeo nec illis gentibus familiariter aſſueverunt; Sed in Oris tantum maritimis verſantes, ubi Europæi degunt, & ubi Europæi quoque ipſi de Gentium conſuetudinibus parum admodum cognoſcere potuere, earum conſuetudinum notitiam non fidelibus oculis, & data opera, ſed peregrinis auribus, & perfunctorie hauſere: Ego vero qui per viginti duos annos in Mediterranea illa India ab oculis meis quaſi à teſte veritatem exegi, qui illorum populorum linguam

teneo

teneo, qui terras illas millies peragravi, cum Ethnicorum doctiſsimis diſputavi, illorum libros ſæpius verſavi, Indicarum conſuetudinum, & originem non ſemel per otium expendi, idoneus forte ab æquis lectoribus judicabor, cui fides multa in re præſenti adhibeatur.

BRE-

BREVIS NOTITIA

INDICARVM MISSIONVM

Madurenſis, nempe, Mayſurenſis, & Carnatenſis Soc. Jeſu.

Cap. I.

Vbi ſitæ ſint illæ Miſſiones.

IN primo hujus Operis ingreſſu nihil videtur neceſſarium magis, quam ut perſpectum ex integro habeatur, ubi gentium collocatæ ſint Miſſiones illæ, de quibus mihi agendum eſt, quas terras, & quos populos complectantur, ne male, ut ſolet, permiſceantur ea, quæ plurimi intereſt accuratè diſtingui.

Miſſiones ad quas potiſſimum ſpectat Illuſtriſs. Patriarchæ Decretum, tres ſunt, Madurenſis, Mayſurenſis, & Carnatenſis; poſitæ omnes in Peninſulæ Indicæ, quæ eſt citra Gangem, meditullio; ac proindè non hic agimus de Miſſionibus Oræ Malabaricæ, ac Piſcariæ; de quibus multa dicenda haberem, ſi non ex neceſſitate tantum ſcriberem, ſed etiam ad pietatem, & conſolationem in Fidelium

Cordibus commouendam; lubens tunc referrem, quantus adhuc ſit ibi Chriſtianorum numerus, quanta in illis ad Religionis Chriſtianæ alacritas, quantos, quamque aſſiduos Miſſionarii, qui in illis Oris degunt, labores perferant, quam ſtrenuè invictos ſe ab illis præſtent, quot infectationes ab Infidelibus patiantur, quam pari ſemper animo illas ſuſtineant, quoties ab Ethnicis ſpolientur, ac opprimantur; qui ſpoliati licet & oppreſſi, nihilominus ſe beatos putant, quod eaſdem terras, iiſdemque vitæ incommodis excolant, quas præcipuo ſtudio excoluit, ſuiſque veſtigiis conſecravit, ac relatis de Inferno triumphis illuſtravit S. Franciſcus Xaverius Indiarum alter Apoſtolus: Hæc, aliaque multa vltro proſequerer, niſi proximum aliarum Miſſionum periculum aliò mentem, & ſtylum avocaret. Fas mihi ſit igitur de interiorum terrarum Miſſionibus tantùm loqui.

E tribus Miſſionibus in Mediterranea India collocatis, & antiquitate, & Chriſtianorum numero prima eſt Miſſio Madurenſis aliarum duarum parens: Sumpſit illa nomen a Regno Madurenſi; non quod Regni illius limitibus coerceatur, ſed in eo primum Regno erecta fuerit à Luſitanis Patribus Societatis IESU Provinciæ Malabaricæ, pia Sereniſsimorum Regum noſtrorum liberalitate, quos Fundatores munificentiſsimos agnoſcit non ſolum

iſta noſtra Miſsio, ſed & quotquot habet in vaſtiſsimis Orientis partibus noſtra Societas; quæ nunquam obliuiſcetur, nunquam prædicare deſinet, quantum Religioſiſsimis Principibus debeat; ac præſertim ei, qui nunc, ut Regnorum, ſic paternæ pietatis hæres, ea quæ à maioribus ſuis cæpta fuerant, feliciter amplificavit. Ex Regno Madurenſi in vicinas variorum Principum terras, & præſertim in Regnum Tanjaurenſe, & Gingenſe progreſsi ſunt Miſsionarii ad Evangelii lucem illis populis in Regione vmbræ mortis jacentibus inferendam; ibique multas conſtruxere Eccleſias, ex quibus coaleſcit Miſsio Madurenſis; quæ per illas Prouincias centum, & amplius leucis à Meridie ad Septentrionem protenditur; ab Oriente verò ad Occidentem nonaginta.

Cum Patres Goanæ Provinciæ cernerent, quanto fructu novus ille ager a Sociis Malabarenſibus apertus exuberaret; ſimilem ſperarunt colligi poſſe meſsem in Regno Mayſurenſi, quod ad Occidentem Miſsionis Madurenſis ſitum eſt, & à qua altiſsimorum montium ſerie diuiditur: Itaque in Miſsionem Madurenſem miſère P. Leonardum Cynami, quem tanto operi non imparem elegerant; ut ritus, linguas, moreſque Gentium illarum, ac tenendum in Evangelio prædicando modum cognoſceret: Quæ ubi perſpecta habuit, Mayſurenſe

regnum ingreſſus eſt; ibique magno noſtræ Religionis emolumento Miſsionem ſuam exorſus eſt; quę ab optimis Operarijs exculta, multiſque eorum ſudoribus irrigata, Deo incrementum dante, fructus protulit, profertque adhuc uberrimos; ita ut tam felici propagine plurimum glorietur Miſsio Madurenſis.

Idem intelligendum volo de altera Miſsione his poſterioribus annis erecta à Patribus Gallis è Societate noſtra ad Septentrionem præfatæ Madurenſis Miſsionis propè Puducherium Chriſtianiſsimi Galliarum Regis arcem: quæ Miſsio à Carnatenſi Regno Carnatenſis dicta eſt; Cujus primi cultores profitentur Miſsioni Madurenſi debere ſe non ſolum exemplum, quod ſequerentur, verum etiam linguarum, conſuetudinumque notitiam: qua inſtructi incipiunt fructus non pœnitendos ſui zeli, ſuorumque laborum colligere.

Tres illæ Miſsiones communi nomine Tamulenſes dici poſsunt ex nomine Tamulenſis populi, qui Indigenarum præcipuus eſt: nam licet Telungi, & Canàræ ad Septentrionem, & ad Solem vergentem habitantes, ſint etiam Indigenæ, cedunt tamen numero Tamulenſibus: Marraſtæ verò, ac Panditi advenæ ſunt, & hoſpites. Inter illos populos quamvis lingua diverſos, magna tamen eſt morum, conſuętudinumque ſimilitudo. Sed hic obſervandum

omnes

omnes illos promiſcuè Malabares ab Europœis minus bene appellari: Siquidem Malabares alias terras ſatis illinc diſtantes incolunt, Oram ſcilicet Peninſulæ Occidentalem: Tamulenſes verò, Tamulenſibuſque mixti Orientalem Oram, & Mediterraneas terras habitant. Id quod operæ pretium fuit advertere, ne quis exiſtimet, illarum Miſſionum Tamulenſium Neophytos, aut eoſdem eſſe cum Chriſtianis S. Thomæ, qui in Malabaria degunt, aut eodem modo vivere; Cum ſecus omninò ſe res habeat. Nos diſtinctionis ergo Malabarum nomine veris Malabaribus relicto, noſtrarum Miſſionum populos ſuo vero Tamulenſium nomine appellabimus.

Cap. II.

De Civili Tamulenſium regimine.

ANte annos circiter ſexaginta Biſnagarenſis Imperator in Indiis olim potentiſſimus, non ſolum Regnis omnibus, per quæ Miſſiones noſtræ protenduntur, verum etiam Terris, ac Prouincijs ſat bene multis potitus erat: poſtquam vero vaſtiſſimum illud imperium corruit, quod unius ambitioni vix erat ſatis, multorum Regum, ac Principum dominationi ſatis fuit: Ex quibus alii ſui juris

ſunt,

ſunt, alii aliorum vectigales. Minoribus Principibus omiſsis, de Regnis, quibus Miſsiones noſtræ comprehenduntur, pauca hæc accipe.

Regnum Madurenſe ſibi vindicavit potentior quidam Princeps ex Nayquætùm Tribu, una ex multis, in quas ſcitum eſt Indos dividi: ex eadem proſapia originem ducit puer, qui nunc hæreditario jure ibi regnat ſub tutela Aviæ ſuæ Mangamal, quæ a tredecim annis illud Madurenſe Regnum adminiſtrat. Hæc mortuo filio ſuo iſtius adoleſcentis Patre Rangamuttuvirachriſnapanayquen, Regni ſumpſit habenas; eaſque adeo tenaciter retinuit, ut nullis procerum conatibus ipſi de manibus evelli potuerint; ſicque tanta eas dexteritate tractat, ut quamvis non tàm per ſe, quàm per Brammanes ſuos regat, tali Regina ſe populi ſatis felices, ac beatos putent. Religioni noſtræ in fenſa non eſt: Sed quia Provinciarum, Oppidorumque Præfecti regia prope authoritate omnia ad libitum gerunt; à Regina Miniſtris acerbas ſæpe infectationes patiuntur Neophyti: ut vel ex hinc colligi poſsit, miſerrimam eſſe apud illas gentes Religionis conditionem, quæ in illis Regnis ſæpè vexatur, in quibus illam Reges non inſectantur.

Poſtquam memoratum jam Biſnagarenſe imperium everſum eſt Tanjaurenſis Regni clavo aſſedere Reges ex eadem cum Madurenſibus tribu oriundi:

Sed

Sed à triginta quinque circiter annis, immutata per varias rerum vices fortuna, in alienas manus tranſiit Sceptrum; illudque nunc cum ſumma poteſtate tenet Princeps è Tribu Marraſtica, natus ex Fratre Magni illius Sevagî; qui mediocri loco natus in tantam potentiam virtute bellica excrevit, ut totius Indiæ terror foret. Nihil patruæ virtutis habet, qui nunc Tanjaurenſe Solium occupat: non alia tractat arma, quam inſtrumenta muſica, non alia ducit agmina, quam Saltatorum, ac Saltatricum choros; minus quam fœmina ad bella gerenda, magis quam vir ad pecunias vndequaque extorquendas; quarum tanta laborat fame, ut nec Sacro parcat, nec Prophano; paratus quidlibet pati potius, quam pecunias in neceſſarii belli ſumptus expendere; quam ita victoriæ lauris anteponit, ut auditus fuerit, cum diceret; Famam ſibi Dæmon habeat, quæ tanto conſtat pretio. Tanto miſerior, quanto & ditior, utpote qui tot poſsit numerare hoſtes, quot è ſuis ſubditis ſpoliavit, ideſt, prope cunctos. Suo Palatio velut in carcere inacceſſo incluſus, vix in publicum prodire audet: cum prodit, non minori incedit Elephantorum, ac militum multitudine ſtipatus, quam ſi in aciem prodiret; neque id maieſtatis ſolum retinendæ deſiderio, ſed metu amittendæ vitæ, cui novit inſidiari multos; ita ut difficile ſit dicere, vtrum plus timeat ſuos,

quam a ſuis timeatur. Coronam factis ſuis dignam vulgo geſtat, catenam dico æream multis orbibus Capiti protegendo circumvolutam, ac tenuiſsimo contectam panno, qui inter Indos vulgare eſt capitis geſtamen: Felix ſi tot cautionibus evadere poſsit, quem ſemel, atque iterum evaſit fatalem ictum. In bonos omnes immitis, & præſertim in eos, quos apud eum pecunia reos facit: At vero Nero alter Chriſtianis; quibus in Illuſtriſs. Patriarchæ adventu inter alias lætandi cauſas erat ea præcipua, quod ſperarent ipſius authoritate, ac muneribus modum aliquem eſse inveniendum, quo tam crudelis perſecutor aliquid de ſua in Chriſti ſectatores ferocitate remitteret.

Gingenſe Regnum ad imperatoriam etiam Coronam olim ſpectans, varias, multaſque habuit vices; & continuis bellis exagitatum ſenſit quidquid calamitatum armorum licentia ſecum trahit; donec illud obtinuit Magnus Sevagî, non alio quam mucronis ſui jure: Sed quia male parta, male vulgo dilabuntur, ejus poſteri aliquot tantum annis eo potiti, depulſi ſunt à Mogorenſi Imperatore; qui illud ab annis quindecim neſcio an meliori jure invaſit; illudque nunc adminiſtrat miſsis eo Præfectis; qui nulla æqui, ac recti habita ratione illos populos adeo crudeliter vexant, ut tanti Regni olim opulentiſsimi virtus Gubernatorum avaritia quaſi conſenuerit, atq; decoxerit.

Re-

Regnum Mayſurenſe exciſo Biſnagarenſi imperio, verſanteque multorum animos regnandi cupidine, arbitraris fortunæ jactibus diu circumactum, paruit tandem externis Principibus; quorum ſucceſſor eſt, qui nunc illud multis ab hinc annis occupat, longaque in pace adminiſtrat. Verum ne Martialis ejus animus tam diuturna pace torpeſceret, Chriſtianæ Religioni multoties bellum intulit: Evangelii Præcones vinctos non ſemel tenuit, non ſemel ſuis è terris exulare compulit; tanto maiori rei Chriſtianæ incommodo, quod in ea loca ſe recipere nequeant, vnde Chriſtianis Regni illius, ut optarent, opitulari poſſint.

Carnatenſium, aliarumque Septentrionalium Regionum eadem ferme eſt ratio, quàm memorati jam Gingenſis Regni. Subſunt Imperatori Mogorenſi, aut potius miſſis ab eo Præfectis: quorum cum ſint alii Ethnici, Mahometani alii rei Chriſtianæ plerumque infenſi, certant inter ſe, quinam acerbius Chriſtianos infectentur; quos reſpirare non patiuntur, niſi cum inter ſe, ut nonnunquam uſuvenit, de Magiſtratu, & Dominatione contendunt: tunc enim iis non vacat Chriſtianis attendere; in quos ſtatim arma vertunt, ac ſunt pacifici Magiſtratuum poſſeſſores.

Cap. III.

De illarum Terrarum natura.

REgiones, quæ vltra Promontorium vulgo Comorinum ad meditullium excurrunt, quaſque præcipue Miſſiones noſtræ occupant, ſi aliquot Provincias ad Solem vergentem excipias, optima ſemper gaudent temperie, atque adeo ;Vere fere perpetuo fruuntur incolæ: Hyeme ſiquidem parum admodum frigidiores Vere; ita ut ipſa ſumma Hyeme, eam tunc appettere, vel jam ſolvi, & non rigere putes: nec æſtati ita calidæ, ut licet in medio fere Zonæ antiquis rerum inexpertis ardore inhabitabilis, ferventiores æſtus noſtra in Europa non deſæviant; nempe auris perennibus mitigatur calor; & deportatis in Oceanum craſſis, concretiſque vaporibus depuratur aer, & ſaluberrimus efficitur.

Regio qua Occidentem, & Septentrionem ſpectat, montibus quidem aſpera eſt; at reliqua ſui parte planities habet late patentes, & multis, ac maximis Fluviis irriguas; præſertim Tanjaurenſe Regnum: qui quidem Fluvii in eo ſunt Nilo ſimiles, quod æſtatis tempore etiam exundent ob continuos imbres in Malabariæ montibus, unde trahunt originem, decidentes. Solum in toto fere il-

lo Indiarum tractu feraciſſimum eſt, totoque anni tempore fructus aliquot creat ſapore ſat jucundos; immò non paucos, quorum ſemina ex Europa eo deferuntur. Sed arborum fructus deſpiciunt Indigenæ, aut ad pueros amandant; & quia iis vix unquam niſi compellente fame veſcuntur, in conſerendis Pomariis nullam fere ponunt operam; rati eam ſe melius collocare in procurandis frugibus humanæ vitæ oportunis; & præſertim in ſerenda Oriza, quæ apud illas Gentes frumenti vices ſupplet: Hanc vero non facile dixerim, quanto ſtudio, & quam improbo labore excolant; quamque ſollicite ad eam irrigandam derivent aquas: Cum tempore æſtivo nimia eſt ariditas, fontes, ſtagnaque exhauriunt; per canales, & incilia fluviorum aquas intercipiunt; Numina ſua precibus fatigant, eorumque altaria votis, ſacrificiiſque onerant: & ſi Cælum pluvias negare pergat, interpretantur irata Numina deſertum, & a Chriſtianis ſpretum cultum ſuum ulciſci: indeque arrepta ſæpius occaſione Chriſtianos inſectantur: ſicque ut falſorum Numinum iram avertant, Veri Dei iram in ſe concitant; & ut uberiorem meſſem obtineant, id faciunt, ob quod bonis omnibus carere mereantur.

Non ſolum ſementi, ſed ipſi hominum vitæ admodum neceſſarii ſunt imbres: nam quia pluvialis aqua fontanâ, & fluviali vulgo ſalubrior habetur,

 iſta

iſta fere abſtinent, & magno ſumptu lacunas cavant, & Stagna extruunt ad colligendam pluviarum aquam, ex qua bibunt ipſi, & armenta adaquantur. Porro ſæpe evenit ut calore aquam ſenſim in vapores attollente, aut illam certatim derivantibus in terras ſuas aratoribus, omnino areſcant illa aquarum receptacula; aut in iis non niſi lutoſa, ſatiſque fætida aqua ſuperſit, quam vix ſumma ſitis attingere cogat Europæum; & quam tamen Indi, quaſi Solis æſtu jam defæcatam, puriſſimis fontium laticibus longe præferunt. Cum præſertim huic incommodo remedium aliquod à provido naturæ Authore ſuppeditatum ad manus habeant; Sylveſtrem ſcilicet arborem *Tettam maram* dictam, cujus fructus talem continet virtutem, ut ſi affrictu parumper in aqua deteratur, admixto præſertim ſalis tantillo, intra quartam horæ partem deprimatur lutum, & aqua limpidiſsima relinquatur.

Aliquot in Provinciis denſiſsimæ occurrunt ſylvæ, quæ ſunt ferarum pariter, ac latronum feris ipſis truculentiorum latibula, ubi frequens Cervus, Aper, Cuniculus, Perdix, Palumbus viridis, Turtur, Pavo, ditiſsimam offert venationem: Sed venatores pauci ſunt, ac fere nulli; propterea quod licet plerique ex illis Ethnicis, ſi Brammanes omnes excipias, carnes comedant; ſobrie tamen, & parce admodum iis veſcuntur. Ex quo fit, ut niſi

Prin-

Principem aliquem venatu ſe ſe exercendi cupido inceſſat, vel convivium aliquod ſplendidius inſtituendum ſit, tranquille vivant ſuis in nemoribus illæ animantes.

Non ita piſces in fluviis, quibus non deſinunt dolos, & mortem machinari Piſcatores; eo quod piſce multo frequentius, quam carne veſcantur: Et licet in fluviis ſat magna ſit piſcium copia, tamen neceſse eſt vicino è mari multo maiorem afferri: afferruntur vero non ſale domiti, ut in Europa ſolent, ſed ad Solem exſiccati: Sic enim ad Solem macerati piſces, de carnibus idem dico, minus noxii, aut magis ſapidi illis videntur.

Cap. IV.

De ingenio, ſcientijs, & artibus Tamulenſium.

INter nationes exteras paucæ admodum ſunt noſtris Tamulenſibus ingenio pares: immo aſſerere poſſum, repertos interdum à me fuiſse, in una præſertim Tribu Velalenſi dicta, qui certe parum admodum concederent præſtantiſsimis Europæ ingeniis, ſi eodem modo exculti fuiſſent, quo hic Europæi excoluntur: expertus ſum ipſe ſæpius, quam

argute

argute ratiocinentur; quam difficilia argumenta proponant: quod in cauſa fuit, cur ſæpe optarim plus docilitatis, minus ingenii fuiſset illis à Deo conceſsum.

Fateor equidem ſcientias, & artes non eo perfectionis, & abſolutionis inter illas Gentes perveniſse, quo in Europa pervenere; immo aliquas ſatis adhuc pingues eſſe, non inficior: Verum illud ſtudii potius, quam ingenii defectu evenire crediderim: Ut vel ex eo colligitur, quod olim ibi multo extiterint perfectiores, tunc cum in Academiis publicis magno Auditorum concurſu, & Magiſtrorum fama bonæ artes edocebantur. At ſcitum eſt ut hominum, ſic & ſcientiarum fortunam à Principibus plurimum pendere; qui niſi litteratis Viris otium cum dignitate, & fortunæ ſaltem mediocritate provideant, neceſſe eſt, ut ſteriles Palladis artes utilioribus, licet vilioribus commutentur: Cui officiorum ſuorum parti cum defuerint illi, penes quos ultimis his temporibus ſumma rerum fuit, non tam miror equidem perfectiores non eſſe artes in tam ingenioſa Gente, quam in tanto ſcientiarum, ac virorum doctorum contemptu, non magis concidiſſe.

Linguæ in illis Regionibus tres ſunt præcipuæ, Tamulica, Telungica, & Canarina: Tamulica communis eſt, & in magna Indiarum parte pervagatiſſima,

gatiſſima, interque ditiſſimas haberi poteſt; Telungica ad Septentrionem, Canarina ad Occidentem maxime vigent. Quamlibet ex illis addiſcere Europæis ſemper difficillimum ob characterum multitudinem, ejuſdem litteræ multiplicem Sonum, ob vocales velut in Hebræa lingua plerumque ſupplendas, ob pronuntiationis barbariem, abſonam verborum, totiuſque orationis collocationem; in qua magnis diverticulis, & anfractibus uti vel idcirco neceſſe eſt, quod illa idiomata relativo careant pronomine, *qui*, *quæ*, *quod*; Cujus relativi uſus quam ſit ad conjungendas Orationis partes neceſſarius, nemo non intelligit. Alia lingua Grandonica dicta eruditorum eſt, ut apud nos latina; & Brammanum propria: Sed in preſenti temporum ratione paucos admodum invenias, qui eam linguam pluſquam mediocriter calleant: docti habentur, qui aliquot centenos verſus eà linguà ſcriptos memoriter teneant; doctiſſimi verò qui illos utcumque intelligere, & explicare ſciant.

Scriptura apud eas Gentes ejuſmodi eſt, quæ nec papyrum, nec calamum, nec atramentum poſtulet; horum omnium uſum ſupplent ſtylus ferreus, Palmæque folium, quod Olam vocant; neque opus ad menſam ſedere; folium pollicem inter, & indicem ſiniſtræ manus ſuſtentare ſatis eſt; Stylum tractat manus dextra ſiniſtro pollice adjuvante;

namque

namque in illius digiti cirmicinatum unguem immiſſum ſtyli acumen dirigitur: Eo pacto ſcribunt multi, & celeriter, & graphicè; facilitate vero tanta, ut ſtantes, loquentes, hùc, illùc oculos volventes, comptiſſimas tamen exarant litterarum formas.

Sed graviſſimum illud habet incommodum hoc ſcribendi genus, quod ſit parum durabile: Cum enim Typographiæ apud illas Gentes nullus ſit uſus; librique nihil ſint aliud, quam male ſecta, maleque collecta, & manu exarata Palmæ folia, blattis in ea regione frequentiſſimis, & voraciſſimis obnoxia, evenit quotidie id quod antiquis voluminibus manuſcriptis eveniſſe lugent Sapientes, ut præſtantiſſima veterum opera omnino pereant: Hinc apud illos populos nulla fere antiquitatis monumenta; Hiſtoriæ, Chronologiæque ratio tota non tam perturbata, quam prorſus ignota, neque Patrum memoria ſuperior. Superſunt tamen Veterum Tamulenſium veſtigia aliquot, eximii ingenii acumine, & Attica eloquentia illuſtrata; quæque ideo ad præſtantiſſimorum Scriptorum monumenta accedere non immerito cenſentur. Extant etiam Codices non pauci, in quibus inepta, maleque invicem conſuta inanium Deorum figmenta, cum tam venuſta Sermonis concinitate, & lepore, junguntur, ut Indorum omnium animos alliciant;

cumque

cumque ad Religionem pertineant, Sacri ab omnibus habentur, magnàque ſunt apud Indos in veneratione.

Eloquentiæ præcepta pauca habent, ſola Rhetorica contenti, quam eos natura, uſuſque docuit; quæque apud Tamulenſes, ut & apud cæteras Orientis nationes, multa eſt in ſimilitudinibus, parabolis, & exemplis ad rem ſuam probandam, inculcandam, illuſtrandam idoneis; quæ apud populum plus habent ponderis, quam optima quæque rationum, & demonſtrationum momenta.

Poeſis multiplici metro, ac numeris ligata floret maxime apud Indos, & in ingenti, quos habent, Poetarum numero non deſunt aliqui præſertim ex antiquis, quorum Carmina multa litura coercita ſublimes illos Spiritus habeant, nobilemque illum furorem ſpirent, qui Poetarum proprius eſt.

Logices artem ab antiquis Tamulenſibus ſat bene excultam fuiſſe conſtat ex argutiſſimis hujuſce artis monumentis, quæ illìc hodienum reperiuntur; quæque ſi modo etiam Indorum manibus tererentur, non ſola natura duce, ac Magiſtra Dialetici evaderent; quamvis non idcirco inepte, minuſve argutè ratiocinentur. Qualis apud eos ſit Ethica Philoſophia, ex ipſis eorum moribus, quos poſtea delibabimus, melius percipietur.

De rerum natura ſatis multa, ſed inepte diſpu-

 tant:

tant: Mundos plerique contendunt eſſe quatuordecim, totidemque in illis maria, quorum aliqua, id quod ineptum eſt, melle, alia lacte, alia butyro referta ſunt. Mundos illos nunquam cæpiſſe volunt multi; an æternum ſint perſeveraturi, altercantur; affirmantibus iſtis, illis vero negantibus.

Terram planam eſſe volunt plerique non rotundam; & quamvis evidentibus convincantur demonſtrationibus, abſurda quæque antea confiteri eligant, quam ſententiam vulgo receptam mutare: præjudicatam habent opinionem, terram multo maiorem eſſe, quam re ipſa eſt, ac prope immenſam; ſed præter regiones patriæ ſuæ vicinas, nullas accurate norunt, nullorumque diſtantium regnorum ſitus, ac nomina niſi confuſe admodum ſciunt.

Medicinæ artem caſtigatis, beneque rotundis verſibus conſcriptam habent Tamulenſes; de eoque tam magnifice gloriantur ut vix ulla ſit diſciplina, in qua ſe eruditiores putent: re ipſa tamen illam nec à primo fere limine ſalutarunt; cum enim eam non conſulto, & radicitus, ſed carptim, & perfunctorie addiſcant, Empirici verius quam Medici evadunt. Unde exiguam humani corporis notitiam, ac proinde Chirurgiam fere nullam, aut periculoſam habent. In Botanicis magis ſunt verſati: ipſi pueri

cunctas

cunctas prope herbas appellant de nomine; nec deſunt homines, qui earum virtutes, ac poteſtates norint: habent & quaſdam remediorum formulas; ſed quibus omnibus occaſione data, nullo ætatis viriumque diſcrimine utantur: & tamen, quod mirabile eſt, ſeu arte, ſeu caſu, ſeu verius natura ſibimet providente, curantur aliqui; ut & è periculoſiſſimis morbis convaleſcunt; interea dum alii medicina promovente ad tumulum citius deportantur.

Matheſis partes aliquas ſat belle norunt: in Arithmetica præſertim ſunt exercitatiſſimi, eam pueri docentur in ſcholis; & ad eam, ac proinde in reliquam proportionum ſcientiam, quæ genuina mathematica eſt, nati eſſe videntur; ita ut intricatiſſimos quoſque calculos maxima facilitate, & memoriter, ac ex tempore expediant.

Architectonicam artem in Regum Palatiis, ac Deorum Templis ſolum adhibent; quorum ædificiorum magnitudinem, ac ſubſtructionum molem dum ſpectas, admiraris magnificentiam; ſed in quibus artem deſideres, ſi non tam materiam, quam opus intuearis, illudq; ad noſtræ architecturæ regulas exegeris; quas illi deſpiciunt; eas præſertim quæ ad ſim'ètriam pertinent; addentes non ſatis ab Europæis varietati conſuli; multoque ad oblectationem jucundius eſſe, ſi quælibet Columna habeat ſin-

gulare quidquam, quod oculos rapiat; quam ſi viſa una, tota Columnarum ſeries, quanta eſt, viſa cenſeri poſſit.

Aſtronomi ſunt etiam inter eos aliqui Stellarum, Planetarumque curſus ſatis periti: Siquidem Lunæ, Soliſque defectus ad calculum à noſtro longe diverſum reducere norunt; & quo horæ quadrante futuri ſint, abſque errore pronuntiant.

Bene erat ſi ſe inter veros Aſtronomiæ fines continuiſſent Indi, & ea omiſiſſent quærere, quæ ſibi uni nota Deus eſſe voluit, futura dico, eaque libera; ſed non ſatis habuere nimium ſolliciti rerum futurarum indagatores tempeſtates, ventos, pluvias conjicere; bella etiam, itinerum eventus, conſiliorum ſucceſſus in Aſtris ſe legere mentiuntur: Et quia futura prænoſcendi prurigo, aut ut verius dicam, furor, ſi cælum nequeat, acheronta movet; multi in illis terris infandæ Magiæ myſteria exercent, opeque Dæmonis ea præſtant, quæ humanæ naturæ vires ſuperant; atque illis tartareis artibus non modo pecuniarum vim maximam comparant, ſed Divinos honores à decepto vulgo conſequuntur.

Quod ad alias artes attinet, in omnibus ſunt mediocres illi Indi, ſi aurariam, & textrinam exceperis; in quibus ipſius Europæ judicio omnibus fere gentibus antecellunt.

Cap.

Cap. V.

De moribus Tamulenſium.

MOrum honeſtatem Tamulenſes ſitam exiſtimant in accurata Legis, quam a natura hauſère, obſervantia, & in cultu conſuetudinum ſuarum; quas totidem Legis naturæ principia, aut appendices eſſe putant. Impietatem, ſacrilegia, perjuria vulgo deteſtantur, & exhorrent; ſi aliquos exceperis, qui cum Deum nullum agnoſcant, nec ſacrilegia, nec perjuria conſequenter admitti poſse exiſtimant. Parentibus honorem habendum ſciunt: perditos tamen aliquos reperias, qui paternorum bonorum hæredes facti, omnem naturæ ſenſum, exuentes, matri alimenta negant, cuius ſanguine procreati, cujus lacte nutriti fuere.

Furtum vetitum eſſe confitentur, & apud eos infrequens eſt; niſi in aliquot paucis Tribubus, qui nullam aliam artem, quam latrociniorum profitentur: quorum hominum vitam ſi accuſes, accuſant ipſi Superos, à quibus in tali Tribu conſtituti fuere.

Inceſtum, & adulterium vulgo horrent, ſatiſque ſentiunt naturæ Legi repugnare: at de Polygamia, de matrimonii indiſſolubilitate non ita ſentiunt:

Viros

Viros ſingulos, quotquot ipſis libuerit Tribuarias uxores ducere, caſque ſimul retinere poſſe ſancitum eſt, quod fæminis ſtricto jure interdicitur: immo conceſſo naturæ Viro, Vidua nec in ipſo juventutis flore alteri nubere; nec etiam honeſto loco nata marito ſupervivere poteſt; ſed in eodem rogo, cum Viro concremari debet; & ſi renuat, ſæpius cogitur. Nobiliores acceptam ſemel nunquam dimittunt; cæteri vero omnes eas facillime repudiant.

Inter Tamulenſes Leges nullæ ſcriptæ habentur: at conſuetudines benè multæ ſunt, quæ vim Legis jam obtinuere; quaſque ipſi à maioribus ſuis acceptas ad poſteros religioſiſſime tranſmittunt: & licet in illis multa puerilia, minuta, nec honeſta, nec vel honeſtati contraria, ſed prorſus media; immo penitus inepta, & à recta ratione aberrantia ſint; tanti tamen illas æſtimant, ut populos, à quibus non obſervantur, barbaros, boni regiminis expertes, honeſtatis omnis inſcios, ac naturæ lumine deſtitutos appellare non vereantur.

Iiſdem conſuetudinibus jura omnia continentur; de quibus ſiqua, ut fit, incidat dubitatio, aut ſi lite aliqua contendatur; non apud Magiſtratus, Judiceſque conſtitutos, qui nulli ſunt, cauſa agitur; ſed vel ab electis utrinque arbitris, vel à Tribuum primoribus, vel à cujuſcumque Oppidi Præfecto, audita utraque parte, pronuntiatur; quorum ſententia

tiæ ſi alteruter ſtare noluerit, reſciſſis actis, liberum ei relinquitur, alium quemlibet adeundi; donec diſſidiis in dies reviviſcentibus, ad primarioſque Regni Miniſtros delatis, non tam ad juris regulas, quam ad auri pondus, quod ab utroque litigante extorquetur, cauſa dirimitur. In iis tamen, quæ conſtanti conſuetudine ſtatuta ſunt, non impune quis ab ea diſcedat; cum pœnæ graviſſimæ eas violantibus ſtatutæ ſint. Id quod Evangelii amplificationi non mediocriter officere dolemus: cum inter illorum Ethnicorum conſuetudines plurimæ ſint Eccleſiæ legibus contrariæ; Lex, verbi causà, ſtabilita, ut conſanguineam in primo gradu ducere compellantur.

Jam ut de Tamulenſium indole aliquid hìc perſtringamus, inferius enim multa dicenda nunc omittimus; videri poſſet eorum natura ex diverſis, interque ſe pugnantibus dotibus conflata; niſi aliquo, aut inanis gloriæ, aut utilitatis vinculo conjungerentur: Videas itaque paſſim illos hinc quidem in dando quaſi effuſe liberales; illinc in lucro quærendo avide ſollicitos; faciles in promittendo, in promiſſis violandis longe faciliores; in petendo importunos, & poſt beneficium acceptum parum gratos, ac memores; Veritatis indagatores, & ejuſdem, cum ſua intereſt, proditores, ac impugnatores doloſiſſimos; humanos, ac benignos,

immo

immo ſi timent, humiles, ac timidos; ſi prævalent, tumidos, ac feroces; ſobrios & in victu parcos, & tamen in luxum pronos; ſatis pacificos, ac minime ad forum contentioſos, ita ut ſi qua rixa forte exorta fuerit, procacibus conviciis, probris, dicteriis, imprecationibus, quibus lingua Tamulica ditiſſima eſt, abſolvatur, raro veniatur ad manus, ad homicidia fere nunquam, à quibus ſummopere abhorrent; & tamen adeo vindictæ appetentes, ut eam proprio exitio emant ſæpiſſime; nam quia in aliquibus præcipue Tribubus inviolabilis eſt conſuetudo, ut ſi quis injuria ab alio læſus in ſe ipſum violentas manus attulerit, ut ſæpe evenit, conſanguinei non ante deſiſtant, quam mors morte, ſanguis ſanguine compenſetur: ſæpe viri, ac mulieres, ſi injuriam propulſare nequeunt, voluntariam mortem appetunt eà ſpe, ut quantum ſibi ipſis nocuerunt, tantum hoſti poſtea noceatur.

Frugalitatem, ac ſobrietatem plurimi faciunt, & maxime colunt; Tribus aliquot carne pariter, & piſce abſtinent; aliæ utroque parce, modiceque utuntur: Oleribus paſſim victitant, ſitim aqua extinguunt; liquores omnes rationem turbare natos execrantur, ac prius exoptant tellurem ſibi dehiſcere, quam eos attingant. Vino tam ſibi interdictum putant, quam olim naſcentis Romæ temporibus vino mulieribus interdictum erat; tunc cum

Teſte

Teſte Tertulliano, aliiſque, judicio publico liber exiit Mecennius, qui Uxorem epoti vini ream occiderat: Bubula vero carne veſci peius eſt apud Tamulenſes, quam apud nós, canina, aut equina: adeo in his omnibus valet opinio, & inſtitutio.

Inter comedendum magnam habent curam, ut aptè, mundèque id fiat; ſed munditiei leges habent à noſtris longe diverſas: unde non committent, ne pueri quidem, ut manu ſiniſtra os tangant; aut manum in lances unà cum alio inferant unquam; multo minus ut cochleari utantur; quo Europæorum uſu mirum in modum illi offenduntur; poſtulat politior eorum urbanitas, ut Oriza cocta, & pingui butyrolenta plenis digitis, aut potius manu cavà ad os deferatur. Maxime contra decorum foret, poſt rem qualemcumque comeſtam, aut epotam manus non abluere; immo quacumque occaſione manu os tangatur, eam continuo lavare neceſſe eſt: nec ſolum cum immediate ad os defertur, quod turpiſsimum eſt; ſed etiam cum ſcyphum ad os detulit; tunc enim & ſcyphum, & manum abluendam eſſe, importunæ Tamulenſis munditiei leges jubent.

Non ſolum inter comedendum, ſed in aliis omnibus ſuo modo munditiem, ac nitorem ſectantur: Qui dentes, ac linguam ſummo mane purgare negligat; qui balneo frequenti non utatur; qui in

domibus; ac templis expuat, qui ſalivam quocumque loco, ac tempore manu tangat; qui linteum, quo nares emunxerit, però recondat; non ruſticum, & turpem, ſed ſordiſſimis, fœtidiſſimiſque animantibus ſimillimum judicant: qui aures non perforet, incultum, & infamem putant: Qui vero crine ſoluto incedat, Europæorum more, hunc aut alicujus mortui funus proſequi, aut luctum agere, aut cerebro male ſano eſſe cenſebunt: infinitos ejuſmodi uſus habent noſtris prorſus contrarios; quos omnes ſi commemorare velim, finem nullum facerem. Ex quibus omnibus quiſque facile intelliget, quo loco, & qua in exiſtimatione ſint apud illas Gentes Europæi, illi ipſi, qui noſtræ munditiei leges accuratius, concinniuſque obſervant: Hæc ſi inſolita alicui videbuntur, non minus mirabitur, quæ mox de eorum nobilitate, ac ſuperbià ex nobilitate ortà ſum dicturus.

Cap. VI.

De Indorum Nobilitate.

INdi Tamulenſes, aliique circumpoſiti, quatuor omnino diſtribuuntur in claſſes; quarum tres ſunt Nobilium, nempe Brammanes, Raji, & Xutres; ultima vero Ignobilium, nempe Pareæ.

Bram-

Brammanes primum occupant nobilitatis locum; poſtulatque in primis eorum dignitas, ut ſtudiis, boniſque artibus vacent: id quod olim ſumma cum laude, & totius orbis fama illos præſtitiſſe ſacri, prophanique Authores teſtantur. Certe tanta fuerunt doctrinæ celebritate, ut teſte Hieronymo, Apollonius non dubitaverit, Caucaſum, Albanos, Scythaſque longiſſima, diuturnaque peregrinatione pertranſire, & ad extremum latiſſimo Phyſſon amne tranſmiſſo, quem Gangem eſſe exiſtimant, opulentiſſima Indiæ Regna penetrare, ut Hyarcham in Throno ſedentem aureo, verba ſunt Hieronymi, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos, de natura, de motibus Siderum, ac dierum curſu audiret docentem: Hodierni Brammanes, quamvis litterarum ſtudiis dediti tam longo intervallo Veterum veſtigia proſequuntur, ut ſi Apollonius nihil ab Hyarcha illo vero, vel fabuloſo, aliiſque Brammanibus accepit, quam quod ab eorum poſteris nunc docetur, non admodum erat, quod tam longas peregrinationes ſuſciperet.

Alterum Brammanum officium eſt, ut rigidiorem, quam cæteri homines temperantiam obſervent: Fuere ex illa etiam parte inter antiquos celeberrimi, multotieſque in abſtinentiæ exemplum propoſiti Brammanes; nec à maiorum ſuorum inſtitutis ſunt hodicque degeneres; cum adhuc & carne, & piſce,

& ovis omnino abſtineant: At non ita verum eſt id, quod aliqui antiqui prodidere, eos uxores non ducere; niſi forte de paucis intellexerint, qui vitam Religioſam profitentur. Neque verius id quod exiſtimarunt multi, omnes Brammanes eſſe Sacerdotes, aut Cultui Divino peculiariter addictos, indeque ſuam excellentiam trahere: Siquidem prophanum illud ſacerdotium commune non eſt omnibus Tribubus, in quas Brammanes diſtinguuntur; ſed uni, aut alteri tantum, & quidem in inferiori nobilitatis gradu poſitis.

Poſt Brammanes proximum nobilitatis locum obtinent Raji: quamquam enim Brammanes negent, Rajos peculiarem ordinem conſtituere à Xutribus diſtinctum; contrarium tamen ipſi Raji mordicus defendunt; & Brammanibus concedentes, cæteris ſe longo intervallo nobiliores putant. Iſta Rajorum claſſis eſt omnium minime numeroſa, unaque Tribu conſtans; quæ tamen in varios ordines ſubdividitur: militari fortitudine celebris eſt; nihil vulgo niſi arma profitetur; in quibus adeo ſunt animoſi, ut in veſtigio mori ſciant, ſi neceſſe ſit, fugere neſciant; quod in cauſa eſt, cur à Principibus adhibeantur ad ſui, ſuarumque mulierum cuſtodiam.

Reliqui omnes nobiles Xutres appellantur; qui ordo numeroſiſſimus eſt; multaſque Tribus inæ-

qua-

qualiſſimæ nobilitatis complectitur; & unaquæque iterum in multos ordines diſpertitur; de quibus omnibus nihil dicendum occurrit ſingulare; niſi quod Tribus aliquæ ex Xutribus ingenii laude præ cæteris, immo & præ ipſis nobilioribus Rajis longe emineant.

Igitur nobilitatis ratio longe alia eſt apud Indos, quam apud Europæos: non enim ſatis eſt prolixa Avorum ſerie ab aliquo inſigni Magiſtratu, ſeu bellatore, ſeu Principe proſapiam ducere: armis, officiis maioribus poſſunt quidem apud Indos opes, poteſtates, fama comparari; obtineri nobilitas non poteſt: Neque penes Reges eſt, aut Principes ignobilem ex pulvere extrahere, nobilem efficere, titulis nobilioribus inſignire: nam ut apud nos regii ſanguinis Principes naſci oportet; Sic apud Indos nobiles omnes aut naſcuntur, aut nunquam fiunt. Res eſt Satyræ obnoxia in Europa nobilitatem pecunia comparari; comparatur tamen multis in locis; aut ſaltem comparantur dignitates, quæ hominem, poſteroſque nobilitent: Res ejuſmodi non modo inaudita inter Tamulenſes, ſed incredibilis, & ridicula in paucis videtur. Hìc mercatura, mechaniciſque artibus deperditur nobilitas; agricultura, & paupertate, ſi non deperditur, obſcuratur, & traducitur; ait enim Poeta, paupertatem nihil in ſe deterius habere, quam quod ridiculos homines

faciat:

faciat: Illìc nihil iſtorum: Tribubus pleriſque nobilibus non tamen cunctis, artes mechanicas admodum viles tractare licet, omnibus mercaturam, & agriculturam exercere: paupertas vero nihil omnino nobilitati detrahit; ſæpiuſque evenit, ut Brammen aliquis pannoſus, aut à ligone redux, aut à bajulorum grege, loto prius corpore accedat ad aulam regiam, locum ibi pro ſuo jure teneat Principibus æqualem, eos ne quidem ut æquales ſalutet; ab eis ut nobilior ſalutetur: Regi filiam ſuam licet pauperculam, & ob inopiam marito carentem, in uxorem non dabit; ab eo Scyphum aquæ, aut ullum obſequium admittere, ut pote à minus nobili nunquam dignabitur: miniſtrabit tamen ipſe libens Regi, eique ſæpe abiecta obſequia exhibebit; cum eę ſint nobilitatis leges, ut non ſit contra dignitatem alteri ignobiliori ſaltem in aliquibus miniſtrare; Sit vero maxime indecorum viliorem habere in pleriſque officiis famulum, ac miniſtrum: In quo illud præterea ineptum videri poteſt, ut quo quis nobilior, eo miſerior ſit, qui tanto pauciores habere poſſit miniſtros; tantoque magis ipſi famulari, ſuam Orizam coquere, ſibi e fonte aquam, e ſtagno providere teneatur.

Quæ nobiliſſimæ ſint Brammanum familiæ, non ſatis conſtat, plurimis hanc ſibi laudem vindicantibus; ſicut & aliæ inferiores Tribus, quæ etiam inter

ſe

ſe de nobilitatis loco ſæpius contendunt: At in eo mirifice conſentiunt, quod omnes quotquot extra tres illas Brammanum, Rajorum, & Xutrium claſſes nati ſunt, etiam ſi purpura fulgeant, Sceptrum manu, Coronam vertice gerant, tanquam homines ignobiliſſimos præ ſe deſpiciant: Itaque Europæorum ingenia mirantur, fortitudinem laudant, Mogorenſium poteſtatem timent, proptereaque cum illis tantisper de ſuo ſupercilio remittunt; ſed eos reipſa plenis buccis infames vocitant, ipſiſque ſuis Pareis æquales cenſent.

Parcę appellantur Tamulenſes, qui ex neutro nobilium ordine nati fuere: mirum autem quo ſint in contemptu, & quo faſtu cum illis infimæ ſortis hominibus agant; veluti ſi eorum ignobilitas contagii haberet aliquid, ſic eos devitant. Nec Pareæ licet propius ad nobilem accedere, nec nobili Pa-ream ad ſe propius avocare: ſi quid inter utrumque negotii ſit, eminus alloqui neceſſe eſt: Incedenti nobili ſi occurrat ignobilis, imperioſo vocis ſono de via decedere procul, aut ſi anguſta ſit, retrocedere admonetur. Si caſu aliquo Paream tetigerit nobilis, lavat diligentius, quam ſi immundiſſimis ſordibus manus commaculaſſet, & multis repetitis lotionibus vix elui tale inquinamentum cenſent: Intra nobilium domos, immo & domorum ſepta Pareis aditus nullus patet, ſicut nec ad Parearum

domos

domos licet nobilibus accedere: Quæ lex ſi violata fuerit, uterque graviſſimas dabit pænas: nobilis æternum ſuæ dignitati, ſuæque familiæ dedecus intulit; Paream vero manent, & pecucuniariæ mulctæ, verberaque ſæviſſima. Multo magis ſi quis cum Parea comediſſet, ille Pareà ipſo prope vilior judicaretur: prius vero quam ab ejus manu aliquid è vetitis miniſteriis accipiant, mille mortis genera ſubirent: tanta eſt nobilitas apud eos amentia: quid, quod nec in ipſis nobilium pagis Pareæ habitare ſinuntur; ſed veluti leproſos olim procul à cæteris commorari neceſſe erat; ſic iſti domos ſuas extra pagos habere compelluntur, idque vulgo ad Orientem, ut nobilium Oppida Sole ad occaſum vergente ne umbrà quidem Parearum conſpurcata remaneant uſque ad diem ſequentem, in quà ſerotinis ejuſdem Solis radiis à matutinæ umbræ ſordibus expiantur: vel potius ne exhalationes noxiæ, ſpurciſſimorumque hominum vapores à ventis ibi ſæpe ab Occidente afflantibus deportati ipſa nobiliorum Oppida inficiant. Neque hìc conſiſtit nobilitatis furor, niſi eum ad Aras uſque conferrent: licet enim patiantur nobiles eadem, quæ ipſi colunt Numina à Pareis adorari; illis tamen nec in Templa, nec in Templorum ſepta ingredi, neq; ad ea niſi longo ſpatio accedere permittunt; neque dignos judicant, qui à magiſtris nobilibus edoceantur.

Fruſtra

Fruſtra conetur aliquis tam ineptam eorum ſane ſuperbiam, inaneſque illos nobilitatis fumos comprimere: nam cum opiniones illas à teneris annis in eorum mentibus inoleverint, cum in eo non eruditi, ſed nati fuerint, eaque aſſueverint evidentiſſimorum principiorum loco habere; rationem non audiunt; vixque ipſa Religio talia præjudicia aliquo pacto emendare poteſt: & quamquam rationem audiant; quamquam Religione docente manſueſcant; ſervandæ tamen preſentibus ſaltem Ethnicis tales leges, quæ violari nequeunt, quin & nobilis infamis fiat, & Parea fortunarum, ipſiuſque adeo vitæ periculum adeat.

Cap. VII.

Quos Deos agnoſcant Tamulenſes?

VT Atheos omittam, qui in illis terris majori quondam fuere numero, nunc ſunt pauciori; illud de reliquis fere omnibus affirmari univerſim poteſt, agnoſci ab eis unum aliquod Numen Supremum; de quo tamen non una eſt omnium ſententia: Nam primo quidem ſunt aliqui *Nhanes* dicti, ideſt, Spirituales, qui Deum illum intra ſe, non extra, habitare contendant, eumque putent, cum totus ſit ſpiritus, ſpiritu tantum, non vero ex-

teriori ullo cultu eſſe adorandum. Interior ille cultus quem Deo exhibent, fanaticum neſcio quid habet: Videas illos interdum perinde ac ſi Divini Numinis afflatum ſentirent, halitum repente cohibere, vultum, ac colorem mutare, anhelo, ac tumenti pectore ſuſpenſos; denique Energumenis ſimiles in Deum rapi, idque tanto cohibitæ reſpirationis conatu, ut aliquando ſuffocentur; ſed ſi minor fuerit impetus, paulatim ad ſe ſe redeuntes magis homines fiunt; immo minus quam homines, cum ſæpe poſt illos pietatis furores belluis ipſis pejores evadant: id quod tanto liberius, & audacius, quod in ſe ipſis Deum agere, aut ab inhabitante Deo impelli ſe exiſtiment: Cui proinde quidquid boni agitur referendum ſit; quidquid vero mali, licet eodem ipſo numine movente fiat, ei tamen tribui nolunt; ſed ipſi homini, ut ita dicam, denominative; vel id quod alii delirant, magiſtro, qui talem legem docuit diſcipulum, à quo futurum erat, ut non obſervaretur. Cæterum contemnunt iſti, ac irrident Idola omnia, nec Templis aſſiſtunt, aut feſtis interſunt, niſi ut prophano ſpectaculo; in quo non tam paſcit oculos pompæ magnitudo, quam riſum illis movet populi ſimplicitas, qui exiſtimat tali apparatu Deos honorari; de quo etiam Ethnicis inſultant: Sed contigit non ſemel, ut cum ſe dicteriis acrius pungi ſentiant alii, & dicteriis mutuis,

&

& quod peius eſt, pugnis, fuſtibus, dicteria retorqueant.

Alia eſt ſecta hominum, qui ſe pariter, ſed alia ſignificatione, *Nhanes* dicunt, ideſt, ſcientes; quo nomine non prorſus indigni cenſeri poſſunt; cum & Deum unum eſſe, & ubique eſſe; eumque tum interno, tum externo cultu colendum aſſerunt; quæ ſecta licet non multorum, omnium tamen optima eſt: Idola deteſtatur, eaque non pluris æſtimat, quam illud ipſum metallum ex quo conflata ſunt.

Plerique alii ita unum Deum admittunt, ut tamen & alios Deos inferiores agnoſcant; haud ſecus ac impuri Valentiniani, qui Proarchen unum omni humana cogitatione ſuperiorem admittebant; qui proinde res humanas nec curare, nec miſeros homunciones reſpicere dignaretur; & infra illum alios longo ordine Æonas: Sic fere, & Tamulenſes aiunt, Primum Ens ſic noſtras ſuperare cogitationes, ut cum illi colendo longe ſimus impares, ſatis ſit hominibus ſi alios inferiores colant Deos, quibus res noſtræ curæ ſunt, quique nobis propitii eſſe poſſunt; ſive ſua ipſorum poteſtate petita concedant, ſive ſint apud ſummum Numen interceſſores, ac patroni. Comentum hoc à multis annis populo ita inculcant *Nhanes* alii, ideſt, peritiores, illumque adeo in ſuam ſententiam pertraxere, ut in maxima Indiarum parte altum ſit ſilentium de Deo Uno;

 quem

quem veterum Tamulenſium monumenta colendum proponunt.

Verum Deos illos non unum, aut alterum, id quod nimio plus jam fuiſſet; non triginta ut Valentinus; non trecentos ſexaginta quinque, ut Baſilides; ſed plures quam olim & Græcia finxerit, & ſuperſtitioſa Ægyptus adorarit, & Roma quondam tolerarit; immo & quam omnes ſimul gentes, credo, coluerint: Deorum inferiorum agnoſcunt trecenta triginta millionum millia; & quaſi exiguus numerus ille foret, eſſe volunt præterea octoginta Pœnitentium millia, qui longa annorum ſerie ſeveriſſimam egerint pœnitentiam; eàque parem, immo ſuperiorem Diis potentiam conſecuti fuerint.

Inter tot falſa Numina, aliqua, ut jam innuimus, aliis ſuperiora, & maiori in veneratione ſunt: tria in primis Brummà, Vixnù, & Rutren; primum Creatorem, ſecundum Conſervatorem, tertium Deſtructorem eſſe fingunt: Tres illos Deos volunt ex una, eademque matre natos fuiſſe, quæ Parà Xatì nuncupabatur, quodque nomen ſummam potentiam ſignificat; Brummæ addicti ſunt præ cæteris Brammanes, qui ab ejus pectore ſe prognatos eſſe gloriantur: fatentur tamen ejuſmodi gloriam in tam nobili proſapia fœdiſſime deturpari, Deique ſui maieſtatem turpiter deformari infortunio, quod

ei

ei obtigit, ſatis indecoro; & à ſcientiarum, ut aiunt, magiſtro non prævifo; quodque tanto Indiarum Deo in omne tempus graviſſimum damnum intulit: Cum enim inferiorum Deorum unus in jurgio quodam Deo Brummæ imprecatus eſſet, ut nullum in toto Indiarum tractu Templum haberet, nullaque ſacrificia, imprecatio effectum ſortita eſt; proindeque nulla ipſi Deo in omnem poſteritatem extructa ſunt Templa, nullum ſacrificium factum, nullave victima litata.

De Vixnu narrant illum multoties varia induiſſe corpora hominis, mulieris, leonis, teſtudinis, ſerpentis, ſimii: addunt fore, ut ſub mundi finem Equus fiat. De Rutreno ſimilia aſſumpſiſſe corpora ſomniarunt: in quorum uno poſtquam ſummam omnium, & primam rerum cauſam per integram fere annorum myriadem in aperto aere, inque toto terrarum orbe inveſtigavit; ea ibi minime deprehenſa, ut ſaltem in barathro illam aſſequeretur, ſuinum induiſſe corpus, roſtroque terram ſuffodiente in profundiſſimas telluris latebras penetraſſe ferunt; irrita etiam hac tam inepta Primi Entis diſquiſitione. Sic vero illas, ſi in tam ridiculis, & prophanis commentis ſanctiſſimo Verbo uti fas eſt, incarnationes deſcribunt, ut Deorum, quos corporeos fingunt, corpora, in aſſumptis corporibus reciperentur; & iſta à Diis agerentur, ab iiſque motum

acci-

acciperent. Cauſas vero tam multiplicium metamorphoſeon, ob quos varia etiam ſortiti ſunt nomina fabuloſi illi Dii, aut ridiculas, aut obſcænas comminiſcuntur; quales Pſeudo-Deo Jovi fuere, cur Taurus, Aquila, & Amphitryo fieret.

Suos habet adoratores Vixnù, ſuos Rutren; eaſque duas in factiones tota India diviſa eſt, quæ ſibi inimiciſſimæ ſunt, ſeque mutuis conviciis proſcindunt, execrantur, diriſque omnibus devovent: felix Deus cujus partibus favet Princeps; qui ſæpe erecta ab anteceſſore Templa illorum uni everti, & alia in alterius honorem jubet extrui.

Quæ fuerit Deorum illorum origo, & utrum illis quæ dixi, ſuperſint adhuc ſanctiſſimorum noſtræ Religionis Myſteriorum veſtigia, doctioribus examinandum relinquo. Illud omittere non poſſum, mihi certum non eſſe, id quod alicubi legiſſe me memini; tres illos Deos unica tricorpori figura depingi, aut Unum, Trinumque Deum appellari: addo & veriſimillimum eſſe, multos ex illis Diis homines extitiſſe; idque exemplo notiſſimo comprobatur: Vivebat ante paucos annos Rex Madurenſis nomine Xoccanadanayquen, hujus quæ nunc gubernat Mangamalis conjux, non dignior Cœlo, quam multi Cæſares in Deos relati: Poetæ qualiacumque ejus facta mendaciſſimis hyperbolis amplificavere: acceſſit paulo poſt currus triumphalis, quo

veluti

veluti Deorum, ſic & ejus ſtatua circumferretur; poſtea Templum etiam habuit: ac denique vel jam Deus eſt, vel ad Divinitatem hoc unum illi defecit, ut hominem fuiſſe populus obliviſcatur; id quod paucos intra annos apud gentes, quæ nulla vetuſtatis habent monumenta factum iri non dubito.

De Pſeudo-Diis illis infinita narrant Indi, quorum aliqua ex Sacrorum Librorum hiſtoriis petita, ſed mille ineptiis mirum in modum deformata videntur; quotidieque lucroſo mendacio novæ fabulæ confinguntur; in quibus tum veteribus tum novis commentis ea multa ſunt, quæ imprudentiæ, inſcitiæ, injuſtitiæ illa Deorum monſtra arguant, immo multis criminibus furtis, odiis, homicidiis, perjuriis, adulteriis, inceſtibus, & quidem cum propria matre, infandæ cum belluis Veneri obnoxios fuiſſe abſque pudore ullo confitentur, & in Deorum hymnis modulantur: Quæ ſuæ Religionis probra cum illis objicimus, contendimuſque Deos non eſſe, qui talia perpetrent, quæ ſi homo aliquis commiſiſſet, omnibus ſuppliciis dignus judicaretur; non alia exceptione utuntur, quam non eſse Divina ex humanis metienda; hæc quæ in hominibus ſcelera eſsent graviſſima, in Diis ludos eſse, & quaſdam relaxandi animi oblectationes: quo honeſto rei propudioſiſſimæ vocabulo Deorum ſuorum dedecora contegentes

gentes ea ſolemni feſto celebrant; eorumque veſtigiis inhærentes peiora perpetrant.

Simulacra Diis erecta, non eodem ſunt apud omnes in pretio: Vidi qui illa non pluris æſtimarent, quam illud ipſum metallum ex quo conflata ſunt: Vidi ingenti cum voluptate, qui illa calcibus impeteret: Vidi qui illa dicerenr adhibenda tantum in humanæ imbecillitatis ſubſidium, ut ex illis figuris ad ſuperiora aſsurgeret animus: Sed ſtolidum vulgus hæc velut ipſos Deos colit; nihilque præter illud, quod oculis videt, manibus palpat, oleo inungit, Divinitatis ſuſpicatur: quod ſine ingenti doloris ſenſu nec videri, nec commemorari poteſt; ut exclamare libeat cum Propheta; Similes illis fiant, qui gloriantur in eis.

Cap. VIII.

Quem cultum Diis ſuis exhibeant Tamulenſes.

NIhil hìc de interiori cultu dicam, cum ex exteriori ſatis æſtimari queat; neque omnia quæ ad exteriorem cultum pertinent, proſequi mens eſt; eo quod aliàs Deo bene juvante, Indorum Religionem accuratius enarrare cogitem; nunc ſum-

ma

ma rerum faſtigia ſequi ad propoſitum noſtrum ſatis erit.

Illarum gentium ſimulacra contemplanti dubium merito ſupervenire poteſt, num potius monſtra inſolentiſſima effingere voluerint, quam Deorum ſtatuas efformare: adeo ſunt horrendis modis configurata, & undique collatis partibus male coagmentata. Sæpe humano capiti corpus ferinum, ſæpe ferino capiti corpus humanum ſupponunt: huic brachia & quidem quatuor, aut plura, illi alas, alteri rictum, caudam, variorum animalium pedes turpiter adjungunt: talia denique ſunt Indorum ſimulacra, ut ſi ſubito animata per vicos diſcurrerent, cunctos horrore, metuquę perterritos in fugam verterent.

Collocantur ſtatuæ illæ ex lapide interdum, ſæpius ex metallo factæ, tum in viis publicis, tum præſertim in intimis Templorum penetralibus; quæ Templa ſic fere ſunt diſpoſita: Satis amplum agri ſpatium extra, vel juxta Civitatem muro circumdatur: ad quatuor murorum angulos, quatuor plerumque aſſurgunt turres; quæ ſi defuerint, una ſaltem aſſurgit, quæ eſt januæ maioris loco, in medio unius è quatuor muris: ante januam patet aquæ receptaculum ſæpius magnificum, quo ſe ingredientes abluant: Janua ipſa introeuntibus occurrit ſtatim atrium aliquod, quod *Mandabam* vocant, cujus

tectum multis, & aliquando mille columnis ſuſtentatur, reliqua ſui parte undequaque patens: eſt illud atrium primum à Templi fabrica diviſum; ſed ex illo, & trans illud ex prima janua liber eſt in Templum proſpectus, immo & in Templi adytum; ita ut ſi portæ omnes pateant ex ipſa prima janua Statua Dei, aut ut cum Madurenſibus Neophytis loquar, Dæmonis, cerni poſſit. Templum ipſum duas in partes diviſum eſt, veſtibulum, atque adytum: Veſtibulum, quod *Cerpamandabam* vocant, ſpatioſius eſt, tribuſque tantùm parietibus, ac tecto conſtans, ut ab atrio primo in illud aſpectus pateat. Sequitur adytum ipſum Templi muro, ac janua à veſtibulo diviſum: in intimo illo receſſu poſita eſt Statua in loco tali incola digno; quippe tam obſcurus eſt, ut tenebrarum domus merito dici poſſit, tam depreſſus, & anguſtus, ut carceri, & antro, quam Templo ſit ſimilior; denique oleo, quo quotidie Statua illinitur, tam fætidus, tamque turpis efficitur Deus, & ejus domus, ut infernum aliqua ex parte referant; licet reliquæ Templi partes, & præcipue primum atrium, ac turres, ſint interdum ſubſtructione ſuperbæ, affabreque elaboratæ.

Circa ædificia illa, ſed intra exteriores muros viſuntur domunculæ aliquæ Uxoribus ipſius Numinis, quod in Templo colitur, Diiſque aliis dicatæ; in quibus illorum omnium ſtatuæ propudioſiſſima

forma

forma ſunt expoſitæ: Nec deſunt ibi etiam ædiculæ, in quibus Taurorum, Suùm, Muriumque figuræ ex lapide videntur, & quibus animantibus Dii ipſi equitaſſe, & adhuc equitare fingunt: Habetur etiam in ipſo Templo Culina ubi dapes Deo offerendæ condiuntur: namque ſimulacra illa appoſitos cibos vel comedere, vel ſaltem delibare plebs male credula exiſtimat: Itaque illis ſua Oriza, ſua Olera, ſuæ Carnes, uti Belo quondam, eodemque fere ſucceſſu, in lato Ficùs Indicæ folio humi apponuntur; & quibus poſtea ſublatis Sacerdos ſe ſuoſq; ſuſtentat.

Templa illa celebriora ſaltem, ſuos habent Æditiuos, Tibicines, & quod animus horret dicere, etiam meretrices, & quos ipſæ alliciunt perditos homines; qui omnes diebus ſingulis ſtatuto ſacrificii tempore inſtrumenta pulſare, choreas ducere, ad numeros vocem flectere, carmina geſticulari, aliaſque propudioſiſſimas cantillenas, ac tripudia verbo, & actione coram Diis ſuis peragere ſolent: nempe, habent labra lactucis ſimiles: Diis tam pudendis tam pudenda etiam tripudia quid ni conveniant? Omnes illæ mulierculæ Templis addictæ cõmuni vocabulo ſeruę Dei nuncupari conſueverũt: tales enim Deos decebãt tales famulæ: Ex quibus aliquæ impuriſſimos illos Deos ad ſe noctu venire ſimulant: Ex qua verecunda opinione lucrum ingens turpiter conficiũt: Cum enim mulierculæ illius pre-

 ces

cẽs apud illud fictum Numen valere plurimum, ab coque facile, quidquid illa velit conſequi exiſtimetur; multa ei dantur munera, vel ut futura à Deo reſciat, vel ut aliquod ab eo beneficium impetret. Cæterum illis omnibus Templi incolis, ac turpiſſimæ Dæmonis familiæ, immo vero mille, & amplius Brammanibus ex ipſius Templi reditibus, qui certis in locis ſunt ſane opulentiſſimi, ſingulis diebus abunde ſuppeditatur, quo vita ſuſtentari poſſit.

Populorum illorum erga Deos ſuos Religio Sacrificiorum celebritate nulla maior; nulla cujus Dæmonis ſuperbia ſit appetentior: Illi abunde ſatiſfactum eſt in infortunatis illis Indiarum regionibus: quippe in earum multis non ſolum opulenta, operoſaque ferculorum affluentia ei publice in Templo à Sacerdotibus; verum etiam privatim in ædibus ab unoquoque cui lubet infinita prope ſacrificia offeruntur; ita ut in una Maravàrum Provincia annis ſingulis intra decem Januarii dies undecim, & amplius hœdorum millia ad Regii Palatii fores Laribus Diis immolentur: Et quaſi Dæmoni ſordeant jam tam communes victimæ, petit interdum, aut certe petere illum dicunt, ut ſibi ſericis, vel picturatis pannis, aut etiam dulciariis eduliis, & quod magis eſt, humana victimà litetur; quod & per ſummum flagitium conceditur: nec deſunt, qui ſibi ta-

lem

lem ſortem tanquam optatiſſimam poſtulent; interea dum cordati alii eam, quam maxime poſſunt, evitant.

Solemnior adhuc dierum feſtorum Religio, quæ pompà ſane magnificà celebratur; ita ut ſine ſummo dolore videre nequeamus execranda Deorum portenta tam immeritis honoribus affici; interea dum Vero Deo vix in tenebris, in ſylvis à tam paucis adoratoribus debitus cultus perſolvitur: Educitur ergo in feſtis ſolemnibus ex antro ſuo ſimulacrum, & currui triumphali jam ante diligenter exornato circumvehendum imponitur: Currus ille omnino quadratus eſt, & quinque rotis volvitur; quarum quinta in medio aliarum quatuor, & veluti in centro currùs collocatur: In varia tabulata diſtinguitur mobile illud Dæmonis Solium: in primo quod eſt rotis altius, vehitur commemorata jam Idoli familia, Sacerdotes, Tibicines, Meretrices, militeſque aliquot: quid ibi à talis farinæ hominibus & dicatur, & fiat, me ſilente, ſatis quiſque conjiciet, palmam ferre, qui propudioſiſſima & loquatur, & agat: ab ipſo tabulato conſurgit in acutum pegma altius, ubi Idoli thronus viſitur inter columnas ſexdecim, cujus tectum pulcherrimæ, latiſſimæque umbellæ ſimile innititur, quoque non Idolum modo, ſed totus currus contegitur, & inumbratur: Coronidis loco ſuperimponitur faſti-

gium

gium in varias contignationes diviſum; quarum ſingulæ ſuis columnellis varie ſuſtentantur; donec totum opus in pyramidem deſinat: Summo pyramidis globo impoſita demum eſt umbella Idoli vertici imminens. Itaque currus ille ſæpe eſt centum pedes altus; totuſque collucet floribus apte, concinnèque diſpoſitis, ac varias figuras referentibus; pannis etiam diverſicoloribus, multo, operoſoque auro, & gemmis gratiſſimum ſpectaculum præbentibus, eleganter expolitus nitet.

Fatalem machinam plebs infinita fune, aut potius rudenti longiſſimo trahere gaudet: Operi præſunt Præfecti, funi ipſi incedentes, & pergere, & ſiſtere jubent; interea dum feſtis cantibus aer perſonat, ingenti molimine, lentoque greſſu procedit ſuperba turris: offeruntur identidem ſacrificia, præſertim ſi caſu moveri currus nequeat, ſeu fabrorum fraude, quibus cedunt victimæ, quæ ad omen avertendum immolantur: Nec deſunt, qui amenti pietate ſe ipſos immolent, ſeſe ultro rotis obterẽdi ſupponentes; quorum virtus ad aſtra uſque extollitur, & ingenti circunſtantis populi plauſu conſecratur: tantum potuit ſuperſtitio ſuadere malorum.

Cap.

Cap. IX.

De reliquis Tamulenſium ritibus.

SAcrificia quæ momoravi, multæque præterea expiationes variis ritibus peraguntur, qui in nonnullis verſuum libris, veluti ceremonialibus continentur. Ex illis verſuum libris tres ſunt maiori in pretio; quos ita ſibi vindicarunt Brammanes, ut illis ſolis eos addiſcere liceat; quoſque communi nomine *Vedam* appellant, ideſt, verbum eſſentialiter verum. Quatuor olim fuiſſe ejuſmodi libros memorant; ſed quartum neſcio quo caſu amiſſum periiſſe; ideoque *Cannàda Vedam* dictus eſt: Qua recepta apud eos opinione utentes, quemadmodum olim Gentium Apoſtolus ignotum Athenienſibus Deum verum unicuique Deum eſſe perſuadebat; ſic nos hanc, quæ amiſſa eſt, veri Dei colendi rationem, non aliam eſſe contendimus, quam quæ à Chriſtiana Lege docetur: ſed id non ſine invidia dicimus, Ethnicis moleſte ferentibus, nomen illud *Vedam* noſtræ Religioni arrogari, & tali nomine cohoneſtatam populo tradi.

Sunt præterea duodecim alii verſuum libri; qui ab omnibus addiſci poſſunt, quique dicuntur *Madangal*, ideſt, Sectæ. De libris iſtis magnæ ſunt

inter

inter Indos controverſiæ; cum iſti iſtos admittant; reliquos omnes ut perverſos, & ſiniſtra dogmata continentes reprobent; alii vero ut optimos, & rectam morum rationem præſcribentes defendant, cæteroſque oppugnent: contra quam tres libros *Vedam* dictos licet inter ſe pugnantes, unanimi conſenſu admittant, & venerentur.

Illa verſuum farragine innumeræ ceremoniæ, & ritus præſcribuntur; formæ ſcilicet ſacrificiorum, expiationum, aliorumque bonorum operum, quæ variis in occaſionibus, vel ad certa beneficia obtinenda, aut ſiniſtra omina avertenda, ac procuranda, aut deperditam nobilitatem recuperandam, aut expianda peccata, neceſſaria omnino eſſe lege ſancitum eſt. Quæ omnia ad populorum ſalutem referri inculcant Brammanes; cum re ipſa non populorum commodo, ſed utilitati ſuæ in iis omnibus illi unicè ſtudeant; ideoque venales, & nummarias leges illas ex uſu ſuo interpretantur, propriiſque commodis omnia metiuntur.

Cæterum ex ipſius legis præſcripto ad peccata delenda, beneficiaque à Diis obtinenda nil frequentius ignaræ plebi perſuadent Brammanes, quam eleemoſinas ipſis Brammanibus faciendas; arbores in viis publicis plantandas, ad æſtivum calorem umbroſa fronde iter facientibus leniendum; foſſas etiam pergrandes excavandas, ad aquam pluvialem

exci-

excipiendam, quà peregrini ſitim reſtinguant; tentoria, aut hoſpitia illis ipſis peregrinis extruenda, Templa certis aliquot diebus viſitanda; aliaque ſimilia; in quibus veræ pietatis minima, philoſophicæ virtutis maxima ſunt documenta. Sed ad peccata expianda nihil communiori uſu receptum, quam balnea; præcipue Lunæ, aut Solis deficientis tempore in mari; vel etiam certis Syderum aſpectibus in ſanctioribus ſtagnis, quæ ſunt ibi celeberrima; & à quibus ſe adhuc animo, quam corpore puriores emergere exiſtimant.

Ea omnia, aliaque ejuſmodi præcepta religioſe obſervantibus ſua merces proponitur, negligentibus ſua pæna: Nam primo quidem cum Metempſichoſim Pytagoricam admittant; in recte factorum præmium ſperant, ſe in hominum divitum, nobiliorum, Principum, Regum, Brammanum corpora migraturos: Si vero ſcelerate vixerint, vitiiſque immerſi è vivis exceſſerint, contraria prorſus timent, ne pauperes, ignobiles Pareæ, immo ne animalium corpora animæ ſuæ informare cogantur: Illas alternationes alii æternas fore dicunt; ii nempe qui mundum in perpetuum duraturum aſſerunt; alii finem aliquando habituras; tuncque impiorum animas ſuppliciis addictum iri æternis, ut plurimi affirmant; aut certe prope æternum duraturis; donec anima pænarum vi extenuata in nihi-

ſum redigatur. Juſtorum vero animas cum Deo, cujus ſunt particulæ, unitum iri, & felicitatem conſecuturas, Brammanes quidem à Brumma, alii ab aliis Diis, & maxime à Devendiren, qui gloriæ Deus cum ſit, beatitudinem hominibus impertitur, eamque corpoream, ac turpiſſimam.

Ad illam, quam dicunt felicitatem, conſequendam, quid non efficiunt excæcati illi populi? Quo Religionis ſenſu ſacrificia offerunt; quo ſtudio feſta ſua celebrant; qua reverentia Templis ſuis aſſiſtunt? tanta certe, quæ Chriſtianos pudore ſuffundere debeat, qui erga verum Deum minus reverentes ſunt, quam erga lapidea, aut ærea ſigna infortunati illi populi. Sed quid dicam de pænitentiæ rigore, quem exercent eorum aliqui; multi quidem ad extorquenda munera; plures adhuc ut plauſus hominum, famamque conſequantur: at aliqui quantum de rebus internis, ſolique Deo plane cognitis, judicare poſſumus, illud unum ſpectare videntur, ut Diis ſuis placeant, eorumque gratiam luculenter ineant: Sunt qui duobus pedum pollicibus alligari ſe jubeant, ſicque prono vertice penduli, diebus ſingulis tres horas Idolorum laudes canendo jejuni perſiſtant: Alii id ſibi aſſumunt pænæ, ut contractos in pugnum digitos teneant, nunquam ad actiones quamtumvis neceſſarias manus aperiendo; ita ut creſcenribus decurſu temporis unguibus manuum

volæ

volæ perforentur. Alios vidi qui a tenera ætate manus in Cælum porrectas nullo fulcro tenerent; eoque in habitu dies, noctesque continuarent; donec nervi ex tali ſitu obrigeſcentes, callum ſic obducerent, ut, nec ſi vellent brachia poſtea demittere, id nunquam poſſent. Vidi qui circulum, aut potius orbem ferreum collo circumferret, cujus diameter ſex palmorum erat, ita commiſſis, ac malleatis ab ipſo fabro fibulis, ut talem torquem deponere ipſi Pænitenti liberum non foret.

Multi vitam ſolitariam deſertis in locis profitentur, ut ſolis ſylveſtribus fructibus, aut lacte aliquo, ſi forte Paſtores illis dederint, vitam miſerrimam utcumque ſuſtentent: qui omnes ſua illa vitæ auſteritate ſummam apud populos venerationem conciliant, ac prope adorantur. Inter illos ſunt & fucati Pænitentes aliqui, qui tam rigoroſæ vitæ fructus eleemoſinas, & ſanctitatis opinionem conſequi velint; at pænitentiæ labores in ſe nolint ſuſcipere: Satis habent eos in ſpeciem ſimulare: quorum in numero cenſendi ſunt Rhizophagi illi, qui radice quadam, quæ comeſta famis ſenſum ad aliquot dies tollit, utentes, ſe nihil prorſus comedere gloriantur; quam fraudem mihi ipſi confeſſus eſt unus, qui poſtea Chriſtianus factus eſt.

Hac arte uſus eſt Hypocrita celeberrimus, qui ante aliquot annos in Regno Madurenſi, ſimulata

illa ciborum omnium prorſus abſtinentia, veluti è Cælo delapſus, & homine maior habebatur: obſervatus eſt plures dies, & re ipſa nihil comedere deprehenſus fuit: tum ubi obſervari deſtitit; deſtitit & abſtinere, procurantibus illi cibos occulte fidis diſcipulis, qui in partem veniebant ampliſſimæ pecuniæ, quam fraudolentus abſtinens colligebat: & ne dolus appareret in ipſo urbis ſtagno, ad quod illi ſoli ob inſignem Sanctitatis famam corporis lavandi gratia licebat accedere, ventrem exonerabat; quod & illi exitio fuit: animadverſæ ſunt ſemel atque iterum ſordes ſupernatantes; ſtatim in hominem fit impetus; conjicitur in carcerem, fuſtibus egregie dolatur, orbatur oculis, aſino obverſim impoſitus urbem circumducitur, tanto maiora à populo ludibria excepturus, quanto maiorem illi honorem ante habuerant.

Cap. X.

De ingreſſu PP. Societatis JESV in Regnum Madurenſe.

DUm Tamulenſes Indi in ſupramemoratis falſæ Religionis tenebris, & umbra mortis profundiſſime jacerent; Luſitani à centum & decem

circiter

circiter annis facultatem obtinuerunt à Rege Madurenſi Templi in mediterraneis illius Regni partibus extruendi; ut in eo Religionis ſuæ officia obire poſſent Chriſtiani, qui ex Oris maritimis in interiores terras comercii cauſa ventitabant. Templo illo in ipſa urbe regni primaria erecto, eò miſſus eſt ex Ora Piſcaria Sacerdos unus è Societate noſtra ad Sacramenta illis adminiſtranda: qui tanto alacrius advolavit, quod ſperabat ſuam in ea urbe commorationem non ſolum Luſitanis, & Indis Chriſtianis à littore maris venturis profuturam, ſed etiam in meditullio oſtium apertum iri, quo multi Ethnici illius Regni in Chriſti Ovile introirent. Illum ſpes ſua ex parte iſta fefellit. Nam cum nullam haberet gentis notitiam, & Luſitanis, atque Oræ maritimæ Chriſtianis neceſſario aſſueſcere deberet; neque modum agendi Europæis uſitatum, aut veſtem exuit, neque cum Indis Indum induit: quo factum eſt, ut utilis quidem fieret Chriſtianis exteris, at indigenis prope inutilis. Eundem vitæ tenorem ſecuti ſunt ejus ſucceſſores non feliciori exitu; quandoquidem ſeptuaginta annorum ſpatio, quo tali in habitu, vitæque tenore perſeverarunt, nonniſi pauci ex infima plebe Fidem accepere.

Eo in deſpectu à decem circiter annis res Chriſtiana in Regno Madurenſi jacebat; cum eo ingreſſus eſt is, quem noſtrarum Miſſionum Fundatorem

agno-

agnoſcimus P. Robertus de Nobilibus Politianus; in quo gentis ſplendorem ſuperabant alia quamplurima virtutum, ac ſcientiæ ornamenta: Erat quippe Theologus inſignis, prudentia admirabili, conſtantia, quæ ab ipſis adverſis animum ſumeret: denique vir magnis rebus ſuſcipiendis, & porro perficiendis natus: Ille ſtatim ad linguas animum adjecit; Tamulicam improbo, ſed felici labore didicit; ut probant præſtantiſſima, quæ in ea lingua cõſcripſit, opera; ſuperſtitiones, ac fabulas Indorum penitus introſpexit, eorum conſuetudines, rituſque cognovit: & ſimul aggreſſus eſt explorare cauſas, cur tam exiguos progreſſus eatenus feciſſet Religio Chriſtiana inter illas gentes, quæ Evangelio amplectendo aptiſſimæ eſſe videbantur; facileque pro ſua ſagacitate intellexit, non aliunde oriri illarum terrarum ſterilitatem, quam quod Divinum ſemen ab iis ſpargeretur, quos ſummo in contemptu haberent Indi; Foreque ut ſi Fides annuntiaretur ab iis, qui Europæi eſſe non viderentur, quique conſuetudinibus Indicis ſe ſe accommodarent, meſſis ampliſſima colligeretur.

Venit illi in mentem veſtes Europæas deponere, Brammanicas induere, ac in illis experiri, num novo illo vitæ inſtituto Chriſtianæ Religionis felicius propagandæ magis idoneus foret. Verum offerebant ſe in eo difficultates multæ: neque enim plane con-

conſtabat; utrum liceret Chriſtiano Brammanicæ veſti fila quædam ſuperimponere, quæ fila luſitano nomine latinitate donato, Lineas vocant: Item utrum liceret Capillamentum quoddam longius geſtare in capite, quod in illis terris Curuminum appellatur. Eadem dubitatio erat de Sandalo ligno odorifero, quod attritu in aqua diſſolutum fronti inungunt; deque balneis, quibus frequenter utuntur: Tantoque maior erat his de rebus ſuſpicio, quod eorum aliqua, & ſignanter Fila, ac Coruminum fuerant in primo Goano Concilio, & ſequentibus quatuor Brammanibus vetita, tanquam ſuperſtitioſa: quò diligentiùs de illis inquirendum exiſtimavit. Inquiſivit, earumque rerum naturam, cauſas, uſum, & finem quam potuit accuratiſſime inveſtigavit; remque totam Ordinario loci Illuſtriſs. ArchiEpiſcopo Cranganorenſi expoſuit, rationeſque protulit, ob quæ illa ſymbola geſtari poſſe videbantur, quin contra Fidei profeſſionem quidquam fieret. Cranganorenſis Archi-Epiſcopus erat Reverendiſs. D. Franciſcus Roî, vir eruditiſſimus, & in illarum terrarum linguis verſatiſſimus, in quibus antequam in Archi-Epiſcopum aſſumptus foret, diu vixerat. Is nihil in re tanti momenti properandum ratus, & ipſe Indigenas conſuluit, naturamque earum conſuetudinum examinavit, & quamplurimos in deliberationem adhibuit Theologos;

qui

qui conſilium Patris Roberti ita approbarunt, ut ſimul ſummis laudibus extulerint, dixerintque, inventum illud non ab humana excogitatum mente, ſed ad aperiendum oſtium Infidelium converſioni deſuper datum fuiſſe.

Pro reverentia tamen Goanorum Conciliorum non niſi Goani Archi-Epiſcopi, totius Indiæ Primatis conſenſu accedente, Madurenſis Miſſionis inſtitutum cæptum eſt. Primas erat Illuſtriſs. D. Alexius de Menezes ex Sacra S. Auguſtini familia ad eam dignitatem aſſumptus; poſtea ad Braccharenſem Archi-Epiſcopatum translatus invitus. De magni illius Præſulis nobilitate nihil dicam, cum ex ipſius nomine ſatis comprobetur: ejus indefeſſus animarum zelus cum ſumma prudentia, profuſa liberalitate, multiſque virtutibus conjunctus, nunquam ſatis laudari poterit, utpote qui eum impulerit in Malabariam, maioreſque Malabaricis montibus obices ſuperare, ut ingenti animarum fructu, & Eccleſiæ amplificatione Chriſtianos S. Thomæ, coacta Synodo, in Eccleſiæ gremium revocaret; varioſque errores, & abuſus tolleret, quos Neſtoriani Epiſcopi ex Babylone ad eos miſſi invexerant.

Tanta authoritate munitus dubitationem omnem depoſuit P. Robertus de Nobilibus: Itaque habita ſuorum Superiorum facultate, Brammanis inſti-

inſtitutum ſatis ex ſe ſe inaſſuetis laborioſum amplexus eſt, & in linguarum, conſuetudinumque cognitione exercuit ſe ſe adhuc, ac perfecit: Cumque ſe jam infidelitati oppugnandæ ſatis comparatum arbitraretur, ſtrictius adhuc vivendi genus tenuit, quod ſectari ſolent, qui ſe Magiſtros profitentur; eodemque modo ſe ſe compoſuit, quo ſolent illi, quos Sanniazes vocant, quique rebus humanis nuntium remittentes, nec prædia propria, nec uxorem, nec patriam habentes Religioſam quodam modo vitam profitentur.

Eo in habitu Legem Chriſtianam promulgat; & quia in illis terris, ſi qua alia in orbis parte, primus diſcendi ardor, ut ait S. Ambroſius, nobilitas eſt magiſtri; ſtatim atque Indi videre Magiſtrum Brammanem patriis veſtibus indutum, ſuarum linguarum peritum, auſterum vitæ genus ſectantem, conſuetudinum ſuæ gentis propriarum obſervantem, illum pronis auribus audire cæperunt, ejus doctrinam avide excipientes; ita ut ingens tum Brammanum, tum Xutruum nobilium acceſſio ad Chriſti Fidem facta ſit, magno populorum plauſu, ac favore ipſius Regis, qui multoties cum P. Roberto familiariter egit; eique in Regiæ benevolentiæ pignus munera aliqua largitus eſt: ita ut eo ipſo tempore, quo ſtabat adhuc in urbe Madurenſi unus è Societate, qui Europæa veſte, ac peregrino vivendi

more Tamulenſes omnes procul à ſe arceret, nulla ſpe facta Religionis eo modo propagandæ; P. Robertus Brammanis cultu copioſiſſimos fructus colligeret: perinde ac ſi tanto ſucceſſu manifeſtare Deus voluiſset, eam eſſe, quam approbaret Evangelii propagandi rationem; ſiquidem eam tanta Divinæ gratiæ abundantia promovebat.

Cap. XI.

Expenduntur Conſuetudines Indicæ à P. Roberto de Nobilibus permiſsæ.

DUm ſic inter Tamulenſes feliciter proficeret Chriſtiana Religio, ingens tempeſtas coorta eſt in ejus præconem. Fuere qui Divinæ gloriæ ſtudio, ut exiſtimandum eſt, ducti, in eum tam parum officioſe loquerentur, & ſcriberent, ut in tota India peſſime audiret, vir omni laude digniſſimus: Secuta eſt paulo poſt duplex in eum cenſura Goæ lata: prima aſſerebat, modum illum prædicandi novum eſſe, minime Apoſtolicum, immo & ſcandaloſum: altera licet à Doctoribus profecta P. Roberto maxime conjunctis, non minus ſevera erat; deffiniebatque Fila Brammanum falſæ Religionis proteſtativa eſſe ſigna, ſuperſtitioſiſſimamque videri

deri

deri geſtationem Capillamenti, quod diximus Curuminum appellari: hæc, ut & Sandali, Balneorumque uſum qui permitteret, cenſendum eſſe ſchiſmaticum; qui vero uſurparet, eum actu exteriori profiteri legem à Chriſtiana diverſam,& veram Sanctamque Fidem abnegare.

Ex Indiis res Romam perlata eſt, uti cauſæ gravitas poſtulabat: & quamvis parum admodum fide de rerum ſtatu delatum fuiſſet; apud aliquos etiam ſummos Viros fidem invenit prima illa expoſitio; atque adeo apud ipſum Eminentiſs. Cardinalem Bellarminum P. Roberto aliqua ſanguinis neceſſitudine conjunctum; ideoque eum per litteras hortatus eſt, ut aliam ſequeretur Evangelii prædicandi rationem. At Sancta Sedes, cujus judicia plena ſemper maturitate fuere, juſſit ut quæſtio diligens de re tanti momenti inſtitueretur: Conſulendo quantum fieri poſſet Ethnicorum ſaluti.

Cum in Indias Sũmi Pontificis juſſa perlata ſunt, jam rerum immutatio maxima facta fuerat: P. Robertus de Nobilibus ſcriptis in ſe divulgatis, quæ caput mali extiterant, jam reſponderat; reſponderat etiam cenſuris, oſtenderatque, ſe nihil inſolitum tentaſſe, nulla in re ab Apoſtolorum inſtitutis receſſiſſe: probaverat vera facti expoſitione, rationibus Theologicis, Sanctorum exemplis, & præſertim ſui Archi-Epiſcopi, & Indiarum Primatis au-

thoritate, Fila, Capillamenta, Sandala fronti inuncta, Lavacra à Chriſtianis ſine culpa ulla poſſe in illis terris adhiberi.

Non negabat, neque vero negare poterat, Fila, ſeu Lineas, & Capillamenta, ſeu Caruminum à Goanis Conciliis fuiſſe damnata, & Brammanibus in Luſitana ditione degentibus prohibita; ſeverèque caſtigari in S. Inquiſitionis Tribunali, qui ea uſurparent: At reſpondebat non ſuis, ſed ſui Archi-Epiſcopi verbis; qui in tractatu quodam de Linea, & Sandalo luſitanicè ſcripto, ſic loquitur: Primum Concilium Goanum prohibuit iiſdem Brammanibus adhuc infidelibus Lineæ uſum Goæ, & in vicinis terris Coronæ Luſitanæ ſubditis, eo quod exiſtimaret, Lineam eſſe Brammanum Sectæ proteſtativum ſignum; quo fundamento ſubſiſtente, certum eſt nullo modo potuiſſe permitti. Verum Patres qui rem Chriſtianam curant in iſtis Malabaricis Regionibus, & in Madurenſibus, ubi Brammanes pluris æſtimantur, experientià comperere, talia Fila diſtinctiva Tribùs, & nobilitatis inter eos eſſe: qua in materia plus credendum eſt Indigenis, qui ſuos mores, ſuamque nobilitatem norunt, quàm peregrinis à quibus ignorantur. Nec dubium eſt, quin plurimum animarum converſioni obſtet, id quod Patres in Indias induxere, ut veſtis formam mutare, & Luſitano more veſtire cogantur, qui noſtram

ſtram Religionem amplectuntur; id quod incolæ vocant fieri Luſitanos, quos Tribùs ſuà ignobilioris eſſe putant: ita exiſtimant ſe unà cum veſte Tribum mutare; quod durum eſt.

Idem Illuſtriſs. Cranganorenſis eà de re ſic alibi diſſerit: Dicendum igitur, Concilia rectè prohibuiſſe Brammanibus Chriſtianis Lineæ, & Curumini uſum, ſupponendo ea eſſe ſuperſtitioſa ſtemata; & eàdem de cauſa juſte ab Inquiſitoribus plecti Chriſtianos ea geſtantes: Cæterum falſa fuit ſuppoſitio, ex falſa nempe informatione orta: Et quidem facile fuit decipi illos, qui dictis Conciliis interfuere; Cum à Brammanibus Ethnicis rem quæſierint: nam qui apud ipſos litterati non ſunt, ejuſmodi res ignorant, litterati vero, ut periti Patres advertunt, pauciſſimis, vel nemini aperiunt ea, quæ ipſorum libris continentur; cumque hiſce de rebus rogantur, adeo à veritate recedunt, ut nihil ex ipſis certo ſciri queat. Nos vero, quorum intereſt, iſtiuſmodi res diligenter inquirere, Indicorum Scriptorum notitia, & cum pluribus Indis doctis viris confabulatio, veram hanc de Linea, & Curumino ſententiam docuerunt: & ſi litterati Indi caveant diligenter, ne ſua nobis arcana patefaciant; diuturnitate tamen temporis amicitià nobis devincti quidam Viri rei veritatem patefecerunt. Noto tamen quod cum res omnes quamvis politicas Scriptores Indici juxta ſu-

um morem fabuloſis laudibus exornent; potuerunt falli Brammanes, qui Goani Concilii Patres certiores de hac re fecerunt; non reſpicientes Lineam, & Curuminum proſapiæ, & nobilitatis eſſe inſignia; & tantum attendentes hyperbolicas laudes, quibus Linea, & Curuminum in ſuis libris commendantur: quod ſi rogati fuiſſent, num cætera quoque politica iiſdem laudibus in ſuis libris commendentur, fortaſſe rei veritatem aperientes, ne omnia penitus ad vitam neceſſaria, & mere politica damnarent, ut cætera omnia, ita Lineæ, & Curumini uſum ab omni ſuperſtitionis notà liberaſſent.

Addebat P. Robertus obſervatione ſingulari dignum eſſe, quod Illuſtriſs. Archi-Epiſcopus aſſerit, Madurenſes Brammanes eruditiores eſſe illis, quos Goani Concilii Patres conſuluere, idque ex eo apparere, quod Goæ, viciniſque in locis vix alii commorarentur Brammanes, quam *Commetès*, qui ne quidem veri Brammanes habentur; & quibus fas non eſt, reconditiores Ethnicorum libros legere, in quibus, Filorum, & Capillamentorum quis ſit finis, declaratur.

Neque ſolus Reverendiſs. Cranganorenſis P. Roberto favebat, favebat etiam Primas Goanus: & vero æquum erat, ut quos authores habuerat, eoſdem defenſores haberet: Sic igitur in datis ad Illuſtriſs. Cranganorenſem litteris aiebat Reveſendiſs.

D.

D. Alexius de Menezes: Exopto ut Miſſionis Madurenſis author P. Robertus de Nobilibus plures habeat in hac re ſectatores, calumniatorem neminem: utinam & ego huic Sancto operi perſonaliter operam ferre poſſem; ipſe mihi non unam, ſed plures ſuperimponerem Lineas, dummodo vel Brammanem unum ad Chriſti Ovile adducerem. Dictis facta conſenſere: nam idem Præſul in conſpectu totius urbis cuidam Regis Calecutani nepoti prædictis inſignibus ornato, Confirmationis Sacramentum adminiſtravit; affirmans ejuſmodi ſigna ad politica ſtemmata ſolum pertinere: idemque Tanoris Regem Lineam, & Curuminum geſtantem Sacro Chriſmate pariter inunxit.

Accepto S. Sedis imperio diligentius adhuc illa cauſa excuſſa eſt in India: Sententiam conſuetudines illas abſolventem amplexi ſunt Theologi, ac Juris Pontificii periti, qui in illa regione doctiores habebantur, numero triginta; ex quibus aliqui Epiſcopi doctiſſimi erant; alii plerique Theologiæ profeſſores peritiſſimi; quorum plurimi tam Madurenſium, quam aliorum Ethnicorum mores apprime callebant, quòd in eorum Provinciis, ac locis commorarentur: Eminebat inter illos ipſemet Illuſtriſs. Cranganorenſis; qui ea occaſione tractatum ſatis amplum elucubravit, cui titulus eſt, Narratio fundamentorum, quibus Madurenſis Miſſio-

nis

nis inſtitutum cæptum eſt, & hucuſque conſiſtit: Et alium minorem, qui Superioris videtur eſſe compendium: Eminebat etiam Joannes Ferdinandus de Almeyda, qui à Conimbricenſi Academia, ubi ſapientiæ laude florebat, evocatus fuerat ab Illuſtriſs. Epiſcopo Generali Luſitaniæ Inquiſitore, & in Indias miſſus, ut ibi ſecundi Inquiſitoris munere fungeretur; Sed illi tantum idem Supremus Inquiſitor tribuebat, ut diceret, eum licet antiquitate ſecundum, eſſe tamen ſapientia primum; ideoque ejus judicio maxime deferendum.

Oppoſitam ſententiam tenebat Illuſtriſs. Archiepiſcopus Goanus, qui Reverēdiſsimo D. de Menezes ſucceſſerat: eandem tuebatur Inquiſitor tempore primus; præterea tres Canonici, aliique Religioſi, nec non quinque Neophyti falſo Brammanes appellati, quorum nullus litteras callebat, ſed mercaturæ dederant operam, poſteaque fuerant ad Sacerdotium promoti.

Utraque pars ſcripta ſua juramento confirmata Ulyſſiponem miſit ad Illuſtriſs. Epiſcopum Supremum Luſitaniæ Inquiſitorem; cui illius negotii cura à Sũmo Pontifice demandata fuerat: Et quia Sancta Sedes Inquiſitorum Luſitaniæ ſuffragium ea de re habere voluit; controverſiæ ſtatus propoſitus eſt tam Inquiſitoribus ſive Supremi Conſilii, ſive inferioris Tribunalis; quam aliis Doctoribus Religioſis,

ac

ac Sæcularibus. Antequam ſuum omnes ferrent judicium, diligentiſſimè expenſæ ſunt rationes omnes, quibus controverſia niteretur; quibus expenſis omnes cenſuere, Lineam, Capillitium, Sandali unctionem, & Lavatoria, quæ in Madurenſi Miſſione Brammanibus, & aliis in vſu eſſe ſolent, nullius falſæ Sectæ ſigna eſſe, ſed potius politica quædam ſtemmata, & inſignia ad illarum gentium nobilitatem ab ignobilibus diſcriminandam; ſimulque inter varios nobilitatis gradus inter ipſos Ethnicos repertos differentiam conſtituendam.

Poſtquam Sacrum Luſitaniæ Inquiſitionis Tribunal hoc ſuffragium ſuum tulit, Illuſtriſs. Epiſcopus, qui Inquiſitoris Primarii munere fungebatur, illud ad S. Sedem præſcripſit; & alterum exemplar Sereniſſimo Regi; referens ſimul argumenta, quibus in talem ſententiam impulſi fuiſſent Doctores; & qua ratione reſpondendum putarent illis, quæ à parte contraria afferebantur, ſeu argumentis, ſeu authoritatibus. Ea fere omnia quæ ſupra retuli, & alia, quæ brevitatis cauſa omitto, ex ipſo Illuſtriſs. Inquiſitoris ſuffragio didici.

Denique cum judicaret S. Sedes ſuper iis abunde fuiſſe inquiſitum, auditis S. R. E. Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, Bullam illam edidit Gregorius XV. quæ

incipit - Romanæ Sedis Antiſtes - ; in qua conſuetudines illas permittit certis conditionibus, quas in ea videre eſt.

Libera jam ab iſtis dubitationibus Madurenſi Miſſione P. Robertus de Nobilibus totum ſe contulit ad Fidem amplificandam; quod feliciter effecit; tum ſcriptis libris optimis, tum Divino verbo, quod per ſe, ſuoſque Catechiſtas ubique annuntiabat; Sed adhuc efficacius, maximo, quod præbebat Sanctitatis, atque pœnitentiæ exemplo; donec annis, laboribuſque fractus, ſed meritis plenus è vivis exceſſit; tanta Sanctitatis opinione, ut cum Romam perlatus eſt ejus mortis nuntius, picta ipſius effigies in atrio Templi Domùs Profeſſæ publice propoſita fuerit cum hac Epigraphe: R. P. Robertus de Nobilibus Politianus è Societate IESU genere, pietate, & doctrina æque nobilis, quadraginta quinque annis in Madurenſium Ethnicorum converſione, orizà, oleribus conſtanter victitans exactis, Mailapore ſanctè obiit an. 1656.

Cap. XII.

De vitæ inſtituto, laboribuſque Miſſionariorum.

DIximus jam P. Robertum de Nobilibus ſecutum fuiſſe vitæ genus eorum Brammanum, qui ſe cæteris perfectiores profitentur; quo vitæ genere nullum aptius erat ad Brammanes, alioſque nobiles viros ad Fidem Chriſtianam adducendos; qui ſi ſemel magno numero eam ſuſcepiſſent, haud difficile fuiſſet, inferiores Tribus ad eandem adducere. Sed quia charitatis leges non ſinebant ignobilium culturam negligi, qui interea periiſſent; cumque aliunde illud Brammanicum vitæ genus ignobiles ipſos, Pareas ſcilicet, edocendi propę nullam daret facultatem; expedire judicatum eſt, ut novi deinceps Miſſionarii dicerentur *Pandaræ Cxatirienſes*, qui ſunt ex Rajorum ordine, & eodem prope modo vivunt, quo Sanniaſes Brammanes. Hæc nova conditio, & ſi eam, quam optaremus, facilitatem cum ignobilibus agendi non concedat, dat tamen maiorem, quam Brammanum ſtatus, & quam ullum aliud inſtitutum, quod ſalvà re Chriſtiana Miſſionarii amplecti queant.

Primus qui illud novum vitæ genus amplexus eſt, fuit Pater Balthazar da Coſta vir omnibus religioſis dotibus inſignis; qui poſt multos exantlatos labores, multaque hominum millia ad Fidem traducta, miſſus eſt in Europam ad procuranda Provinciæ Malabaricæ negotia, & Romæ magna benevolentiæ ſignificatione exceptus eſt à Pontifice Maximo; qui etiam illum Miſſionis veſtibus indutum conſpicere voluit; eumque digna Summo Pontifice munificentia donatum remiſit in Miſſionem; ad quam cum pergeret, vita functus eſt. Poſt. P. Balthazarem da Coſta fere omnes Miſſionarii idem vitæ inſtitutum ſecuti ſunt, & nunc adhuc ſequuntur: Quale autem illud ſit, quamque laborioſum, facile colligetur ex iis, quæ mox dicam.

Primo quidem Europæas conſuetudines prorſus dediſcere neceſſe eſt, & perſonam inducere Tamulicam; ita ut Indigenis non aliunde in ſuas terras profectus, ſed in iis natus eſse videaris: Quod ut conſequare, ſtatim collocanda eſt opera in addiſcenda ad unguem lingua Tamulica; quæ Europæis facilis non eſt, ut ſupra jam memoravi; immo vero tam difficilis, ut bene multi poſt inſumptos in ingrato illo ſtudio menſes plurimos, numeros omnes in illa explere non potuerint; immo aliqui deſperantes ſe poſse tam barbaram linguam ſatis aſſequi, illi nuntium remiſere.

Ample-

Amplectenda ſimul vita pænitens ; quam niſi profiteantur Miſſionarii, vix ullos habituri eſsent auditores: Quod ad victum pertinet, carne, piſce, ovis, vino, ſimilibuſque liquoribus abſtinendum; quale enim, inquiunt, & quam molle eſt pænitentiæ genus, quæ tales ſibi delicias indulgeat? Unde ſæpe percontantur Ethnici, quis nobis victum paret: quem cum audiunt ex illis eſse, qui nihil horum ex ſuæ Tribus conſuetudine attingere queant, nos quoque multo magis ab illis abſtinere inferunt. Cæteri incolæ fructum *Arecam Betelis* folio involutum perpatuo maſticant; quod ad ſtomachum corroborandum vini loco plurimum valet: illud quoque inter delicias pænitentibus interdictas computatur: Panem comedere liceret; at & frumenti in illis terris non multum eſt, & deſunt qui panem parare noverint.

Miſſionariorum igitur quotidianæ epulæ ſunt aliquantulum Orizæ aqua coctum in lato Ficûs Indiæ folio oblatum; cui inſulſo cibo ſaporem aliquem conciliant Olera quædam, blita, ſpinaciæ, lenticulæ indicæ, fructus accidi, quæ omnia Indico more Europæis parum ſapido condiuntur; & diebus ſingulis nulla prope diverſitate iterata faſtidium movent, ni fames condimenti ſuppleat vices; potum præbet ſtagnum, aut fluvius; vel etiam Lac, cujus ibi copia eſt, & quo nil melius Miſſionariis

con-

conceditur: Neque vero quoties libuerit illo qualicumque cibo veſci licet; perenne fere eſt obſervaudum jejunium; inolevit enim ibi conſuetudo, ut Pænitentes ſub noctem aut nihil, aut parum admodum comedant; quæ abſtinentia tantà ciborum levitate conjuncta, ſtomachum, vireſque adeo enervat, ut multis Miſſiones deſerendi cauſa neceſſaria extiterit.

Pro domibus Mapalia anguſta, & humilia ſtramine tecta, multiſque inſectis non modo importunis, verum etiam venenatis referta; à quibus tamen ſingulari Dei Providentia nullus adhuc Miſſionariorum læſus eſt; quod beneficium, poſt Deum, S. Franciſco Xaverio acceptum referimus, cujus tutela nos in ea parte adeo ſecuros putamus, ut ſerpentes, quorum ibi maxima copia eſt præſentiſſimi veneni nequaquam formidemus. Lectus tabula plerumque eſt, & ſæpius humus ipſa; cui pro culcitra ſubſternitur codix, & pellis cervina, aut tygrina. Veſtitus eſt ex panno vilis pretii goſſypino ſubflavo; qui color pænitentium proprius eſt. Nudis pedibus ſemper incedunt Miſſionarii; aliquoties tamen pro calceis ligneas trahunt ſoleas pedibus non aliter aptatas, quam capitato clavo ligneo, qui inter duos primos pedum digitos immittitur.

Ad hæc incommoda accedit ſolitudo, non dico ab Indigenis per quorum ferquentiam, ac interdum impor-

importunitatem reſpirare non licet, ſed ab amicis, hominibuſque notis, quibuſcum larvam deponere, & familiariter verſari queas.

Maior adhuc Sacrorum Miniſteriorum labor: multis, ac pleriſque in locis ſingulis fere diebus à prima Aurora ad Meridiem Confeſſionibus audiendis vacat Miſſionarius: Celebranda poſtea Miſſa, ſatisfaciendum deinde importunis Neophytorum interrogationibus, componendæ lites; ita ut inclinata ſit jam dies, cum prandium, quale ſupra deſcripſimus, intempeſtive ſumitur. Horas Canonicas vix recitare incipis, cum adeſt Catechiſta ad Baptiſmum adminiſtrandum accerſens: inde iterum ad Confeſſiones excipiendas, vix ut Deo tantisper vacandi, & Divini Officii recitandi ſpatium detur.

Hæc quotidiana eſt vitæ ratio, cum Miſſionarius domi ſubſiſtit; ſed circumeundæ Miſſionis defatigatio pænoſa magis: Seu pedibus, ſeu equo itinera conficiant Miſſionarii, aut per lutoſas, ſentibuſque refertas vias eundum, aut ad Solem adeo fervidum, ut eximia caloris vi vultùs, manuumque pellis exuſta ſæpiſſime detrahatur. Tranandæ madido corpore flumina apprehenſo manu vaſe fictili, aut ligno aliquo, quod à natatoribus impellitur: Pernoctandum ſæpe ſub dio, ſeu flent venti, ſeu imber decidat; victu adhuc frugaliori, quam domi: Ubi

ad

ad deſignatum locum ventum eſt, vix aliquid ærumnarum levamen occurrit, quam Neophytorum fervor, qui Sacramenta ſibi adminiſtrari petunt, Miſſionariumque labore fractum importune defatigant.

Saltem ſi hæc omnia, ſecure, ſi pacato, tranquilloque animo fierent, quamquam durum eſſet vitæ genus, ei tamen temporis diuturnitate corpus forte aſſueſceret: Sed animo plura, quam corpore, ferenda ſunt: Vivendum in perpetuis anxietatibus ex continuo alicujus invaſionis ſemper impendentis metu ortis: ad ſingulos ſtrepitus tanquam hoſtibus advenientibus pavitandum; ſinguliſque noctibus omnia perinde componenda, ac ſi ea nox ultima futura eſſet: Quid ſit aliis maxime moleſtum, neſcio: at mihi fateor, nihil unquam in illa Miſſione viſum eſt acerbius, quam eiuſmodi ſollicitudines; eamque continuam perſecutionum, ac mortis expectationem, morte ipſa duriorem, apparere, mecum alii etiam experti ſunt.

Jam perſecutionum tempore, tunc cum fugæ conſulendum, ponenda in tuto Sacrificii, Sacramentorumque ſupellex, conſolandi afflicti, providendum omnibus, Reges, Principeſque Ethnici adeundi, illorum furores ſuſtinendi, quæ, & quanta calamitas eſt? Evenit ſæpe ut ſpolientur Miſſionarii, conjiciantur in carceres, variis tormentis

cru-

crucientur, incendantur Eccleſiæ, Sacroſancta vaſa polluantur, Sacræ Imagines conculcentur, Divinaque omnia mirum in modum prophanentur. Hæc omnia non poſſunt non inferre acerbiſſimum doloris ſenſum. Si tamen ſolis Miſſionariis liceret tanta ſuſtinere, irent gaudentes, quod digni habiti eſſent pro nomine IESU contumeliam, vincula, ipſamque mortem pati: At cum chariſsimos Neophytos ſuos domo pulſos, à parentibus ipſis rejectos, fortunis detruſos, in carceribus languentes, fame prope enecatos, verberibus dirè cæſos vident; cum libertate jam donati, at mærore, angoreque confecti veniunt illi, non tam verbis quam lacrymis ſuis opem imploratum à Miſsionariis, ut impoſitam à Tyranno pecuniariam mulctam ſolvant; commoventur, quantumvis dura forent, Miſsionariorum viſcera; cum præſertim ob paupertatem illis nequeant, ut optarint, opitulari.

Cap. XIIJ.

De ijs quæ inter Tamulenſes Fidei propagationi obſtant.

PRæcipuos obices, qui Fidei progreſſus in illis regionibus morantur, hìc referam; ut intelli-

gatur, quam merito poſtulemus, ut pia Mater Eccleſia afflictiſsimos filios ſuos in illis terris degentes miſerata, benigne illis indulgeat, quidquid ſalva Fide, boniſque moribus indulgere poteſt; utque Fideles omnes ſuis precibus à Deo poſtulent, ut vel obices illos tollat; vel robur illud Miſsionariis, & Chriſtianis pariter, atque Ethnicis impertiatur, quo tot impedimenta ſuperent.

Obſtat igitur primò Fidei propagationi inter illas gentes ſuarum ſuperſtitionum amor; quæ quamvis nulla nitantur ratione, aut veriſimilitudine; mirum tamen in modum populorum illorum moribus, ac genio attemperatæ ſunt: Cum ergo vident nos illis bellum indicere, earum excidium meditari; Diis ſuis obloqui, ab eorum cultu populos avertere, mirum ne eſt, ſi ſuarum ſuperſtitionum cladem clade noſtra præoccupare conentur?

Obſtat ſecundò noſtrorum Myſteriorum ſublimitas, quam ut ſentiant facit ſuorum ingeniorum acumen, ut vincere nolint indocilitas, qua Spiritui Sancto reſiſtunt. Si ad Tamulenſes Fidei adjungendos ſatis foret, inanium Deorum, quos colunt, falſitatem oſtendere, exiguo ſane negotio id fieret: at eo peracto paulo difficilius eſt, noſtræ Religionis veritatem ita dilucide demonſtrare, ut eam ſibi amplectendam eſſe putent, eaque myſteria pro indubitatis habeant; quæ cum ſolummodo ſupra ra-

tionem

tionem ſint, illis contra rationem eſſe perverſe judicantur.

Obſtat tertiò præceptorum Divinæ Legis ſeveritas, eorum præſertim, quibus vitia in illis terris magis communia damnantur: Vindicta, v. g. Polygamìa, Matrimonii diſſolubilitas: Quam multi ſunt, qui ante ſibi abſtruſiſſima myſteria credenda putant, quam ejuſmodi præcepta obſervanda?

Obſtat quartò quod ſuam Religionem tollentes, & peregrinam inducentes, honeſtatem omnem de medio tollere, barbaroſque mores inducere videamur: Sic enim inſtituti ſunt populi illi, ſic prophanis Sacra miſcent, ut Religionis Officia ad honeſtatem plurimum facere, & cum ea arctiſſime conjuncta eſſe arbitrentur; ut qui illa Religionis officia omittat, eum non ſolum irreligioſum, & impium judicent; ſed ut impoliticum, omnique honeſtate deſtitutum averſentur, & ab omni vitæ civilis conſortio reſecent. Itaque paterentur multi nos de Diis ſuis ſentire ut voluerimus; at vero ſtatis Sacrificiis, aliiſque ſolemnitatibus deeſſe, hoc illis intolerandam ruſticitatem ſapere videtur.

Obſtat quintò, quod alias conſuetudines bene multas etiam civiles obſervare non poſſimus, & doceamus non eſſe obſervandas, eò quod Eccleſiæ in-

ſtitutis adverſentur; veluti in matrimoniis, in quibus tum perverſionis periculum, tum conſanguinitatis ratio cogit multoties Chriſtianos illis filias ſuas denegare, qui ex patria conſuetudine ob eam ipſam conſanguinitatem jus habent eas ducendi: Quas ſuas conſuetudines cum violemus, inclamant Ethnici, nos familias perturbare, ſua jura, ſuoſque uſus convellere, & barbaris inſtitutis commutare.

Obſtat ſextò quod ignobiles, Pareas nuncupatos, ad Fidem admittamus: Cum enim, ut ſupra jam meminimus, Indorum conſuetudo ſuſceperit, ut in rebus tum Sacris, tum Civilibus incredibili faſtu ab Ethnicis habeantur; cum indigni omnino reputentur, qui myſteria doceantur; cum tangi, adiri, è propinquo audiri nequeant ab ullo nobili, quin infamis ipſe remaneat; nemo non videt, quanta hinc oriatur difficultatum Seges, cum illi ignobiles edocendi, baptiſmate, aliiſque Sacramentis expiandi ſunt: Non ignorant Ethnici Pareas à nobis doceri, ad Sacra admitti, ad Templa noſtra ita accedere, ut Sacerdotem videant, & audiant Sacris operantem, & concionantem, illudque nobis ignoſcere non poſſunt: Ex illa Parearum familiaritate Miſſionarium, Chriſtianos, Templa vileſcere putant, ipſamque Religionem prophanari; quam ideo contemptim Parearum legem appellant; quamque

ideo

ideo amplecti, immo audire viri nobiles refugiunt: Neque ſolis Infidelibus occaſio ruinæ eſt, quod ad Sacra myſteria Pareæ admittantur: Meminerim ſemper unius Cathecumeni, qui jam doctrinam Chriſtianam audierat, Fideique ſatis cupidus videbatur: ille ut Miſſionarium vidit ad Paream accedentem ad Sacramentum aliquod ei miniſtrandum, receſſit indignans; addens nolle ſe fieri diſcipulum illius, qui viliſſimi hominis contactu vilis & ipſe factus fuiſſet. Ob eas cauſas præſentibus Ethnicis vel inviti cogimur cum Pareis circumſpectè, & prudenter agere, præſertim in Sacramentorum adminiſtratione: At cum hinc quidem conemur charitati non deeſſe; inde vero nulli ſcandalum, & ruinæ occaſionem dare, infelici fato evenit, ut ſæpe ſimus ſcandalo Ethnicis; qui putant nos infelici illi genti nimium favere; ideoque ex illorum conſortio vilitatem contrahere: ex alia vero parte iis qui res ex Europæis inſtitutis metiuntur, videmur non tantum facere, quantum Chriſtiana charitas, & humilitas exigunt; de quo erit fuſius poſtea diſputandum: Nunc cum de Chriſtianæ Fidei obicibus loquamur, ſatis erit advertere, nulla de cauſa inter Ethnicos peius audire Chriſtianam legem, ſæpiuſque vexari; nulla de cauſa plures ab ea amplectenda retrahi, quam quod Miſſionarii familiarius cũ Pareis agant, quam illarum terrarum conſuetudo permittat.

Obſtat

Obſtat ſeptimò ſuſpicio quam habent Miſſionarios eſſe Europæos: diximus ſupra, quanto contemptu Indi Europæos proſequantur, & quibus potiſſimum de cauſis: idcirco Miſſionarii ſollicite patriam ſuam diſſimulant: Sed quantumlibet diſſimulent, prodit eos ſimilitudo eorum, quæ docemus, & facimus cum iis quæ Europæi Sacerdotes in Oris maritimis docent, & faciunt: produnt nos itinera, quæ valetudinis, vel aliorum negotiorum cauſa eo facienda ſunt: produnt nos Epiſtolæ eodem mittendæ, aut inde recipiendæ; quæ omnia licet maxima cautione fiant, tam occulte tamen fieri nequeunt, ut non ſubodorentur aliquid; quod ſatis eſt, ut minus confidenter ad nos accedant; minus libenter nos in Magiſtros aſſiſcant; immo & propter Magiſtros legem deſpiciant: Quod ſi nos Europæos eſſe omnino exploratum haberent, dubium non eſt, quin nos è terris ſuis expellerent, nulluſque nos vellet audire; cum ſibi certo, & veluti evidenter perſuadeant, ab Europæo nihil bonæ Religionis, nihil bonæ legis afferri poſſe.

Obſtant octavò atroces calumniæ, quibus Religio noſtra, ejus Præcones, ac Sectatores à malevolis obtrectatoribus crudeliſſime lacerantur. Nullum eſt miniſterium Sacrum, de quo non res horrendas circumferant: Aiunt à nobis Catechumenos, ac Infirmos, Bovis, aut humanorum Cadaverum adi-

pe

pe inungi: Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum ex ſimili, immo & ſordidiori materia parari: De Confeſſionibus nefanda confingunt; nihil aliud eſſe, quam impura colloquia, & facta. Jam de ipſis Miſſionariis, quos non rumores ſpargunt; ut eos populus tanquam hominum ſceleratiſſimos, peſteſque publicas abhorreat: quanta veneficia, quantas libidines, quanta homicidia illis imputant: de me dixere ſemel, intra quindecim dies viginti duos homines meis maleficiis fuiſſe occiſos; & ob ejuſmodi accuſationem in carcerem conjectus ſum. Rumores illos contemnunt Miſſionarii; at non contemnit plebs credula, quæ ab audiendis hominibus deterretur; de quibus tanta flagitia commemorari audit: Eſt & alia calumnia adhuc frequentior, nempe Miſſionarios, ac Chriſtianos omnium publicarum calamitatum cauſas eſſe; & in ſpecie illius quam ſupra memoravimus, ex imbrium defectu ortam; & ob quam vidi non ſemel Miſſionarios ab Eccleſiis ſuis expulſos, ipſaſque Eccleſias exuſtas; quod & ego ipſe eandem ob cauſam acutiſſimo animi mei dolore, & ingenti Chriſtianæ rei detrimento multoties expertus ſum: Quod ſi poſtea naturales ob cauſas pluviæ decidant, triumphant Idololatræ; & ad idem, ut putant, remedium, ſimili in occaſione celerius confugiunt.

Hæc omnia ſi ſimul jungantur, facile quiſque intelliget

telliget qua in exiſtimatione ſit in illis terris Chriſtiana Religio: Omnino ſatis defleri nequit, regnare apud illas gentes conſuetudines Fidei adeo contrarias, maliſque Dæmonis artibus adeo contemptibilem factam fuiſſe illìc auguſtam Religionis noſtræ maieſtatem; eòque recidiſſe, ut homini infamia ſit eſſe Chriſtianum; & pleræque familiæ ſibi indecorum putent, ſi quis in ea numeretur, qui Legem Chriſtianam amplexus ſit.

Hinc oritur primum perſecutionis genus, quod Chriſtiani patiuntur à parentibus, & conſanguineis; qui nihil non agunt, ut ſuos ab amplectenda Fide revocent, aut jam amplexos ad eam deſerendam adhortentur: Quod cum nec precibus, nec minis, nec lacrymis, nec imperio obtinere ſe poſſe vident; perpetuis eos fatigant exprobationibus, calumniis, dicteriis, deſpectibus: cum Chriſtiano nec loqui, nec comedere, nec habitare volunt; eum ut infamem, ut familiæ probrum, & mali ominis caput fugiunt, & abhorrent: Quam vero arduum ſit illud belli genus ſuſtinere; perpetuò hominum judicia, dicteria, irriſiones pati; melius æſtimabit, qui recogitaverit ipſe ſecum, quoties ante elegerit Deo graviſsime diſplicere, quam hominibus minus placere; quoties vel uno leviſsimo joco, aut joci metu impetratum ab eo fuerit, quod Tyrannus armatus non obtinuiſſet. Perſecutiones Principum,

ac

ac Regum utcumque patiuntur Chriſtiani; quippe quæ ſi crudeliores videntur, at non ſunt ita continuæ: in eo pugnæ genere poſt aliquot dies aut mors, aut libertas non deerit: Durum quidem eſt ab externis vexari, at duriùs à domeſticis, quibus cum ſanguis, affinitas, habitatio nos individuam vitæ ſocietatem habere cogit: Quam triſte, & luctoſum eſt, tot numerare inimicos, & perſecutores, quot amicos, ac defenſores habere debueras? ſed de hoc omnium maximo Fidei obice fuſius infra.

Iiſdem de cauſis evenit, ut Reges, Principeſque Legem Chriſtianã ſæpe ſæpius acerbiſſime inſectentur, ad Deos ſuos, ſuam Religionem, ſuam nobilitatem, ſuas conſuetudines retinendas, & ulciſcendas contra eos, quos externos eſſe ſciunt, Europæos ſuſpicantur; & aliud aliquid, quam Fidei, Religioniſque negotium cogitare ſibi interdum perſuadent.

Stimulos addit inſatiata pecuniarum cupiditas, qua Reges, Principes, Provinciarum Præfecti, Oppidorum Gubernatores laborant; quæ cum eos intentos ſemper faciat, quibus modis poſſint à ſuis ſubditis aurum per fas, atque nefas extorquere; ex iis omnibus, quæ diximus, occaſionem nimium opportunam arripiunt miſeros Neophytos inſectandi, & ſpoliandi, ita ut ſæpe omnibus omnino bonis mulctati ad ultimam paupertatem redigantur; quod

nos ſuo loco inferius proſequemur. Ex his omnibus facile quis colligere poteſt, tanta, & tam multa eſſe, quæ Fidei propagationi obſtant, ut qui eam amplectatur, ad honoris, dignitatis, domus, patriæ, opum, ipſiuſque vitæ jacturam pro Chriſto faciendam paratus eſſe debeat.

Cap. XIV.

Quis ſit Chriſtianorum numerus, & qua ratione inſtituantur.

OStendimus ſuperius adeo multa Fidei propagationi officere, ut ingens ſit Divinæ gratiæ miraculum, inveniri adhuc aliquos, qui tantis periculis ſpretis, totque obicibus ſuperatis, Chriſtianam Fidem amplectantur: frequenter tamen in laudem gloriæ gratiæ ſuæ ejuſmodi miracula operatur Deus. In una Miſſione Madurenſi anno 1703. qui ultimus fuit, quem integrum in ea tranſegerim, quamvis omnino miſera fuerit temporum ratio, novem noſtræ Societatis Sacerdotes, qui diverſas illius Miſſionis Reſidentias curabamus, ſepties mille, & ſeptingentos Sacro Baptiſmo expiavimus, calculo accuratiſſime inito: in illo initiatorum numero, quot fuerint adulti, accurate dici non poteſt;

prop-

propterea quod in libros referri nequeũt Baptiſmata, quin magnum ſit periculum, ne libri in manus Ethnicorum veniant, qui, ut jam calumniati ſunt, ſuſpicarentur, à nobis non tam Chriſtianos, quam milites conſcribi, eoſque maxime moleſtarent, quorum nomina in matricula reperirentur: at quantum æſtimare poſſum, è tribus illius numeri partibus, una eſt Infantium, adultorum duæ aliæ. Quam multos ſinguli Sacerdotes baptizent, dici facile non poteſt; cùm non eadem ſit omnium locorum, ac temporum ratio: de me uno ut loquar, ex quo in illa Miſsione verſor, nullus præteriit annus, ſi duos primos excipias, quo non ſupra mille ſalutari lavacro intingerem; & multi fuere, quibus ſupra duo millia ſacris undis ablui: immo poſtquam in Maravarum regionem penetravi, & quam Ven. P. Ioannis de Britto ſanguine mirifice fæcundatam reperi, uberrimam ibi collegi meſſem; Siquidem duorum annorum ſpatio, quos ibi degi, pluſquam tredecim mille, & ſexcentos ſacro fonte expiavi; ita ut unica die ad quingentos, & quinquaginta baptizaverim; brachiis non modo laborem vix ferentibus; ſed toto corpore ex ſuaviſsima tam Sancti Miniſterii defatigatione propemodum fatiſcente. In Miſsione Mayſurenſi quis ſit ſingulis annis initiatorum numerus, non ſatis perſpectum habeo; at quamquam ibi regnet peſtifera quædam Secta Chri-

ſtianæ Religioni admodum contraria, magnus tamen quotannis Infidelium numerus ad Eccleſiæ ſinum adducitur. In Carnatenſi, eo quod principia difficiliora ſunt, pauciores adhuc convertuntur; at ſpes eſt maxima non minores fructus ibi collectum iri, ubi in novis illis novalibus altiores radices Fides egerit.

Jam vero ſi quis percontetur, qui poſsit eſſe in tribus illis Miſsionibus Chriſtianorum numerus; quamquam eum certo aſsignare nequeam, nec multo plures, nec multo pauciores eſſe putem, quam ducenta, & viginti Chriſtianorum millia.

Ut ingens illa hominum multitudo, non nomine tantum, ſed re ipſa, Fide, Sanctiſque operibus, Chriſtiana ſit, nulli labori, nulli ſollicitudini Miſſionarii parcunt: quamobrem Chriſtianis, Catechumeniſque inſtituendis ita incumbunt, ut, ni fallor, citra gloriationem aſſerere poſsimus, multa loca eſſe in Europa, in ipſo Religionis ſinu, in quibus Chriſtiani minus ſollicite erudiantur, pauca in quibus maiori ſtudio, & cura id fiat.

Principio cum quis Chriſtianæ Religioni adjungi ſe poſtulat, omni ope, atque opera rimamur, quo conſilio, qua mente id poſcat: qui ſi bona fide agere judicatur, Catechumenorum numero adſcribitur; & quindecim dierum ſpatio Chriſtiana doctrina in viginti & octo articulos diſtributa ei tradi-

tur

tur eo ordine, ut unoquoque die articuli duo matutinis horis unus, Serotinis alter proponantur, & dilucide explanentur. Jubemus præterea, ut memoriæ mandet Catechumenus brevius quoddam totius Chriſtianæ Doctrinæ Compendium: deinde docetur Legis Divinæ mandata, Orationes Chriſtianas: verbo denique quæcumque ex præcepti neceſsitate credenda, petenda, faciendaque ſunt; & multo plura.

Inſtitutis illa ratione Cathecumenis, ſi alicujus ſint authoritatis homines, qui, ut maioribus periculis obnoxii ſunt, maiori etiam egent conſtantia, Sacer Baptiſmus ad aliquod tempus illis differtur, ut eorum Fides magis, ac magis probetur: Si vero pauperes, & humili ſint conditione nati, de quibus ſuſpicio nulla ſuboriatur, ad Sacrum Baptiſmum admittuntur. Venit igitur Miſsionarius, & poſt brevem cohortationem ad initiandos habitam, conceptos Chriſtianæ virtutis actus iterat, illoſque poſtea ſolemniter baptizat conſuetis Eccleſiæ ritibus; quorum nullum omittit, niſi ſalivam; à cujus contactu illi populi tantopere abhorrent, ut de latentibus in eo Sacro ritu myſteriis nec audire, multo minus edoceri poſsint; de quo infra uberius diſputandum eſt. Peracto Baptiſmo Roſaria diſpertitur Miſsionarius, admonetque, ut ea ſingulis diebus recitent; ſimulque eis pietatem in Beatam Virginem

Matrem

Matrem commendat; monitaque alia ſalutaria pro illorum conditione impertitur. Non ante in domos ſuas Neophyti ſe referunt, quàm integro Miſſæ Sacrificio interfuerint, quod eis adhuc Catechumenis non concedebatur.

Quæ præparatio ad Baptiſmum adhibetur, eadem fere aliis Sacramentis præmittitur: Cum contractas animi ſui noxas Sacramentali Confeſsione delere parant, uno, aut altero die citius in Templum veniunt; ſtatim examen ſubeuntes, de Chriſtiana interrogantur Doctrina; cujus ſi obliti reperiantur, eam iterum audire coguntur: Si vero tenent, unius horæ ſpatio, quæ ad S. Pænitentiæ Sacramentum attinent, à Catechiſta, vel à Miſsionario docentur: quibus peractis idem Miſsionarius illos ad peccata ſua integre, & maximo cum dolore, firmoque animi propoſito accuſanda hortatus, præit illis clara, diſtinctaque voce, qua ratione actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis efformare debeant: Tum Sacro Tribunali aſsidet, eo quo diximus labore; ibi miniſterio ſuo fungens, quibuſnam conveniat ad Sacram Synaxim accedere, judicat.

Illi quibus optata hæc facultas datur, iterum audiunt à Catechiſta neceſſaria ad utiliter, digneque Auguſtiſsimum illud Sacramentum ſuſcipiendum; nec ante ad Sacram Menſam admittuntur, quam appoſi-

appoſitis reſponſis fidem faciant, ſe probe intelligere quantum inter Divinum Euchariſtiæ Cibum, alioſque communes, diſcriminis intercedat. Sacratiſs. Chriſti Corpus recipiendi tempore Catechiſta omnium nomine tenerrimum cum Salvatore colloquium altiori voce præfatur; edit virtutum actus, quibus tantum hoſpitem excipere congruit. Poſt Communionem Sacram conſiderationes aliquot piæ, quas meditentur, ad eorum ſenſum proponuntur: qualem Hoſpitem receperint; quam indigni eſſent tali honore, quo fine venerit; quid ei offerendum; quid ab eo petendum ſit: Quæ omnia bene præparatum Chriſtianorum pectus ita incendunt, ut ſatis eorum vultus, ſuſpiria, lacrymæque teſtentur, quanto intus gaudio perfundantur; difficileque eſt tali ſpectaculo aſſiſtere, quin ſpectator ipſe ad pietatem ſe ſentiat inflammari.

Similiter antequam Extrema Unctio Infirmis adminiſtretur; antequam præſente Miſſionario matrimonium contrahatur, curamus ut probe ſciant, quid de Sac. illis Sacramentis Fides doceat, ut ad ea ſanctè, & cum fructu percipienda ſe comparent; altamque de illis, cæteriſque Chriſtianæ Religionis Myſteriis exiſtimationem concipiant; noſtroque ingenti ſolatio cernimus, maximo ab eis pietatis ſenſu, & animarum ſuarum profectu percipi.

Iuven-

Iuventutem chriſtianè inſtituendi non minor cura: aliqui è Miſſionariis, quantum locorum, ac temporum ratio patitur, publicas Scholas habent, quibus ſuis impenſis Magiſtros præficiunt, qui pueros legere, ſcribere, computa inire docentes, occaſionem hìnc ſumant, Chriſtianæ Legis dogmata, ac præcepta tradendi, & tenello huic Gregi invigilandi, ut ad Fidei Chriſtianæ normam mores, vitamque componere aſſueſcant. Eò Chriſtianorum in vicinia commorantium liberi veniunt; & aliquando Ethnicorum etiam filii admittuntur, ut Chriſtianam Legem cognoſcentes, ad eam ſenſim adducantur: Utinam omnibus in locis ejuſmodi non tam litterarum, quam virtutum ſcholæ poſſent aperiri: At præter quam quod certa loca, ob Principum Tyrannidem, id non patiuntur, obſtat etiam ſæpe inopia Miſſionarii, qui ſumptus ingentes in res magis adhuc neceſſarias facere tenetur.

Qui in Chriſtianas Scholas venire nequeunt, ii domi à parentibus edocentur: nec minus ſollicite ab iis, qui eos de Sacro fonte levarant: quippe maximum peccatum ſe admittere ſciunt, ſi bonæ inſtitutioni providere neglexerint eorum, quos Spiritualium filiorum loco ſe habituros Eccleſiæ promiſerant: Viſi ſunt, qui longa itinera eam unam ob cauſam ſuſciperent, ut ſalutaribus monitis eos ju-

varent,

varent, quos in ſpiritualibus filios ſibi elegerant. At ſi in eo negligentes utrique fuiſſent, cum ineundum eſt matrimonium, quod in ipſa pubertate omnes contrahunt; non ante illud celebrare ſinuntur, quam de Chriſtiana Doctrina ſeverum examen ſubierint; quam ſi minus noſſe comperiuntur, ad aliquot dies, ut eam addiſcant, detinentur.

In Eccleſiis ad quas Miſſionarii vulgo reſident, diebus ſingulis naſcente Sole Oratio fit matutina; & commemoratis per intervalla decem Divinæ Legis Mandatis, Chriſti Domini Corona recitatur: ſub noctem fit conſcientiæ examen; Beatiſs. Virginis Matris Litaniæ cum tertia Roſarii parte alternis choris recitantur; ad cujus Decades ſingulas præcipuorum Chriſti, Sanctiſſimæque ejus Matris Myſteriorum memoria revocatur.

Altaris Sacrificio, quantum poſſunt diebus ſingulis religioſiſſimè interſunt; & cum plures adſunt Sacerdotes, nullus fere eſt, qui non omnibus, quotquot celebrantur, aſſideat. Sacrificii tempore pia aliquot Cantica ſat belle canunt; auditaque adhortatione, quam aliqui ſingulis diebus ad populum habent, in domos ſuas, quæ ſæpiſſime longe diſtant, modeſte revertuntur.

In locis ubi Sacerdotes commorari nequeunt, cujuſcumque Oppidi Chriſtiani in quoddam Sacellum ſingulis diebus conveniunt; ibique Orationes

ſuas habent: Dominicis vero diebus longiores preces fundunt, & alicujus pii libri lectionem, quamque illius loci Catechiſta ad illos habet cohortationem attentè audiunt: Sic Miſſæ Sacrificium, aliaque pietatis officia, quæ præſente Miſſionario haberent, eo quo poſſunt modo religioſe ſupplent.

In tot, tamque variis miniſteriis, cum omnia per ſe facere nequeant Miſſionarii, vicaria Catechiſtarum ope utuntur; quos magno numero alunt, & maiori alerent, ſi facultates ſuæ paterentur; eo quod quanto maior illorum Catechiſtarum numerus, tanto uberiores colligimus converſionum fructus. Dant illi operam, ut Ethnicos ab impia ſuperſtitione ad Evangelicam veritatem traducant: pagos curæ ſuæ commiſſos undique luſtrant; & præſertim ad quos accedere nequeunt Miſſionarii; Neophytos perſecutionum tempore ſolantur, hortanturque, ut tormenta pro Chriſto æquo animo, fortiterque ſuſtineant; Catechumenos erudiunt; diſcordias componunt; Neophytos ad Sacramenta præparant; omnibus rerum cæleſtium deſiderium occaſione data inijciunt; ea denique omnia præſtant, quæ Sacerdotalem poteſtatem non requirunt.

Quod ſi quis e Chriſtianis graviorem aliquam culpam committat, ſalutari in illum pænitentia animadver-

madvertitur; & quidem publica, ſi peccatum publicum fuit: Cogitur, verbi cauſa, aliquot diebus ad Eccleſiæ limen conſiſtere; ut ibi orationi, pænitentiæque vacet, ac Doctrinam Chriſtianam iterum audiat, quam minus bene a ſe præceptam fuiſſe operibus comprobavit.

Cap. XV.

Quales ſint Chriſtiani illarum Miſſionum.

LIcet ſuo apud Deum merito non fraudetur, qui diligentem infructuoſæ alicui Domini Vineæ navat operam; fatendum tamen magnum ad labores, ſtudiumque Vineæ colendæ incitamentum eſſe, ſi ſuæ diligentiæ, ſuiſque curis tellurem reſpondere videat: Hæc fuit hactenus Miſſionariorum Tamulenſes terras excolentium felix conditio: Non ſolum multi illorum regnorum Ethnici in Evangelicam Fidem conceſſere; ſed Chriſtum induentes, optimi facti ſunt Chriſtiani; utpote qui ad omnes Fidei regulas vitam ſuam accurate componentes, Europæis ipſis exemplo eſſe poſſint. Certe tanta ſunt vitæ integritate, ut non ſit infrequens Miſſionarium à prima luce ad meridiem uſq; Con-

feſſiones excipere, quin lethalis peccati reum quenquam inveniat. Jam ſi bonæ animæ ſignum eſt, ibi timere culpam, ubi culpa nulla eſt; illud non minus in illarum Miſſionum Chriſtianis elucet; qui minutiſſimarum, & ab omni nœvo alienarum rerum accuſatione Miſſionarios vulgo fatigant: Vix quidquam ab aliis male fieri vident, vel audiunt, quod ad Sacrum Pænitentiæ Tribunal perinde non deferant, ac ſi in eo ipſi deliquiſſent. Et quia conſilia inter, & præcepta non ſatis ſciunt diſcernere; vix aliquis virtutis actus ſuaderi illis poteſt, quin ſibi peccare videantur, ſi illud quamvis neceſſitate omittant.

Eorum ſtudium erga res ſacras maximum eſt: Si quando Miſſionarii nequeunt in aliqua Provincia commorari ob graſſantes in ea perſecutiones; non dubitant Neophyti longa itinera ſuſcipere, ut Sacrorum Myſteriorum fiant participes: veluti olim Tobias cum paucis Iſraelitis ad Templum Hieroſolymitanum ex Regno Samariæ ventitabat. Et cum itineri faciendo neceſſarium ſit in illis terris, quæ ad victum ſunt opus ſecum deferre; non infrequens eſt videre utriuſque ſexûs Chriſtianos, trium, vel quatuor dierum itinere ſarcinas illas deferentes, Sole fervido, & æſtuoſo pedibus incedere, & in Eccleſiam tendere; quod ſine magna commiſeratione ſimul & admiratione conſpici nequit.

Quod

Quod ad Fidem ſpectat, quam Idola adverſentur, & quam ſint Religionis ſuæ tenaces, abunde probant tot inſectationes, quas alias ex aliis quotidie patiuntur: Enarrandæ eſſent omnes ſingillatim, ut Chriſtiani illi probe noſcerentur; & eſſet totius Miſſionis hiſtoria conſcribenda, quæ ex narratione perſecutionum, nunc ab his, nunc ab illis Principibus exortarum tota conſtat. Ex infeſtis illis agitationibus maxima ſemper conſtantia emerſere Chriſtiani Tamulenſes, meritaque fortitudinis laude apud omnes potiti erant: At pro conſtantiæ laudibus, quibus anteaglorioſe extollebantur, levitatis notam modo illis inurere voluerunt argutatores nonnulli; qui ob paucos in diriſſima perſecutione lapſos affirmare non dubitarunt, Neophytos illos animo cadentes, in illa ipſa perſecutione minus fortiter ſe geſſiſſe: Jamque ſpargebatur rumor Fidem in illis terris à Rege Tanjaurenſi in eam tunc temporis ſæviſsime debacchante fuiſſe penitus everſam: Quod ut appareat tam fuiſſe falſum, quam Neophytis injurioſum; non poſſum hìc paucis non referre, qua ratione ſe res habuerit; ut ex modo quo ſe Chriſtiani difficillimis illis temporibus geſsere, qui, qualeſque ſint, innoteſcat.

Non evenit tunc per Dei Miſericordiam id, quod Cyprianus ſuo tempore aliquibus eveniſse deflet; qui *non expectarunt ſaltem ut interrogati negarent,*

ut

ut thus accenderent apprehenſi: multi ante aciem victi; ſine congreſſione proſtrati; ne hoc ſibi reliquerunt, ut ſacrificare Idolis viderentur inviti: Longe aliter obtigit in Miſsione Madurenſi: Sæviente enim quatuor ab hinc annis memorato jam Tyranno in Chriſtiani nominis profeſsores, illoſque è Regno ſuo ad unum convellere meditante; Tamulenſes Neophyti fortunis primo deturbati, jacturam illam lucro appoſuere, poſseſsioneſque ſuas arbitrati ſunt ut Stercora, ut Chriſtum lucrifacerent: In carceres pertracti ſunt viri, & quod inter illas gentes prorſus inſolens eſt, ipſæ mulieres cum pueris, ac puellis. Multi ex primoribus non tanquam ad ergaſtula, ſed tanquam ad palatia convolabant; in ſatellitum manus ultro ſe tradebant, ibantque gaudentes, ut Religionem ſuam, uti dicebant, rationibus coram Tyranno comprobarent, & ſanguine etiam proprio obſignarent, è carceribus non educi capientes, niſi ut Martyrii Palma in ſuperas Sedes migrarent: Nam edocti, quæ gloria ſit, quantaque felicitas Chriſtiano pro Fide ſanguinem fundere, nil niſi martyrium reſpirabant: Et jam nonnulli paternam benedictionem à parentibus flagitabant, eamque parentes filiis impertiebantur, ea alacritate, quæ ſatis oſtenderet, non putare ſe filiorum jacturam facere, ſed Deo, à quo eos acceperant, reſtituere. Fuerunt hæc veluti pugnæ præ-

ludia;

Iudia; ad certamen ipſum paulo poſt deventum eſt: Cæpta Fidelium conſtantia tormentis atrociſsimis tentari: Parum fuit eos fame, ac ſiti prope enecare: Mox acceſſere flagellationes ſæviſſimæ, in quibus ſcuticis retortis, & intertextis, corpuſque totum complectentibus, Chriſtianorum humeri, pectoraque crudelem in modum dilaniabuntur: Supplicium illud mane, ſeroque iterabant; ſpatio non conceſſo, niſi ut tortores quieſcerent, aut intermiſſis vulneribus magis ſentiendi mora relinqueretur.

Interea impuri quidam milites oppugnavere, ſed non expugnavere quarundam Chriſtianarum mulierum pudicitiam: promiſſis additæ minæ, minis crudeliora verbera: ſuſtinuere pudicæ fæminæ, ſupra ſexum fortes; & pro duplicato ſupplicio duplicatam mercedem ſibi propoſitam ſperantes, in tormentis viriliter perdurarunt; eaſque invictas Fides pariter, & Caſtitas reddidere. Alia importunas militis ſolicitationes aliter eluſit, quam optandum fuiſſet: impetrata licentia ad ſtagnum eundi, ut biberet, in illud ſe ſe conjecit: Quod Neophytæ mulieri optime ſe facere putanti, & forte inſolito Spiritus Sancti impulſu id facienti, tam condonandum videtur, quam Martyribus Maſſæ candidæ, qui in calcem vivam ſponte ſe conjecere; totque aliis, qui martyrium prævenire, quam expectare maluerunt.

Non

Non hìc ſtetit Tyranni furor, ni Parentibus eriperet aliquid vitâ ipsâ charius: juſſit itaque pueros, ac puellas præſertim quotquot forent magis ingenui, honeſtioribuſque parentibus nati ex ipſorum ſinu avelli, & in Palatium deportari; ut ibi exoſas illis populis ſaltandi, & inſtrumenta pulſandi artes, quibus imbellis Rex ille nimium addictus eſt, ad ipſum oblectandum ediſcerent. Hìc vero quis ſine lachrymis memoret, quam triſte ſpectaculum præberent infeliciſsimæ illæ Matres: Earum aliquæ tantos clamores, tamque miſerabiles gemitus emiſere, ut ipſam lictorum ferocitatem, quam vi frangere non poterant, ſuis ejulatibus exarmarint, filioſque ſuos retinuerint: Aliæ magis barbaros raptores nactæ, quos nec lacrymis, nec precibus exorare potuere, liberos ſuos non tam Tyranno largiebantur, quam ipſi Deo, cui ſe acceptiſsimas victimas offerre putabant; uberius ex tali Sacrificio præmium ſperantes, quam ſi bona omnia ſua, uti dicebant, pauperibus erogaſsent, vitamque propriam obtuliſsent: Fuere quæ virili pectore, non modo liberos darent conſtanter, ſed paratas etiam ſe oſtenderent in triſtem ſervitutem ipſæmet concedere, una Fide contentæ, quam nullus ipſis eripere poſset. Omnes id maxime flebant, quod viderent, in quanto periculo Fidei amittendæ futuri eſsent ſui liberi; qui adultæ rationis nondum compotes in Idolola-

træ Regis Palatium aſportabantur: Sed quid facere tunc poterant miſeri parentes, niſi ut eos Divinæ Providentiæ committerent. Eorum vota non cecidere irrita, ſtupendo prorſus miraculo; tale enim nomen meretur res adeo inuſitata: Factum eſt, ut illi pueri traderentur Chriſtianarum curæ Viduarum, quæ ad hoc ipſum eodem tempore captivitati addictæ ſunt: Hæ tenello illi gregi matrum præſtant vices, eorumque animas curant, & corpora: Piæ illi inſtitutioni accedunt admonitiones optimæ parentum, qui illis per internuntios ſæpe commendant, ut meminerint ſe Chriſtianos eſſe, nihilque tali nomine indignum peragant: Id etiam Miſſionarii eodem modo inculcari jubent. Curis illis tam feliciter hactenus in Fide perſtitere, ut illud impietatis domicilium recitatis quotidie Litaniis Chriſti, Deiparæque laudibus perſonet: Roſaria etiam à me ſibi mitti poſtulavere, quod eis concedere non potui; ne illorum conſpectu excandeſcens Barbarus, qui eos neſcit chriſtianè inſtitui, ſanctum illud opus interturbet, & in eos funeſtius aliquid moliatur.

Ut ad parentes in carceribus conſtitutos revertatur oratio, perrexerunt in eos ſævire miniſtri tanto immanius, quanto lentioribus tormentis; adeoque nec vitam vivere, nec mortem oppetere illis concedebant: *Tormenta venerunt*, ut ait Cy-

prianus, *& tormenta ſine fine tortoris, ſine exitu damnationis, ſine ſolatio mortis; quæ non facile dimittant, ſed tandiu torqueant, quandiu deſclant.* Ita prorſus ſe res habuit: Sperabant Neophytorum multi ſe ſtatim, aut ſaltem poſt aliquot certaminis dies ad Martyrii palmam perventuros, eàque ſpe ſolabantur acutiſſimos verberum dolores. Jam ſeptima carnificinæ dies eluxerat; jamque præcipuos illius perſecutionis authores pudebat, quod ſic à fœminis, à pueris vincerentur; deque illis dimittendis, aut ſaltem non amplius cruciandis deliberatum erat: cum data ſibi juſſa diſſimulans Miniſter ipſo Tyranno crudelior, venit ipſe ad carcerem, denuntiatque Chriſti Confeſſoribus, ſcire ſe quidem libris noſtræ Religionis ſcriptum eſſe, quæ & quanta merces Martyrio ſponderetur; quam certa, compendioſaque ad Cælum via eſſe diceretur, mors pro Chriſto oppetita: nihil eſſe quod ſibi de tali ſpe blandirentur; facturum ſe, ut ſemper miſeri, nunquam Martyres fierent: hactenus tolerata omnia vix dolorum initia eſſe: itaque ſibi conſulerent, & invocato Deo *Xiven* ſe à tantis malis immunes facerent; Simul hæc ſimul ingeminari jubet verbera. Concidere animi aliqui, ut verum fatear, ad ejuſmodi denuntiationem; & è quatuor circiter mille Chriſtianis, qui in variis Tanjaurenſis Regni carceribus detinebantur, quinquaginta

fere

ſere in primaria Urbe, & non plures, ut ego in locis ipſis cognovi, linguam ſuam publicà, & funeſtà, quamvis coactà, illius Idoli invocatione, polluerunt. Reliquorum crevit pugna, crevit & gloria: Ex illis aliqui utriuſque Sexùs Confeſsores, miſeriis in ipſo carcere toleratis glorioſa morte occubuere; non illi ceſsere ſuppliciis, ſed ſupplicia illis ceſsere; & dolorum finem, quem cedendo dabant, redimiendo illuſtrabant. Aliorum, qui tormentis maiores duravere Fidem inexpugnabilem ſuperare non potuit diu furens repetita plaga; quæ deinde in tantam ſævitiem excrevit, ut verberum ictus non tam Chriſti militum membra, quam vulnera torquerent.

Eliciebat tamen præ cæteris lacrymas calamitas junioris mulieris, quæ una cum filio ſuo adhuc puellulo patiebatur: In utrumque æqualiter ſæviebant tortores, ut quodam modo bis ſimul torqueretur parens: flebat puer, cumque non auderet ipſe Idoli nomen proferre, quin illi mater exemplo præiret, nec pati poſset amplius vim doloris, rogabat matrem, ut utrumque liberaret: O durum certaminis genus, in quo æqualiter & crudelitati, & commiſerationi; furori, & pietati; flagellis, & lacrymis reſiſtendum erat! reſtitit tamen conſtantiſſime, natumque verbis & exemplo corroborans, nec propriis malis victa eſt, nec alienis; ſi tamen

 aliena

aliena matri dicenda ſunt filii vulnera, quæ magis quam propria illam cruciabant.

Novo alio tormenti genere tentata eſt Neophytorum noſtrorum conſtantia; eos quippe infami ferro inuſsere, in quo dolum etiam cum crudelitate junxerunt, ferris ad hoc utentes, quorum aliqua Idoli figuram imprimerent: Hic iterum deſiderata eſt maior in paucis aliquot Chriſtianis fortitudo; qui non ſatis pugnavere, ne illo beſtiæ ſigno notarentur; proptereaque quemadmodum lapſi, publicæ pænitentiæ poſtea addicti fuere: Qui vero alio communi ferro inuſti ſunt, hoc eàdem conſtantià, quæ reliqua tormenta, pertulerunt; ſeque non tam illis infamiæ ſignis dehoneſtatos putavere, quam illuſtratos; cum cicatrices illæ fortiter pugnando acceptæ totidem ſuæ victoriæ ſymbola forent.

Qui Dæmonis, ut ita loquar, ferro ante notati fuere, quam fraudem ſuſpicarentur, vel quoad ejus fieri potuit, reluctando; dolebant quidem illi plurimum, quod tam exoſa ejuſmodi figura ſuum corpus veluti pollueretur: Se ipſos tamen conſolabantur, quod parum noceret, ſi cui invito, ac reluctanti beſtiæ character in corpore fuiſset impreſsus, qui animo non potuerat imprimi; quodque victi ac triumphati Dæmonis, non vero adorati illa inuſtio ſignum foret; quæ proinde plus

gloriæ

gloriæ haberet, quam turpitudinis.

Saturato denique odio, quod Tyrannus in Divinam Legem, ejuſque ſectatores conceperat, ſatiare etiam voluit cupiditatem, qua Chriſtianorum fortunis inhiabat: illos etenim non ſolum poſſeſſionibus deturbavit, dum carceribus manciparet, ſed etiam cum liberos demiſit, ingenti pecunia mulctavit; infidus & ipſe etiam illis, quos Chriſto infidos effecerat, & quos fortunis omnibus ſpoliatos, magnam inſuper auri vim pendere juſſit; Deo ſic diſponente, ut qui fidem ipſi debitam non ſervaſſent, nullam etiam in Tyranno experirentur. At cum nec imbelles iſti, nec fortes illi Confeſſores tot pecuniis reddendis pares eſſent, coacti ſunt utrique, vel proprias proles oppignerare, vel in ſolidum vendere, vel denique ſuper ſortes ſuas æs alienum contrahere; ita ut non defuerit ex mediæ fortunæ hominibus, qui domûs ſuæ direptio em paſſus, cogeretur mutua accipere ſexcenta ſcuta Itala, quibus Tyranni cupiditati ſatisfaceret, cujus furori jam fecerat ſatis. Ad calculum igitur vocata pecuniarum vi, quas Tyrannus à ſui Regni Chriſtianis extorſit, præter ingentes alias, quas Provinciarum Gubernatores, & Oppidorum Præfecti illis clanculum ſubripuerunt; ad minimum ſexcies mille ſcutorum millia collecta fuiſſe pro comperto habemus.

Tam

Tam ingens divitiarum jactura, totque tormenta pro Christo perpeſſa magnam Neophytis illis gloriam peperere; ſi non apud eos qui vago rumori plurimum tribuentes, rem momento ſuo ponderare negligunt; certe apud eos, qui animum ad veritatem unice traducentes, eam à fidelibus oculis tanquam à teſte exegimus; idque nec ſolum in eorum exiſtimatione, qui lumine Fidei illuſtrati, melius de rebus judicamus, verum etiam in opinione Infidelium, qui conſtantiam illam ſatis admirari non poterant: Audivi ipſe multos ex illis acriter increpantes ignaviam illorum, qui tempore tribulationis receſſerant; ſummiſque laudibus extollentes eos, qui corde optimo, & perfecto Fidem retinuerant: addebantque viros decere ejuſmodi robur; aut non fuiſſe Religionem mutandam, aut ſi alia ſuſciperetur, ſic pro ea fuiſſe decertandum: de ſe tamen, ac ſuæ Sectæ hominibus candide fatebantur, tormenta vel etiam leviora nunquam fuiſſe paſſuros, ut ne Deum Chriſtianorum invocarent; primorum ictuum metum ad id ab ipſis obtinendum ſatis, ſuperque fore: Sed ignaviam ſuam in eo agnoſcentes, Neophytorum noſtrorum fortitudinem commendabant.

Cum primùm ad me de tam ſæva, tamque late graſſanti tempeſtate perlatum eſt, advolavi illico, ut opem aliquam afferrem: qua in occaſione mul-

torum

torum Chriſtianorum conſtantia, roburque iterum enituit; me etenim ſolum in tanta pericula mittere non ſuſtinentes, quamvis alii tunc temporis in carceribus adhuc eſſent detenti, me conſtantiſſime comitati ſunt; eorumque fortitudine in bonam ſpem erectus ipſe animum deploratæ, & decidenti jam cauſæ diffidentem collegi, ut interritus ad Miniſtros regios accederem, rem Chriſtianam compoſiturus; quod non ſine magno labore, & ſingulari Dei ope feliciter obtinui.

Cum ad pungendam ſolum, ut à principio monuimus, & non ad ſatiandam lectorum curioſitatem, hanc Indicarum Miſſionum ennarrationem conſcripſerimus, ne à propoſito longe trahamur; Satis hæc eſſe opinor, ut qui, qualeſque ſint illi Neophyti, quibus in regionibus degant, & quam uberes fructus Miſſiones Tamulenſes ferant abunde intelligatur. Multa præterea ad illas Miſſiones ſpectantia, & deſtinato prætermiſſa, aliaque levi calamo, vel curſim perſtricta, quæque poſtea fuſiori ſtylo opportunius diſcutienda erunt, pleniorem Indicarum conſuetudinum notitiam ſtudioſo lectori ingenerare poterunt. Si tamen de illis omnibus altiùs diſſerendo, cum videlicet obſervationes in Illuſtriſs. Patriarchæ Antiocheni Decretum deinceps afferendas inſtituerimus, è ſupramemoratis Indorum conſuetudinibus aliquas ad rem noſtram

infe-

inferius aſpergere, vel iterum adducere videamur; id certe nobis vitio verti non poterit; cum ea omnia, & ſuperius ordine apponi, & inferius è re nata carptim perſtringi, illarum defenſio Miſſionum, quarum cauſam tuendam ſuſcepimus, omnino poſtulare videatur.

Sequitur igitur, ut ipſam ſecundam, & præcipuam hujus operis partem aggrediamur, Libellum nempe ſupplicem, quem pro defenſione earumdem Miſſionum, in quas præcipue Decretum illud latum fuit, Pontifici Maximo efferre inſiſtimus. In eo Libello facta, factorumque adjuncta, quibus Decreti illius ſtatuta innituntur, in perſpicuam veritatis lucem proferuntur; in eo rationum momenta, quibus illarum Miſſionum inſtitutum ab uno fere ſæculo inceptum ad hanc uſque memoriam perſiſtit, liquido exponuntur; in eo denique Illuſtriſs. Indiarum Antiſtites à Sanctiſs. Domino Noſtro enixe poſtulant, ut pro ſua erga Neophytos Indos Clementia, naſcentis, & afflictę illius Eccleſię ſortem miſeratus, Indorum genio, quantum per jura licet, benigne indulgeat; ac procedentibus rationum momentis, & ex æquo, bonoque æſtimatis, Gentilium converſioni conſulendo, illarum Miſſionum cauſam ultimo judicio definiat.

DILU-

DILUCIDATIO
LIBELLI SVPPLICIS
Sanctiſſimo Domino Noſtro
CLEMENTI PAPÆ XI.
Super Decreto in Indijs lato
Ab Illuſtriſſimo Patriarcha Antiocheno
D. CAROLO THOMA
MAILLARD DE TOURNON
Viſitatore Apoſtolico Oblati.
A FRANCISCO LAINEZ SOCIETATIS JESU ELECTO EPISCOPO MELIAPORENSI.

SANCTISSIME PATER.

TRiſti, ſed ineluctabili prorſus neceſſitate evenit, ut quo tempore Sanctitas Veſtra optabat plurimum, finis imponeretur Sinenſis Eccleſiæ negotio, tot ab hinc annis inchoato; novum aliud non omnino diſſimile, nec minoris

Neceſſarium fuit ſupplicare ad Sactam Sedem.

O mo-

momenti ad Indicam Eccleſiam ſpectans Sanctitatis Veſtræ Tribunali offeratur ultimo judicio definiendum. Nam cum in Indias Orientales perveniſſet Illuſtriſs. Patriarcha Antiochenus D. Carolus Thomas Maillard de Tournon, quem Sanctitas Veſtra miſit ante paucos annos Viſitatorem Apoſtolicum cum facultate Legati de latere; interea dum Puducherii, quæ Arx eſt Regis Chriſtianiſſimi in Ora Choromandelica, expectat opportunitatem proficiſcendi in Sinas; cæpit inquirere, quo ſtatu Religio foret tum in illa Ora, tum in Miſſionibus Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi, quas Operarii Societatis IESU excolunt in mediterraneis Indiæ terris. Illi inquiſitioni tantum temporis impendit Illuſtriſs. Viſitator, quantum ex ſeptem menſibus ibi actis reliquum ipſi fecerunt negotia multa, occupationes diverſiſſimæ, morbuſque pertinaciſſimus, quo diu conflictatus eſt. Poſtquam judicavit ſua Excellentia ſatis à ſe cognitam cauſam fuiſſe, Decretum tulit, quod hìc oculis Sanctitatis Veſtræ ſubjicio.

Occaſione Decreti ab Illuſtriſſimo Patriarcha Antiocheno in Indiis lati.

Quod Decretum hìc refertur.

Ca-

Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, SS. D. noſtri D. Clementis Divina Providentia Papæ XI Prælatus domeſticus, ejuſque Pontificio Solio aſſiſtens; necnon S. Rom. Univerſalis Inquiſitionis ſuper hæretica pravitate Conſultor, in Indiis Orientalibus, & Sinarum imperio, finitimiſque Inſulis Commiſſarius Viſitator Apoſtolicus cum facultate Legati de latere &c.

INter graviores, quibus premimur curas, pro Apoſtolici Viſitatoris munere, nobis, licet tanto oneri imparibus, injuncto; ea ſane eſt præcipua, cum nos hùc miſſos eſſe conſideramus ad expurgandum Dominicum agrum à Zizaniis novella Chriſti germina ſuffocantibus; & de alienis peccatis rationem eſſe reddituros, qui æternam Dei ultionem pro noſtris nunquam ſatis expiandis jure formidamus. Quamobrem, ſtatim ac ad has Indiarum Oras appulimus, mentis noſtræ oculos per vaſtiſſimas iſtas Orientales Regiones circumferentes, dum corpus pertinaci morbo jaceret detentum, Miſſionum neceſsitates undique inquirere curavimus, ut eiſdem pro viribus de opportuno remedio proſpiceremus. Et quidem

Memorat Illuſtriſſim. Patriarcha qua animi diſpoſitione Viſitat. munus exercere cæperit.

merito inter primas noſtræ ſolicitudini occurrerunt novæ Domini Vineæ in Regnis Madurenſi, Mayſurenſi, recentiuſque Carnatenſi, eiſdem fere legibus, pariqûe labore ab Evangelicis Societatis IESU Operariis Luſitanis, & Gallis plantatæ; ubi inter Ethnicorum, atque Gentilium perſecutiones, ac inter tot vitæ aſperitates virentes germinant Evangelii palmites, aſsiduis Miſsionariorum ſudoribus irrigati; illuc ſane fuiſſemus non minus laboris quam gaudii in Chriſto IESU participes eſſe vehementer cupientes, niſi ab hoc nobis diuturna infirmitas prohibuiſſet. Quod autem per nos ipſos immediate obtinere non licuit, exhibitum erga nos, & S. Sedem Apoſtolicam obſequium à PP. Venantio Bouchet Carnatenſis Miſsionis Superiore, & Carolo Michaele Bertoldo Madurenſi Miſsionario, Viris & propagandæ Fidei zelo, & Indigenarum rituum notitia præſtantibus opportune ſuppeditavit. Enim vero cum ab illis in moribus, lingua, & Religione iſtarum Regionum ex longa in his vitæ conſuetudine apprime verſatis plura certius cognoverimus, quæ eoſdem palmites enerves reddunt, & fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quam Viti, quæ eſt Chriſtus; in multo experimento tribulationis abundantia gaudii noſtri fuit. Rebus itaque maturo exami-

Vndique inquirit in Miſſiones Madurensẽ Mayſurenſem et Carnatenſem.

ni

ni ſuppoſitis, dictiſqu. Patribus ore tenus, & in ſcriptis fusè auditis, atque Dei ope publicis precibus implorata, ut Fidei puritati, ſpiritualique Chriſtianorum proventui ſalubriter in Domino conſulamus; atque ut fiat oblatio gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto ad præſens Decretum authoritate Apoſtolica, etiam cum facultate, qua fungimur, Legati de latere devenimus.

Denlq; ad præſes Decretum devenit.

In quo ſtatuitur.

Et à Sacramentorum adminiſtratione exordium ſumentes, diſtricte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris quam adultis cujuſcumque ſexùs, & conditionis ommittantur Sacramentalia, ſed omnia palam adhibeantur; & ſignanter Saliva, Sal, & Inſufflatio; quæ ex Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia recepit, & ob recondita in iis Sacris Ceremoniis Divinæ erga nos bonitatis myſteria ſanctè, & inviolabiliter cuſtodivit; Decreto S. Univerſalis Inquiſitionis de anno 1656. pro Sinis facto ob diverſas rationes, & circunſtantias minime obſtante. Item præcipimus, ut iuxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſuperimponatur baptizando à baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano deſcripti; omninò interdictis nominibus Idolorum, vel falſæ Religionis Pænitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophyti hactenus appellari conſueverunt,

De Ceremoniis Baptiſmi & rerum Sacrarum nominibus.

verunt, antequam per Baptiſmum eſſent Divinæ gratiæ renati. Nec Parochis, ſeu Miſsionariis, ſub quovis prætextu, liceat S. Crucis, Sanctorum, & rerum Sacrarum nomina per tranſlata immutare, nec alio idiomate explicare niſi latino, vel ſaltem Indico; quatenus voces hujus regionis latinæ ſignificationi liquido, & adamuſsim reſpondeant.

Ne differatur Infantium Baptiſmus.

Et quia audivimus Baptiſmum Infantium ex Chriſtianis parentibus ortorum eorundem incuria ſæpe ſæpius diu protrahi, non ſine maximo dictorum Infantium ſalutis diſcrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri poſſit, attentis circunſtantiis, genitoribus præfigant; graviter eorum conſcientiam onerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant Sacro Fonte abluendos.

De validitate & ſolemnitate matrimonii.

Præterea cum moris hujus regionis ſit, ut Infantes ſex, vel ſeptem annorum, interdum etiam in teneriori ætate ex Genitorum conſenſu matrimonium indiſſolubile contrahant per impoſitionem *Talis*, ſeu aureæ teſseræ nuptialis uxoris collo penſilis; Miſsionariis mandamus, ne hujuſmodi irrita matrimonia inter Chriſtianos fieri permittant, nec Sponſos ſic conjunctos cohabitare ſinant; donec completa legitima ætate, & ex-

plo-

plorato eorum conſenſu in facie Eccleſiæ iuxta formam à S. Concilio Tridentino præſcriptam, verum & canonicum matrimonium contraxerint.

Et quoniam apud peritiores hujus impiæ Religionis Sectatores *Tali* præ ſe ferat imaginem licet informem *Pulleyaris* Idoli nuptialibus ceremoniis præpoſiti; cumque dedeceat Chriſtianas mulieres talem effigiem collo afferre in ſignum matrimonii; diſtricte prohibemus, ne in poſterum audeant *Tale* cum hac effigie collo appendere. Et ne uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio *Tali* vel SS. Crucis, vel D. noſtri IESU Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis, vel alia quavis religioſa imagine ornato. Et cum ſuperſtitione non careat funiculus centum & octo filis compoſitus, & croceo ſucco delinitus, quo plerique dictum *Tale* appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum, & unctionem.

De monili quodā quod nuptæ geſtant, & de eius funiculo.

Ceremoniæ etiam nuptiales juxta harum regionum morem, tot ſunt, tantaque ſuperſtitione maculatæ, ut tutius remedium optari non poſſit, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia gentilitatis labe ſcateant, & difficillimum ſit eas à ſuperſtitione omnino expurgare. At vero ut faciliori converſionum viæ, & Neophytorum commodo, quantum fieri poteſt, indulgeamus,

mus, Miſſionariis, & præcipue Miſſionum Supe-rioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, ſeveriorique calculo ſuperſtitioſa omnia à dictis Ceremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod Chriſtianam pietatem offendat, & Gentilium ſuperſtitionem redoleat. Et ſignanter, præter eas, quas audivimus jam ſtatutas in hac materia reformationes, ramus arboris *Arajumaram* omnino auferatur; ferculorum numerus non minus, ac cibi præſcripta qualitas varietur. Circuli ſuper caput ſponſorum ad tollenda maleficia ōmittantur; & quod de ferculis diximus, de luteis vaſis ibidem adhiberi ſolitis, à nobis dictum, & prohibitum intelligatur. Fructus vero vulgo dictus *Cocco*, ex cujus fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temere ducunt, vel omnino à Chriſtianorum nuptiis rejiciatur, vel ſaltem, ſi illum comedere velint, non publice, ſed ſecreto, & extra ſolemnitatem aperiatur ab his qui Evangelica luce edocti ab hujuſmodi auſpiciis ſunt alieni.

De Ceremoniis nuptialibus Indorum.

Nullus rite, & ſufficienter diſpoſitus arceatur à Sacramento Pænitentiæ ad peccatorum remiſſionem tanquam inſtrumento D. Miſericordiæ à Chriſto Domino inſtituto: & ſignanter mulieres menſtruali morbo laborantes, non attentis diebus purificationis juxta morem Gentilium; cum

De mulieribus menſtruum fluxum patiētibus.

hæc

hæc Sacramentalis vera animæ purificatio, & non alia, ſit attendenda à Chriſti Fidelibus, eorumque Paſtoribus: quibus propterea non liceat, nec per ſe ipſos, nec per Catechiſtas, nec per alios quoſcumque dictis mulieribus prohibere accelſum ad Eccleſiam, vel ad Confeſſarium durante dicta infirmitate, & dicto purificationis tempore. Dedecet etiam Chriſtianæ Virginis honeſtatem prima vice dicto morbo laborantis, illum cognatis, vicinis, & amicis notum facere, ac inverecundè publicare; iiſque Ethnicorum more, & ritu in ejus domum collectis ſuper re tam ſordida feſtum inſtituere: quocirca hujuſmodi ſolemnitates, & ritus Orthodoxis puellis interdicimus, & abolemus, Miſſionariiſque injungimus, ut non ſolum eas, verum etiam genitores moneant, quam diſſona ſit virginei pudoris legibus hujuſmodi obſcœna conſuetudo; quæ à Gentilium impudentia videtur inducta; ita ut labefactatà puellarum verecundià, eas effrenate ad libidinem provocare valeant.

Ferre pariter non poſſumus, quod à Medicis ſpiritualibus pro animarum ſalute ea charitatis officia denegentur, quæ Medici Gentiles nobilis etiam generis, ſeu Caſtæ, pro corporis ſalute præſtare non dedignantur Infirmis, licet abiectæ, & infimæ conditionis, vulgo dictis Pareàs. Qua

De adeundis ignobilium domibus.

propter diſtricte mandamus Miſſionariis; ut quantum in ipſis erit, nemini ex Chriſtianis ægrotis, quantumvis Parèàs, & vilioris, ſi adeſſent, generis hominibus, deſideranda relinquatur in infirmitate copia Confeſſarii: Et ne ingraveſcentibus morbis, cum graviſſimo vitæ temporalis periculo æternæ conſulere cogantur, iiſdem Miſſionariis præcipimus, ne infirmos hujuſmodi conditionis ad Eccleſiam deferendos expectent; ſed conſultiùs domos, ubi ægrotant, pro viribus petant, ad eos inviſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos; atque demum eos in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos Sancto Infirmorũ Oleo deliniant, abſque perſonarum, aut ſexùs acceptione; expreſſe damnantes quamcumque praxim, Chriſtianæ huic pietatis officio contrariam.

De Chriſtianis in Feſtis Gentiliũ inſtrumenta pulſantibus.

Non ſine maximo animi noſtri mœrore accepimus, etiam Chriſtianos Timpanorum pulſatores, Tibicines, aut alterius cujuſcumque muſici inſtrumenti pulſatores ad Idolorum feſtivitates, & ſacrificia accerſiri ad ludendum; & interdum etiam cogi ob quandam ſervitutis ſpeciem erga publicum ab ipſis contractæ per hujuſmodi artis exercitium; nec facile eſſe Miſſionariis eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere. Quocirca

circa

circa conſiderantes, quam gravem rationem eſſemus Deo reddituri, ſi hujuſmodi Chriſti Fideles à Dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus; illis prohibemus, ne in poſterum audeant nec in Pagodis, nec extra, cum occaſione ſacrificiorum, tùm quarumcunque ſolemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbutarum ſonare, aut canere, ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ; cum nullo modo liceat Chriſti Fidelibus Belial inſervire: ideoque Miſſionarii non ſolum eos monere tenebuntur de præfata prohibitione, verum etiam illam omnino excutioni demandare; & contrafacientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipiſcant; & publicis pænitentiæ ſignis patratum ſcandalum emendaverint.

Quo tempore, et modo corpus ablui poſſit.

Declaramus præterea Pontificiam Conſtitutionem Gregorii Papæ XV. incipientem-Romanæ Sedis Antiſtes-, ad petitionem PP. Societatis IESU editam, quà Indigenis Chriſti Fidelibus lavacra non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & à naturalibus ſordibus mundandi ab Apoſtolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus à Gentilibus adhiberi ſolent; æquè afficere Evangelicos Operarios: quibus propterea non liceat ſub quacumque alia cauſa, & fine, etiam ad effectum ut

exiſtimentur Sanniaſes, ſive Brammanes præ cæteris dediti hujuſmodi ablutionibus, illis uti, præſertim eorum horis, & ante, vel immediate poſt quamcumque ſacram functionem.

De uſu Cinerum apud Indos.

Cineres utique ex Vaccæ ſtercore confectos, & impiam Gentilium pænitentiam à *Rutren* inſtitutam redolentes, benedicere, eoſque fronti Sacro Chriſmate delinitæ impingere; ſive alia quævis ſigna albi, vel rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſimi in fronte, vel in pectore, aut in alia corporis parte utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi, ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religioſe ſerventur, tempore, & modo ab Eccleſia præſcripto, ſcilicet Feria quarta Cinerum, & non aliàs.

De Libris Gentilib. nõ legendis.

Et demum quia ex librorum de falſa Religione, & de rebus obſcœnis, ſuperſtitioſiſque tractantium lectura venenum ut plurimum ſerpere ſoleat ad cor Fidelium; quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur; magnopere commendantes zelum, ac ſtudium Miſſionariorum, qui libros ſanam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque ſacrarum monumenta continentes pro Indorum Chriſti Fide-

lium

lium eruditione in linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam tranſtulere, vel novos pro illorum commodo, & inſtructione compoſuere; iiſdem Chriſti Fidelibus expreſſe interdicimus fabuloſos Gentilium libros, eoſque legere, & retinere prohibemus ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ, niſi prius habita licentia Parochi, ſeu Miſſionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem ſuper hoc diſpenſandi; & libros, ſi qui forte ſunt, noxia ſuperſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes pro Chriſtianorum uſu ſeligendi, eorumque lecturam permittendi.

Cenſuræ à Patrib. Societatis Decreto cõtravenientibus incurrendæ.

Ea igitur univerſa, & ſingula authoritate Apoſtolica, & tenore præſentis damnamus, ac diſtrictiori, quo poſſumus, modo prohibemus; mandantes P. Provinciali Provinciæ Malabaricæ, cæteriſque ſuperioribus Societatis IESU in Indiis Orientalibus, ut hoc noſtrum Decretum notificent ſingulis Miſſionariis, ſive aliis quibuſcumque curam animarum exercentibus, ſibi ſubiectis; illudque perpetuo, & inviolabiliter exequi faciant ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ quoad Provinciales, & Superiores; & ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendæ quoad ſubditos contra facientes, ſeu aliter permittentes: atq; ita decernimus, & mandamus

in

in omnibus; donec aliud fuerit ab Apoſtolica Sede, vel à nobis ejuſdem authoritate proviſum, inviolabiliter ſervare, non obſtantibus quibuſcumque &c.

Illuſtriſs. Patriarcha non ea approbat, de quibus non decernit.

Et ne iis, quæ expreſſe præcepta, vel prohibita à nobis fuere, tacitum quis deducere valeat in reliquis practicari ſolitis in iſtis Miſſionibus noſtrum aſſenſum, ſeu approbationem, cum plura fortaſſe reformatione digna noſtram cognitionem effugerint; & alia maturiùs examen poſtulantia indeciſa remanſerint; hanc interpretationem omnino rejicimus, & menti noſtræ eſſe contrariam declaramus.

De promulgatione Decreti.

Volumus autem juſtis de cauſis, ut hoc noſtrum Decretum afficiat, & pro publicato habeatur poſt illius traditionem à noſtro Cancellario faciendam P. Guido Tachard Vicario Provinciali Patrum Gallorum Societatis IESU in Indiis Orientalibus: Cui propterea in virtute S. Obedientiæ onus injungimus quatuor ſimilia exemplaria tranſmittendi ad Patrem Provincialem Provinciæ Malabaricæ, & ad PP. Superiores Miſſionum Madurenſis, Mayſurenſis, & Carnatenſis; quibus poſt bimeſtre à die conſignationis faciendæ dicto Patri Tachard, & reliquis Miſſionariis, poſt trimeſtre, idem Decretum pro publicato, & notificato pariter habeatur.

Da-

Datum Ponticheri in Sacra Viſitatione Apoſtolica hac die vigeſima tertia Junii an. 1704. Pontificatùs autem Sanctiſſimi D. Noſtri D. Clementis Papæ XI. anno quarto.

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus, & Viſitator Apoſtolicus &c.

NON dubitant Indiæ Miſſionarii, Beatiſſime Pater, quin Sanctitas Veſtra cùm primum legit Decretum iſtud, permoleſte tulerit, tot ſuperſtitiones fuiſſe eatenus ab ipſis toleratas; dolueritque plurimum ex Decreto cognoſcens novarum Vinearum illarum Palmites, qui debuiſſent omnium bonorum fructuum genere abundare, repertos fuiſſe ab Illuſtriſ. Patriarcha enerves, fructu vacuos; utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quam Chriſto, qui eſt vera Vitis.

Huius Decreti lectio magnū procul dubio dolorem attulit Suę ā-ctitati.

Hæc ipſa, aliaque multa inexpectatiſſima ubi legimus in Decreto Miſſionarii, ita attoniti hæſimus primum, tamque diverſis poſtea animi motibus turbati fuimus, ut non facile foret eos verbis exprimere. Hinc ſumma veneratio debita Sanctitati Veſtræ, cujus nomine Illuſtriſ. Patriarcha loquebatur; deſiderium omnibus in rebus ſuæ Excellentiæ obſequendi; terror graviſ-

Incredibilē attulit Miſſionariis.

ſimarum

ſimarum Cenſurarum, ſub quibus Decreti obſervatio præcipiebatur: illinc vero evidens periculum florentiſſimarum Miſsionum, Neophytorum infamatio, manifeſta multis in Decreti locis falſi obreptio, maximas nos in anguſtias conjecere.

Quid in tanta calamitate faceremus? Saltem ſi per tempus liceret exponere Illuſtriſs. Patriarchæ verum rerum ſtatum, ſpes forte fuiſſet aliqua, ut Decretum ſuum immutaret. At vix tres dies ſupererant uſque ad Illuſtriſs. Patriarchæ diſceſſum: quippe ita agendum putavit ſua Excellentia, ut Decretum, etiam poſtquam confectum, & obſignatum fuit, Miſsionariis occultaret; illudque non niſi triduo ante profectionem traderet; quod ipſum iteratis precibus vix obtinere potuimus. Quid apud Illuſtriſs. Patriarcham efficere poteramus tam exiguo temporis intervallo, & temporis tam parum opportuni, quo ſua Excellentia itineri ſe accingens, curarum, negotiorum, & valedicentium turba obruebatur. Videbamus præterea Illuſtriſs. Patriarcham, qui conſultò tandiu diſtulerat Decretum tradere, quippe illud jam antea retulerat in librum Viſitationis acta continentem, hoc ipſo parum admodum diſpoſitum fore ad ſuum Decretum immutandum; animoque admodum averſo

Et præſertim quod deeſſet tempus ad reponendum.

Et quia jam vix poterat mutari Decretum.

averſo omnia accepturum, quæ ad Decreti illius immutationem, tunc veluti impoſsibilem, pertinere viderentur.

Ut tamen nihil intentatum relinqueremus, & ne Sanctitatem Veſtram cogeremur interpellare, illo qualicumque tempore utendum rati, totam noctem inſumimus in exiguo ſcripto deproperando; in quo potiſſimas difficultates proponebamus. Reſcivit Illuſtriſs. Patriarcha quid meditaremur; renuntiari juſſit, nullum à ſe ſcriptum admiſſum iri: licet æquum videretur, ſaltem ut illud legeret; poſteaque tantam illius haberet rationem, quantum res in eo ſcriptæ mereri judicarentur. Ad hunc nuntium mærore dejicimur; inſtamus, perſiſtimus ad januam ſuæ Excellentiæ commoda alloquendi tempora captantes; ac tandem nocte, quæ diem profectionis anteceſſit, admiſſi ſumus. Obtulimus breve illud ſcriptum, quod iterum rejecit ſua Excellentia; ſolum facultatem dedit ore proferendi, quod haberemus ſuper Decreto exponendum. Nos tametſi judicabamus id, quod paucis ante diebus ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha judicarat, ejuſmodi res ſcripto melius, quam voce peragi; propoſuimus tamen ei nonnulla; ſed eo pacto, quo Sanctitas Veſtra videt in talibus

Breve tamen ſcriptũ offerimus, ſed à ſua Excellentia bis rejicitur

Nocte diſceſſum antecedẽte rationes aliquas propoſuimus.

rerum adjunctis, in tanta rerum dicendarum varietate, & multitudine proponi potuiſſe ab hominibus dolore, timoreque afflictiſſimis, & ſuperiorum dierum noctiumque labore exhauſtis; nempe ita ut innumera aut prorſus ommiſſa, aut leviter perſtricta fuerint.

Optarem, Sanctiſſime Pater, reſponſa Illuſtriſs. Patriarchæ ipſius met verbis concepta proferre; at cum voce, non ſcripto reddita fuerint, de illis non poteſt authenticè conſtare: Ea quorum meminero non ommittam ſuo loco referre quam fideliſſime potero. De illis nunc generatim dicere poſſum, talia fuiſſe, ut ſatis ex iis appareret, velle Illuſtriſs. Patriarcham Decretum ſuum intactum relinquere; & videri tamen nobis non omnia denegare: Hinc pauca quædam conceſſit, mitigavit; in aliis vero immotus remanſit. Rogamus, ut ſaltem Cenſurarum vincula relaxet, quibus Societatis Operarios, eorumque Superiores innodabat, ſi ſingula Decreto contenta non obſervarent, aut obſervari non curarent. Haud facile exorari ſe paſſus eſt Illuſtriſs. Patriarcha; flexis coram illo genibus ſtetit diu unus noſtrum precibus fere importunis deprecans, quin obtinere quidquam poſſet: at ſequenti die quaſi ſuam Excellentiam pæniteret,

Quibus auditis Decretum ſuū aliquatenus mitigavit Illuſtriſſimus Patriarcha.

teret, quod nimis ſeverè egiſſet, benigniorem ſe ac faciliorem præbens, Cenſuras abſtulit. Nihil horum ſcripto firmare potuit, quia eo ipſo die fuit proficiſcendum: Quæ feſtinatio orta ex cunctatione, qua uſus eſt Illuſtriſs. Patriarcha in Decreto tradendo, cauſæ huic multum nocuit. Nec enim dubito, quin ſi paulo maiori otio potuiſſent exponi incommoda ex Decreto ſecutura, illud, quantum neceſſe erat, immutaſſet D. Viſitator; præſertim ſi antequam in Acta Viſitationis referretur, paſſus eſſet ſibi libere proponi, quæ obſcura, difficilia, minus vera, minuſque neceſſaria prolatis rationibus, ac teſtimoniis probaremus. *Cenſuraſq; abſtulit.*

Ita facturum fuiſſe Illuſtriſs. Patriarcham, vel ex eo fit veriſimillimum, quod lato jam Decreto, & in Acta relato, unum tamen ſtatutum è gravioribus, cauſa melius cognita, ſuſpenderit; in alio dixerit, ſe non ita fuiſſe decreturum, ſi reſciiſset quod tunc dicebamus; ac ſi petiiſset unus noſtrum, ſublaturum ſe fuiſse id, quod de Chriſtianis in Decreto habetur, Palmites eſse enerves, & fructu vacuos: denique id colligimus ex eo quod cenſuras ſuſtulerit. At talia concedere incipientem Nautæ, Venti, & jam in finem inclinans tempeſtas itineri Sinico idonea D. Patriarcham certatim vocabant; qui proficiſcens, *Veriſimile eſt plura fuiſſe conceſſurum ſi plus temporis ſuperfuiſſet.*

ciſcens; ac tale Decretum relinquens; tanta conſternatione deſolatas Miſſiones reliquit, quantam ex ejus adventu conſolationem ſperaverant.

Poſt diſceſſum, Dom: Patriarchæ Miſsionarii neceſſarium iudicarunt, cauſam hăc ad S Sedem referre.

Poſt Illuſtriſs. Patriarchæ diſceſsum ſtatim intelleximus neceſsarium prorſus eſse ad S. Sedem recurrere; primo quidem ut certior fieret Sanctitas Veſtra de iis quæ Clariſsimus Viſitator verbo mitigarat, ſuſpenderat, conceſſerat, ſeque ex Decreto ablaturum fuiſse dixerat: ne forte Sanctitas Veſtra Decretum, quale Romam miſsum eſt, confirmans, plus juberet, ac vetaret, quam Illuſtriſs. Patriarcha, paulo ante diſceſsum, neceſsarium judicavit. Deinde ut exponendo Sanctitati veſtræ quæ D. Patriarchæ ob temporis anguſtias non potuerunt accurate proponi, obtinere conaremur ea, quæ ab ipſo eandem ob cauſam obtinere non potuimus; & tum precibus noſtris, tum ſincera expoſitione ſecuturorum ex Decreto incommodorum, eà, qua par eſt, reverentia intercederemus ejus confirmationi; ſicque quantum in nobis eſset, conſervationi Religionis in Indicis Miſsionibus conſuleremus. Præterea cùm nobis conſcii non eſsemus culpæ ullius ſaltem voluntariæ in Evangelii prædicatione commiſsæ; peracerbum nobis erat, ab Eccleſia tota exiſtimari reos tot

Vt de ſe ſuiſq; Neophytis rationem redderent.

ſuper-

ſuperſtitionum toleratarum; immo reos conſeſſos, teſtante Decreto ex ipſis Miſsionariis plura certiùs cognita fuiſſe, quæ ſuperſtitionem toleratam evidentiſſime arguunt. Vidimus ſilentium noſtrum in tali occaſione acceptum iri veluti confeſſionem criminis, cujus ſontes non ſumus; quod credito nobis miniſterio damnoſum, noſtræ Societati, & ſi audeo dicere, toti Eccleſiæ probroſum foret. Denique non poterat nobis chara non eſſe Neophytorum noſtrorum fama; ſummopere dolebamus de illis tam ſiniſtram haberi opinionem, præſertim à Sanctitate Veſtra, cui, utpote Summo omnium Paſtori, æquum eſt Oves ſuas benè notas eſſe. Putavimus ergo & maxime neceſſarium, nec Sanctitati Veſtræ ingratum fore, ſi vera expoſitione rerum ei oſtenderimus, non tam perditum eſſe Religionis ſtatum in Miſſionibus, quàm poſſet ex Decreto colligi: Sicque Sanctitati Veſtræ abſtergere niteremur mærorem, quem ex illius lectione haud dubie percepit.

At prius admonent Ordinarios; quos in hac cauſa prorſus præteriit Illuſtriſs. Patriarcha.

Verum prius quam res ad Sanctitatem Veſtram deſerretur, putavimus officii noſtri eſſe, ut de lato Decreto admoneremus Illuſtriſs. Indiarum Epiſcopos, qui de eo nihil adhuc audierant, licet ad eorum Diæceſes pertineret: quippe Illuſtriſs. Patriarcha Epiſcopos in hac cauſa confi-

conficienda ita præteriit, ut nec ex illis inquiſierit quidquam, nec eos admiſerit in deliberationem, illiſque inſciis decreverit; ne quidem cum Illuſtriſs. Maliapurenſi, qui erat in vicinia, rem communicavit, nec ante factum Decretum, nec poſtquam factum eſt.

Archi-Epiſcopus Cranganorenſis, & Epiſcopus Maliapurenſis dant ſuffragia authentica contra Decretum.

Admoniti à Miſſionariis Reverendiſs. Epiſcopi Maliapurenſis, & Cranganorenſis, ſub quorum Diæceſibus poſita eſt pars maxima trium illarum Miſſionum, imminenti, ex Decreto, Gregis ſui ruina tantum commoti ſunt, quantum veros Paſtores decebat, cenſueruntque pernecesſarium eſſe ſupplicare S. Sedi; graviſſimaque teſtimonia dedere; quibus declarant, præcipua Decreti Statuta, & minime neceſſaria eſſe, & florentiſſimis Miſſionibus funeſtiſſima fore.

Illuſtriſs. Indiæ Primas ſuſpendit executionem Decreti, & ad Sum. Pontificem ſupplex ſcribit.

Plus fecit Illuſtriſs. Archi-Epiſcopus Goanus; judicans enim aut nunquam, aut in hac occaſione utendum ſibi eſſe poteſtate, quam ipſi dat character Epiſcopi, dignitas Primatis Indiæ, & facultas Legati de latere; id in Illuſtriſs. Viſitatoris Decreto fecit, quod omnibus Epiſcopis quoad Summi Pontificis Reſcripta jubetur in Capite - *Si quando* - de Reſcriptis, ubi dicitur, Epiſcopum ad quem Reſcriptum Papæ dirigitur, debere illi parere, vel cauſam rationabilem

aſſi-

aſſignare, quare parere non poſsit: Itaque litteris ad Sanctitatem Veſtram datis aperit, uti ipſe met loquitur, vulnera Miſſionibus inflicta per Decretum, cauſaſque affert, cur illius executionem ſuſpenderit, paratus tamen Sanctitatis Veſtræ juſſis obedientiſſimum ſe præbere. Addidit me audiente futurum, ut ſi annueret Sanctitas Veſtra, Romam ipſe pergeret ad defendendam hanc cauſam, quæ tanti momenti eſt ad Divinam gloriam, & animarum ſalutem. Illuſtriſs. Epiſcoporum ſuffragiis ſua teſtimonia addidere Miſſionarii omnes, præcipui Catechiſtæ, & Chriſtianorum erudititiſſimi: ea omnia ad hujus Opuſculi calcem reperientur.

Paulo antequam Illuſtriſs. Patriarcha Decretum ferret, delectus fueram in Malabaricæ Societatis IESU Provinciæ Comitiis, ut Romam proficiſcerer ad illius Provinciæ negotia tractanda; unde & iſtius quoque procurandi cura mihi demandata eſt. Optarem Sanctiſſime Pater, quivis alter potius electus fuiſſet; at excuſationes, quas attuli, eò minus admiſſæ ſunt à meis Superioribus, quod hæc cauſa poſtularet hominem, cui longa experientia dediſſet accuratam notitiam rerum Decreto comprehenſarum. Igitur cum in Miſſione Madurenſi, quæ una eſt ex iis, ad quas potiſſimum ſpectat ſuæ Excellentiæ

Mihi à Prov. Malabarica Societatis IESV negotii iſtius procurãdi onus iniungitur.

De-

Decretum, viginti duos annos egiſſem, nullà ratione potui onus impoſitum declinare. Proficiſcendum fuit, & jam dudum ad pedes Sanctitatis Veſtræ perveniſſem, niſi Navis, quà vehebar, uno prope anno in Braſilia ſubitiſſet.

Verum timorē mihi in hac cauſa incutit Illuſtriſs. Patriarchę authoritas.

Timidus equidem, Sanctiſſime Pater, ad hoc negotium apud Sanctitatem Veſtram tractandum accedo, non bonitati cauſæ diffiſus, ſed veluti obrutus pondere authoritatis Illuſtriſs. Patriarchæ Antiocheni. Scio quantam exiſtimationem habeat Sanctitas Veſtra de ipſius eruditione, ac ſapientia: inſignem Viſitatoris Apoſtolici cum facultate Legati de latere conjunctam authoritatem revereor. Verum Sanctiſſime Pater, animos parumper reſumo, cùm cogito, non tam me, quam Illuſtriſs. Indiæ Præſules, qui & ipſi magna tum dignitate, tum authoritate fulgent, cauſam hanc apud Sanctitatem Veſtram agere: Quamquam magna ſapientia, magno zelo, magna eruditione præditus ſit Illuſtriſs. Patriarcha, illis etiam dotibus deſtitituti non ſunt Indiarum Epiſcopi: illud certe habent præ D. Patriarcha, quod ob longam in illis terris commorationem plena illarum terrarum notitia ſint inſtructi; quà notitià nihil neceſſarium magis in hac

At non tam ego hìc loquar, quam Indiarum Epiſcopi.

cauſa,

cauſa ; quæ fere tota pendet ex quæſtionibus facti.

Cæterum illud Sanctitati Veſtræ ſpondeo, me totum hoc negotium ita expoſiturum, ut nullà in re diſcedam à ſumma reverentia, quæ Illuſtriſſimo Patriarchæ debetur. Verùm illud à Sanctitate Veſtra poſco ſupplex, ut mihi crimini non vertatur, ſi ea libere retulero, quæ ad cauſam neceſſaria fuerint: Si in aliquot hujus ſupplicis libelli locis dicam inuitus, Illuſtriſſimum Patriarcham non eo inquiſiviſſe modo, quo inquirendum videbatur; ſi aſſignavero quid defuerit; ſi rationes aliquas ejus ſtatutis oppoſuero; ſi de illis aperte conquerar, quæ paulo ſane duriùs in Neophytos, & Miſſionarios ſcripſit. Hæc niſi judicarem mihi à Sanctitate Veſtra concedi, cederem equidem tempori, taciturſque expectarem confirmationem Decreti, quo Miſſiones Indicæ penitus exſcinderentur; ſatiſque haberem à Deo petere, aut talem calamitatem averteret, aut ne me ſupervivere ſineret ruinæ tot Neophytorum, quos Chriſto per Evangelium genui iis laboribus, quos Deus novit.

De Illuſtriſs. Patriarcha nihil niſi reverēter dicam: At liceat mihi res neceſſarias non diſſimulare.

Quod ſpectat ad ordinem, quem mihi in hoc opere propono, exiſtimavi nullum fore meliorem eo, quem ſibi propoſuit Illuſtriſs. Patriarcha.

Sequar in hoc opere ordinē, quē ſequitur Decretum.

cha. Ut Decreti duæ ſunt partes, Præfatio, in qua res magis generales proponuntur, & ipſummet Decreti corpus, in quo ſingularia ſtatuta leguntur; Sic hujus libelli ſupplicis duæ partes erunt: in prima ſient obſervationes generales ſuper iis, quæ ſua Excellentia in Præfatione refert; præſertim de inquiſitionibus factis, de modo quo Miſſionarii fuerint auditi, aliiſque rebus neceſſariò præmittendis. In altera parte ſient obſervationes particulares in ſingula Decreti ſtatuta. In utraque Decretum certa in capita diſtinctum accurate ſequar, eaque Sanctitati Veſtræ exponam, quæ magis ad cauſam neceſſaria putabo. Sed antequam incipiam, operæ pretium erit, de ſtatu Religionis in India præfari pauca.

At prius delibandum aliquid de ſtatu Religionis in Indiis.

Peninſula Indica, quæ eſt citra Gangem, dividi poteſt, quantum ad hujus cauſæ perſpicuam cognitionem ſpectat, in Oras maritimas, & in terras interiores: Loca Oræ maritimæ, in quibus Religio Catholica exercetur, excoluntur à multis tum Indigenis, tum Europæis Sacerdotibus, quorum alii Sæculares ſunt, alii ex variis Ordinibus Religioſis. Inter Chriſtianos Indos ab illis Operariis excultos receptæ ſunt multæ conſuetudines Decreto damnatæ, quin plus ab unis Operariis, quam ab aliis prohibeantur;

Chriſtiani Indigenæ Oræ maritimæ multos uſus ſequūtur, ſiventibus operariis variorum Ordinum.

ut

ut patet ex adminiſtratione Sacramentorum; quæ paſſim conceduntur illas publicè profitentibus.

In mediterraneis ejuſdem Peninſulæ locis quatuor ſunt Miſſiones: prima eſt Chriſtianorum S. Thomæ ritùs Chaldaici: hi ſuos habent Sacerdotes Indigenas, & RR. Patres Carmelitas Diſcalceatos à S. Congregatione Propagandæ Fidei præpoſita miſſos, qui rei Chriſtianæ à quadraginta fere annis ibi invigilant. Inter illos Chriſtianos vigent quoque aliquæ ex conſuetudinibus, quæ ſuperſtitionis, & inhoneſtatis titulo damnantur. Secunda Miſſio eſt Madurenſis, Mayſurenſis tertia, & quarta Carnatenſis; quæ omnes à Patribus Societatis in vaſtiſſimo Indiarum meditullio cęptæ, & ingenti animarum fructu ad hæc uſque tempora excultæ ſunt: & de quibus, de earum origine, inſtituto, ac proventibus jam ſupra fuſe diſſeruimus.

Idem faciunt Chriſtiani terræ interioris, nēpe Chriſtiani Sancti Thomæ à Miſſionariis Sacræ Congr. exculti.

Et Chriſtiani Miſſionum Madurenſis, Mayſurenſis & Carnatenſis à Patrib. Societatis IESV excultarum.

Cum is ſit generalis Indiæ ſtatus quoad Religionem; occurrit ſtatim dubium, an Illuſtriſs. Patriarcha tum in Oris maritimis, tum in Miſſionibus mediterraneis ab omnibus omnino Operariis Decretum ſuum obſervari voluerit? Et ratio dubitandi eſt, quod initio Decreti Illuſtriſs. Patriarcha loquatur ſolummodò de tri-

Decretum videtur loqui de omnibus Societatis IESV Operariis.

bus Miſſionibus Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi: Sub finem verò mandatur Superioribus Societatis IESU in Indiis Orientalibus, ut Decretum notificent *Miſſionariis, ſeu aliis quibuſcumque curam animarum exercentibus, ſibique ſubiectis, illudque perpetuo, & inviolabiliter obſervari curent*. Quibus verbis jam non modo trium ſupradictarum Miſſionum Operariis, ſed aliis etiam quibuſcumque è Societate precipi videtur. Ex quo rectè ſequitur, ab Oræ maritimæ Operariis è Societate IESU eſſe Decretum obſervandum. Utrum etiam ab aliis, qui non ſunt è Societate, nihil nunc ad rem meam attinet: Nam cum ego nomine Provinciæ Malabaricæ Societatis IESU agam, meum non eſt tractare cauſam omnium fere Indiæ Operariorum: Satis erit mihi de meæ Provinciæ Operariis loqui; & potiſſimum de illis, qui mediterraneas terras excolunt, ubi difficilior eſt Decreti obſervatio. Ea tamen quæ de Miſſione Madurenſi dicam, communia erunt aliis duabus Miſſionibus, Mayſurenſi nempe, & Carnatenſi, quæ iiſdem prope inſtitutis reguntur. Et confido gratum fore cultoribus earum Miſſionum, ut cùm noſtra cauſa ſit fere communis, communis quoque ſit noſtra defenſio: idque eò magis, quod teſtimonia Illuſtriſſimorum Epiſ-

Vnde de illis tantum loquar, & præſertim de ſubditis Provinciæ Malabaricæ

co-

coporum ad tres illas Miſſiones æquè pertineant. His itaque poſitis venio ad obſervationes in Decreti capita faciendas; & primò Præfationem illius ſic auſpicatur Illuſtriſs. Dominus Viſitator Patriarcha Antiochenus.

OBSERVATIONES

PRIMA PARS Obſervationũ, nempe in Præfationẽ Decreti.

In Præfationem Decreti Illuſtriſs. Viſitatoris Apoſtolici Patriarchæ Antiocheni.

CAPUT I.

Verba Decreti.

INter graviores, quibus premimur, curas pro Apoſtolici Viſitatoris munere, nobis licet tanto oneri imparibus, injuncto, ea ſane præcipua eſt, cum nos huc miſſos eſſe conſideramus ad expurgandum Dominicum agrum à Zizaniis novella Chriſti germina ſuffocantibus; & de alienis peccatis rationem eſſe reddituros, qui æternam Dei ultionem pro noſtris nunquam ſatis expiandis jure formidamus.

De cauſæ huius gravitate.

OB-

Obſervationes.

IN hac Exordii parte Illuſtriſs. Patriarcha tria conſiderare videtur: primò cauſæ gravitatem; ſecundò finem, ob quem à Sanctitate Veſtra miſſus eſt; tertio rationem de peccatis alienis reddendam, ſi ea impedire ſua Excellentia omitteret: de tribus hiſce rebus, quia maxime neceſſariæ ſunt, breviter diſſeram.

§. I.

Quam multarum animarum ſalus ex eà pendeat.

VT videatur quanti momenti ſit iſta cauſa, ſatis eſt dicere, quam multarum animarum ex illa ſalus pendeat, & oſtendere, ſtante Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto, non poſſe ſtare Religionem in mediterraneis Indiæ terris, - de iſtis enim ſolum loquor -: Eſt illud res facti, Sanctiſſime Pater, quæ teſtibus maxime comprobari debet. Teſtes hìc ſunt omni exceptione maiores tres Epiſcopi diu omnes in Indiis commorati, & Gentium illarum cognitionem plurimam aſſecuti. Sinat Sanctitas Veſtra, ut hìc referam eam teſtimoniorum partem, in qua id aſſerunt, quod nunc mihi probandum eſt.

Re-

Reverendiſs. Archi-Epiſcopus Goanus multis in locis id Sanctitati Veſtræ repetit: ait ſub principium, prohibitiones illas omnino in praxi minime obſervandas eſſe; illo Decreto obſervantiſsimas Chriſtianitates, totque millia animarum jugulari: Decreti ſtatuta ait eſſe vulnera, quæ pro ſuo Primatiali officio Sanctitati Veſtræ ſubmiſsione debita exponit. Sub finem addit, ſe executionem Decreti D. Patriarchæ Antiocheni diſtuliſſe, volens ruinam harum Miſſionum his novitatibus oppreſſarum Sanctitati Veſtræ patefacere.

Teſte Illuſtriſs. Indiarũ Primate, Decretum latũ ruinã Indicis Miſſionibus afferret.

Illuſtriſs. Archi-Epiſcopus Cranganorenſis poſtquam de præcipuis Decreti ſtatutis egit, ſic loquitur: *Hæc ergo cùm ita ſe habeant, judicamus Decretum Illuſtriſs. D. Patriarchæ Antiocheni, quo prohibet mores ſupra poſitos, qui ab initio harum Miſſionum ſunt admiſſi, ab hominibus doctis, & prudentibus propugnati, & ex parte jam permiſſi, tum ab Illuſtrîſs. Domino D. Alexio de Menezes, Archi-Epiſcopo Goano, & totius Orientalis Indiæ Primate; tùm ab Illuſtriſs. Dominis D. Franciſco Roî, D. Stephano de Britto, & D. Franciſco Garcia prædeceſſoribus noſtris, non fore in bonum, & illius Chriſtianitatis recens factæ ædificationem: Cum enim ejuſmodi Decreti obſervantia minime ſuaderi valeat;*

Idem teſtatur Archi-Epiſcopus Cranganorenſis, & Maliapurẽſis.

leat; & licet intimetur, nec Neophyti ſint accepturi, nec Principes Infideles illius obſervantiam permiſſuri; ideo ſi ſtricte præcipiatur: noſtris met oculis, & inexplicabili cordis noſtri dolore inſpecturi ſumus everſionem illarum Miſſionum, & ruinam tot millium animarum. Igitur cenſemus in Domino, ne Miſſiones adeo florentes unico ictu ſuccidantur, ne pereant tot millia animarum, ne oſtium prædicationi Evangelicæ, & Infidelium converſioni occludatur, eſſe neceſſarium, quod Sedes Apoſtolica pro ſua clementia erga hos Neophytos Orientales permittat, approbetque ritus, & mores ſupra poſitos, quibus in Miſſionibus Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi ad hæc uſque tempora Neophyti abſque ullo ſcrupulo, vel ſcandali ſpecie uſi ſunt.

Reverendiſs. Epiſcopus Maliapurenſis idem teſtatur: *Punctorum illorum, inquit, quatuor præcipua ſunt, quibus omnino perdit, & deſtruit illas Chriſtianitates, & una hora evertit id omne, quod Miſſionarii tanto ſumptu, tantiſque laboribus effecerant, ſeptuaginta, vel octoginta annorum ſpatio.* Idemque iterum ſub teſtimonii ſui finem repetit.

Si Teſtes tam certos, tam locupletes opus foret corroborare; idem aſſerunt, interpoſita juris jurandi Religione, Miſſionarii, Catechiſtæ, & præ-

præcipui Chriſtianorum; qui omnes in mediterraneis terris verſantes, illarum conditionem, & ſtatum ſuis oculis vident. Non ita male ſentiet Sanctitas Veſtra de clariſsimis Antiſtitibus, ut eos putet voluiſſe S. Sedi imponere, & tam graviter affirmare, quod ſibi non foret certiſsimum; nec ſibi perſuadebit, tot Miſsionarios voluiſſe ſuam conſcientiam tam horrendo perjurio funeſtare. Inter alia Miſsionariorum teſtimonia extat & meum: Novi Sanctiſsime Pater, Tamulenſium populorum mores, & indolem; nec, ſi velim, poſſum ignorare poſt viginti duos annos tranſactos in illis terris, quas millies peragravi; in quibus plures annos Superioris officio fungens negotia tractavi; cum omni hominum genere verſatus ſum: Atqui Deum teſtor, mihi evidens apparere, moraliter loquendo, impoſsibile eſſe, ut ſine inſolito Divinæ potentiæ miraculo, Fides in illis terris augeri immo retineri poſsit, ſi Illuſtriſs. Patriarchæ Decretum obſervetur; idque ſpero facile Sanctitati Veſtræ perſuaſum iri, ſi paucis aperuero, quam tenaciter ſuis conſuetudinibus adhæreant.

Miſſionarii etiam ſub iuris iurandi Religione.

Pro illis tanquam pro aris, & focis depugnant, ac ſanguinem prodigere gloriantur: Vidi, & vidi non ſemel populos illos civili bello diſsi-

Exemplis probatur, quã illi populi ſint addicti ſuis ritibus.

diſsidentes exercitus colligere, prodire in campum, & magna utrinque ſtrage, Regibus tranquille ſpectantibus concurrere: Quæ tantorum cauſa motuum? Non alia, quàm quòd privatus aliquis ex una factione umbella prorſus candida uteretur, idque jus eſſe ſuum defenderet; contendentibus æmulis ex alia factione, illum tale jus non habere, ſed filum aliquod alterius cujuſcumque coloris apponere debuiſſe.

Si Princeps, ut interdum evenit, alicui Tribui prohibeat uſum cujuſcumque ſimilis conſuetudinis, cùm in ipſum nequeant arma vertere, aliter eum oppugnant: Ipſi renuntiatur totius Tribùs nomine, fore ut, niſi deſiſtat, interſiciant ſe ipſos unum poſt alium; & re ipſa devovent ſe certatim letho, ut putant, glorioſo: nunc ex alto ruunt ſponte præcipites, nunc ſe ferro confodiunt, aut aliis modis enecant; ac ſæpe morti ſuæ præmittunt ſui corporis carnificinam ipſa morte duriorem: denique tandiu in ſe ſæviunt, donec Princeps metuens ſe reum facere tot homicidiorum, liberam ipſis vel invitus ſuorum uſuum facultatem permittat. Cum ad ſuos uſus defendendos ſibi met ipſis non parcant Indi Tamulenſes, parcent ne aliis, in quos habent authoritatem, ſi ab illis videant eos uſus violari?

Quam

Quam non parcant, ingenti dolore noſtro quotidie experimur; & interea dum nobis crimini vertit Illuſtriſs. Patriarcha, quod plus æquo conſuetudinibus illis parcamus; conqueruntur Ethnici quod eas violemus, & populos violare doceamus. Atque hinc in nos quotidianæ procellæ deſæviunt: Accuſamur quidem quod peregrinam Religionem inducamus, & ſuam de medio tollamus: At vere dicere poſſum fore, ut multo minus inviſa noſtra Religio eſſet, ſi cum ſuis, non dico religioſis ceremoniis, ſed communibus aliis conſuetudinibus magis concordaret. Verum nihil nobis objiciunt ſæpius, nulla de cauſa nos pertinacius inſectantur, quam quod, verbi cauſa, Ignobiles doceamus, ad nos ſinamus, noſtraque Templa propiùs accedere; Tribus miſceamus, matrimoniorum leges convellamus; in adminiſtratione Sacramentorum ſuæ munditiei leges negligamus, aliaque multa faciamus, quæ facere, ipſorum judicio, idem eſt, ac omnia perturbare, cælum terrà miſcere. *Accuſantur Chriſtiani ab Ethnicis ob violatos Indiæ uſus.*

Quam multi Chriſtiani, ut de Miſſionariis ſileam, infamia notati, fortunis ſpoliati, domo, patriàque ejecti, in Carceres detruſi, verberibus laniati, quod illam Religionem profiterentur, quæ ſuæ Religionis, ſuarumque con- *Ob eam cauſam ſæpiſſime crudeliſſimeque vexantur.*

ſuetudinum eſt inimica. Hæc habuimus ferenda, Sanctiſſime Pater, licet ea permitteremus, quæ contra Fidem, bonoſque mores nihil facere judicavimus. Quid futurum eſt, ſi adhuc multo plures eorum conſuetudines violemus, & conſuetudines, quas illi ad morum honeſtatem, nobilitatis diſtinctionem, bonam Reipub. adminiſtrationem ſummopere neceſſarias putant? Res eſt dictu facilis cuicumque terræ illæ notæ ſunt. Idem eveniet, ac eſſet in Europa eventurum, ſi aliquot externi eo venirent, qui apertum noſtræ Religioni bellum indicerent ſuam inducturi; qui noſtras conſuetudines prohiberent, & obtruderent ſuas; qui vellent ſtemmata nobilitatis aboleri; præire nobilibus ignobiles; communem corporis veſtitum, & ornatum immutari, aliaque ſimilia tentarent: quam cito de illis actum foret? Ita fere in Indiis Miſſionarii habebuntur: in illos inſurgent Chriſtiani pariter & Ethnici; populi, & Magiſtratus; Reges, & ſubditi, & tanquam inquietos homines Reipub. peſtes, ſuarum conſuetudinum infractores, ac ſeditioſos, aut ſupplicio afficient; aut ſi humaniſſime nobiſcum agere voluerint, in exilium abſque ſpe reditùs ejicient. Siqui Chriſtiani nobis parere voluerint, non minus ſevere in eos animadvertent: de-

ſtru-

ſtruentur Templa, Sacra prophanabuntur, totaque Religio funditus convelletur.

Cùm de ſingulis Decreti capitibus poſtea agam, Sanctitati Veſtræ probabo, tria vel quatuor eſſe in Decreto, quorum vel unum ſatis foret ad integram Miſſionum ruinam: quod ſi quatuor illa conjungantur; quid ſi ad illa quatuor præcipua multa alia accedant, quæ licet forte minus exitioſa, ſummam tamen invidiam habent? Certe, Beatiſſime Pater, illud teſtari vere poſſe mihi videor Sanctitati Veſtræ, Decretum tale eſſe, ut ejus non dico obſervatio, ſed promulgatio, ſi ad Ethnicorum notitiam perveniat, in cauſa futura eſſet, cur Miſſionarii ad unum expellerentur, & in Chriſtianos perſecutio excitaretur crudelior, quam ulla hactenus tolerata, licet crudeliſſimas tolerarint.

Si Decretũ ſervetur, nõ modo difficilius, ſed prorſus impoſſibile erit ſtare in illis terris Religionem.

Neque hæc eo ſpectant, Sanctiſſime Pater, ut contendam ideo permittendas eſſe conſuetudines Indorum, quod illis prohibitis ſtare nequeat in illis terris Religio; cùm conſtet ſatius eſſe ut pereat, quàm ut approbetur aliquid, quod malum eſſe certum ſit: Sed hæc ideo retuli, ut Sanctitas Veſtra cognoſcat iſtius cauſæ gravitatem, in qua deliberatione tremenda ſtatuendum eſt de æterna tot hominum ſalute, aut damnatione. Sane ſi nullus Iudex eſt, qui ſine

Tremendũ iudicium, in quo pronũtiandum de ſalute ducentorum & viginti animarum millium.

ſine aliquo motu deſcendat ad pronuntiandam ſententiam, in qua de perituris hominum fortunis agitur; ſi percellitur horrore quodam, cum ob crimen etiam bene probatum morti reum addicit; quanto maiori metu ferenda eſt illa ſententia, in qua non caducis, ſed æternis bonis homo detruderetur; non vita iſta labili, ſed æternà orbaretur; non ſupplicio levi, aut brevi, ſed æternis ignibus cruciandus traderetur; non à patria, à parentibus exulare cogeretur, ſed à Dei præſentia bonorum omnium fonte excluderetur. Ac ſi in formidando illo judicio unius tantum animæ verteretur ſalus, diligenter tamen, & poſt multam diligentiam non niſi timide ſtatuendum foret, ne aut quod malum eſt approbetur, aut prohibendo quod malum non eſt, huic uni animæ æterni exitii cauſa foret inconſiderata ſententia; quanto igitur, quamque maturo conſilio definienda eſt iſta cauſa, cujus definitio vel exitioſa, vel ſalutaris futura eſt ducentis, & viginti animarum millibus; quæ animæ tam multæ, ſi non expenſa pro rei gravitate cauſa jam nun condemnarentur, inſurgent aliquando in Judices ſuos, & ad ipſum Chriſti Tribunal vindictam peterent, & obtinerent.

Supervacaneum hìc exiſtimo petere à Sanctitate

tate Veſtra, ut ne cauſa tanta ex præjudiciis ad rem nihil facientibus æſtimetur; & ne Judices, ſi quibus hoc negotium demandarit Sanctitas Veſtra ad conſuetudinum Indicarum examen præjudicatam de Sinenſibus uſibus opinionem afferant, aut iſtos ex illis metiantur, aut cauſam ex cauſa; cum toto Cælo diverſæ ſint: aliæ terræ ſunt innumero marium ſpatio diviſæ, alii populi, alii mores, aliæ conſuetudines, nulla inter ſe conſequentiæ neceſſitate junctæ; ita ut non, ſi permittantur Sinenſes uſus, ſequatur Indicos eſſe concedendos; neque ſi illi fuerint damnati, ſequatur iſtos eſſe prohibendos; cum fieri facile poſſit, ut in una parte fuerit erratum, in altera non fuerit. Metum quidem injicere voluerunt aliqui, ne una cauſa alteri noceat; idque timerem, ſi mihi agendum foret ad aliud, quam ad S. R. E. Tribunal, quod non præjudiciorum tam debilium, ſed unius æquitatis habet rationem, quodque nunquam dijudicandis cauſis ad animarum ſalutem ſpectantibus defatigatur. Confido itaque fore, ut Sanctitas Veſtra perinde hanc cauſam & expendat, & expendi jubeat, ac ſi nunquam de Sinenſibus conſuetudinibus mota quæſtio fuiſſet. At ſpectemus primum motiva, quibus Illuſtriſs. Patriarcha videtur fuiſſe impulſus ad cauſam

Ne judicetur hæc cauſa à præjudiciis à cauſa Sinenſi ductis.

ſam

ſam tam gravem eo modo, quo fecit, definiendum: Motivum illud fuit conſideratio finis ob quem miſſus eſt à Sanctitate Veſtra, quo de argumento ſupradixi, me ſecundo loco eſſe acturum.

De fine ad quem miſſus eſt Illuſtriſs. Patriarcha.

§. II.

Illuſtriſs. Patriarcha ita ſe miſſum conſiderat ad expurgandum agrum Dominicum à Zizaniis novella Chriſti germina ſuffocantibus, ut nullum alium finem commemoret: Nemo quidem melius noſſe debet, & poteſt, quam Illuſtriſs. Patriarcha, quis ſit tantæ Legationis finis: nobis tamen perſuademus, ita Sanctitatem Veſtram de eradicandis Zizaniis præcepiſſe, ut etiam de plantando, irrigando, fovendo vero Tritico jubere non omiſerit, juxta illud Jeremiæ: *Et ſicut vigilavi ut evellerem, & demolirer, & diſſiparem, & perderem, & affligerem, ſic vigilabo ſuper eos, ut ædificem, & plantem.*

Ait ſe miſſũ ad avellenda Zizania.

c. 31.

5. Dec. an. 1701.

Etiam ob alios fines miſſus fuerat, ut cognoſcitur ex Oratione à Sanctiſſimo Patre habita.

Hanc Sanctitatis Veſtræ voluntatem cognoſcimus ex excellenti illa Oratione, quam habuit in Sacro Conſiſtorio, cum Sanctitas Veſtra Eminentiſſimis Cardinalibus conſilium ſuum expoſuit mittendi in Orientem Viſitatorem

Apoſto-

Apoſtolicum: Eà Oratione, ut nil ſapientius, nil gravius, ita nil benignius: illic paternum pectus effundit Sanctitas Veſtra, oſtendit vehemens deſiderium quod habet, ut à Solis Ortu uſque ad Occaſum laudetur Nomen Domini; declarat qua ſolicitudine ad remotiſſimas à S. Sede regiones Paſtoralis Charitatis ſuæ curam extendat, ut ibidem Chriſtiana Religio quotidiana Infidelium acceſſione latiùs propagetur; & quo recens inducta fuit, magis in dies benedicente Domino ſtabiliatur.

Quod ad Zizania attinet, quibus, ut ait Illuſtriſs. Patriarcha, novella Chriſti germina ſuffocantur; non negamus quin Sanctitas Veſtra juſſerit, ut etiam ab illis ager Domini expurgaretur: At cum non ita facile ſit certo cognoſcere, quænam re ipſa bonam ſementem ſuffocent, quænam inutilia tantum ſint, non exitioſa; exiſtimamus mentem Sanctitatis Veſtræ fuiſſe, ut ea tantum avellerentur, quæ bonæ frugi exitium creare certo cognoſceretur; non vero ea, quæ nihil, aut parum admodum nocent; præſertim ſi Tritico incolumi avelli nequeunt: Atque ut remota figura loquar, agnoſcimus non potuiſſe Illuſtriſs. Patriarcham quidquam approbare, quod certum foret malum eſſe, quæcumque demum ſecutura eſſent

Alia Zizania caute evellenda, ne ſimul eradicetur, & triticum.

incommoda: Nam quis eſt adeo in rebus Fidei rudis, qui neſciat eorum condemnationem eſſe juſtam, qui facerent mala, ut evenirent bona.

Non ſunt damnanda quæ non ſũt certo mala, ſi damnari nequeunt, ſine certa animarum ruina.

Agnoſcimus pariter potuiſſe ab Illuſtriſſimo Patriarcha prohiberi ea omnia, quæ ſpeciem mali haberent, modo poſſent ſine animarum, & Religionis damno prohiberi: At ſi nobis licet altæ mentis Veſtræ Sanctuarium ingredi, non dubito dicere voluntatem Sanctitatis Veſtræ non fuiſſe, ut ab Illuſtriſs. Patriarcha prohiberentur, quæ non eſſent certo mala, ſi eadem ſine certo animarum, Religioniſque periculo, prohiberi non poſſent; ſed maluiſſe potius exemplo Evangelici Patris familias aliquot Zizania inter bonam ſementem pati uſque ad tempus meſſis; quam jubere ut avellantur cum periculo ne ſimul eradicetur & Triticum. Tantum abeſt igitur ut conſideratio finis, ob quem à Sanctitate Veſtra miſſus fuerat Illuſtriſs. Patriarcha Miſſiones viſitatum, eum urgere ad condemnandum debuerit; ut contra nihil videatur eum vehementius impellere debuiſſe ad illos uſus in Miſſionibus permiſſos, non ita facile prohibendos. Norat Sanctitatem Veſtram nihil optare impenſius, quam ut nomen Domini à Solis Ortu uſque ad Occaſum laudaretur;

tur ; quam ut Chriſtiana Religio Infidelium acceſſione latius propagaretur, & quo inducta recens fuerat, magis in dies ſtabiliretur. Ex alia parte facile potuit reſcire, id quod ſupra demonſtravi, decerni non poſſe eo modo, quo decrevit, quin certum in exitium illis terris Religio rueret. Suadebat igitur finis Sanctitati Veſtræ propoſitus, ut ſua Excellentia ex iis quæ condemnavit, multa concederet; alia, ſi dubitaret poſſe concedi, ad Sanctitatem Veſtram remitteret. Videtur hanc fuiſſe ſub principium ſuæ Excellentiæ mentem; oſtendit enim, ſe nihil decreturum, ſed velle Miſſionum ſtatum cognoſcere, ut ad Sanctitatem Veſtram referret: poſtea verò tam fixum habuit aliquid decernendi propoſitum, ut cum ſemel Indicas conſuetudines apud ſuam Excellentiam defenderemus, dixerit, ſi ita eſſet, nullum Decretum relinquendum fore; quaſi grande fuiſſet incommodum indemnatas illas Miſſiones relinquere; aut quaſi ſequeretur aliquid debere eſſe mali in illis conſuetudinibus, ex eo quod ſtatutum haberet Illuſtriſs. Patriarcha aliquid decernendi: At veritus eſt, ne ſi ommitteret ita decernere, ac decrevit, de peccatis alienis ſibi ratio reddenda foret. De illo ſuæ Excellentiæ metu ſequitur, ut hìc dicam aliquid.

Miſſus fuerat Illuſtriſſimus Patriarcha ad ſtabiliẽdam Religionem

§. III.

Metuit rationem reddẽdã de peccatis alienis.

REddenda ratio de peccatis alienis; cum formidanda eſt omnibus, quibus Animarum cura demandata eſt, tùm verò maxime illis ad quos attinet definire, quid licitum ſit, quid non ſit: Sic eſt: Ancipiti in loco verſabatur D. Viſitator: hinc reddenda ratio peccatorum, quæ putavit ſua Excellentia à Miſſionariis, & Chriſtianis committenda, ſi conſuetudines, quæ forte pravæ ſunt, non reſecaret: hinc reddenda ratio peccatorum, quæ committentur à Chriſtianis Fidem deſerturis, & ab Infidelibus, qui ad Fidem non adducentur, ſi prohibeantur conſuetudines, quæ forte in ſe malæ non ſunt: At ſi periculum cum periculo conferatur, ſi peccata cum peccatis, facile perſpicietur, periculum admodum inæquale extitiſſe. Id ut paulo clarius appareat, liceat mihi de utroque illo periculo breviter diſputare.

Non erat, quod tantopere timeret.

Et quidem quod ſpectat ad rationem quæ ab Illuſtriſs. Patriarcha reddenda fuiſſet, ſi ſua Excellentia conſuetudines Indicas approbaret, aut ſaltem ad tempus indemnatas relinqueret, non plurimum Illuſtriſs. Patriarchæ timendum fuiſſe

fuiſſe crediderim? Nam ut nunc ommittam ſingularum conſuetudinum defenſionem poſtea ſuſcipiendam, quæ omnis defenſio probabit, ſine ullo Offenſæ Divinæ periculo potuiſſe permitti, ſaltem eas, quæ communi Miſſionariorum uſu erant receptæ: atque ut nunc argumento magis univerſali utar; quæro, ita ne malæ ſint illæ conſuetudines, ut earum malitia certo appareat? an verò ſine Divini judicii metu tolerari non poſſint conſuetudines, quarum malitia certo non appareat, licet ſine magna animarum ruina tolli nequeant? Nam neceſſe eſt alterutrum ex illis duobus dici; aut illas conſuetudines eſſe certo malas; aut etiam ſi certo malæ non ſint, tamen fuiſſe abſque mora prohibendas, quodcumque animarum damnum ſubſequeretur.

Qui diceret peccari tolerando ad tempus conſuetudines, quæ non ſunt certo malæ, ille injuriam faceret Eminentiſſimis Cardinalibus propagationi Fidei præpoſitis, qui inter monita Miſſionariis data, ſapientiſſimum illud dedere: *Nullum ſtudium ponite, nullaque ratione ſuadete illis populis, ut ritus ſuos, conſuetudines, & mores mutent, modo non ſint apertiſſimè Religioni, & bonis moribus contrariæ:* Injuriam faceret Qualificatoribus S. Inquiſitionis

Differri poteſt ſine peccato dãnatio eorũ, qua non ſunt apertiſſimè mala; Ex Sacra Congr. de propaganda Fide

nis Romanæ, qui in cauſa Chaldeorum Clericorum reſpondere; diligenter inquirendum, utrum lege aliqua conjugium illis interdictum foret; interim verò donec Sac. Congregatio de ea re deliberaret, nihil innovandum, nec in mala fide eſſe conſtituendos.

Atque ut ad ſuperiora Eccleſiæ tempora conſcendamus, injuriam faceret plurimis Summis Pontificibus, qui poſt damnatos à Magna Nicæna Synodo Quarta decimanos, non ſeveriùs egerint cum Scotis, qui centum quinquaginta annosum ſpatio ſæpe moniti ſecuti ſunt Kalendarium à Romano diverſum; in quo illud erat graviſſimum incommodum, quod una cum Judæis Paſcha celebrarent iis annis, quibus quartadecima Lunæ dies in diem Dominicam incidebat. Injuriam faceret S. Gregorio Magno, de illis qui diebus Dominicis à carnibus non abſtinebant Quadrageſimali tempore, ſic ſcribenti ad S. Auguſtinum Dorobernenſem: *De ipſa verò die Dominica hæſitamus quidnam dicendum ſit; cum omnes Laici, & Sæculares illo die plus ſolito cæteris diebus accuratiùs cibos carnium appetant; & niſi nova quadam aviditate uſque ad mediam noctem ſe ingurgitent; non aliter ſe huius S. temporis obſervationem ſuſcipere putant: quod utique non rationi*

Et ex Greg. Magno in cauſa carnes comedentium die Dominica per Quadrageſimam

tioni

tioni, ſed voluptati, immo cuidam mentis cæcitati tribuendum eſt; unde nec à tali conſuetudine averti poſſunt; & ideo ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne forte peiores exiſtant, ſi à tali conſuetudine probibeantur: ut enim ait Salomon, qui nimium emungit, elicit ſanguinem. Injuriam denique faceret Eccleſiæ toti, omnibuſque ſimul Summis Pontificibus, qui in tam multis maximi momenti quæſtionibus, ad bonos mores pertinentibus, & magna animorum contentione inter Doctores diſputatis, nihil adhuc deſinière, quin ſe reos putent peccatorum, quæ forte conſequi poſſunt ex talium opinionum uſu. Scit Eccleſia plenos eſſe Theologorum libros ſententiis, quarum aliæ ſint bonæ, veræque, aliæ, utpote contradictoriæ, falſæ, & in ſe malæ: peccant ne Superiores Eccleſiaſtici, qui de illis non definiunt? Neutiquam: Qua de cauſa? Quod nempe ſine peccato poſſint tolerari ejuſmodi ſententiæ, & uſus ex iis faciendus, donec certo elucefcat veritas. Nunc videndum num certo mali ſint uſus in Miſſionibus Indicis permiſſi; idque non ſingulari inductione, ſed generali quadam probatione ad omnes, aut certe ad plurimas ex illis conſuetudinibus pertinente.

Et praxi S. Sedis, quæ non niſi de certis pronuntiat.

Facile erit, ni fallor, evincere, non eſſe cer-

to

Vſus à Miſſionariis tolerati non ſunt certo mali.

to vitioſas, ſi ſpectetur à quibus fuerunt permiſsæ. Rationem illam exponit Illuſtriſs. Indiæ Primas in teſtimonio ad Sanctitatem Veſtram miſſo, ubi ſic habet: *Proh dolor! Nihil enim valet longævi temporis experientia; nihil prævalet authoritas tantorum virorum ſcientia, pietate, virtutibus, moribuſque vigentium; ac etiam Epiſcopali, Archi-Epiſcopali, nec non Primatiali dignitate fulgentium. Idem exponit Illuſtriſs. Archi-Epiſcopus Cranganorenſis:* Hæc ergo, inquit, cùm ita ſe habeant, judicamus Decretum Illuſtriſs. D. Patriarchæ Antiocheni, quo prohibet mores ſuprapoſitos, qui ab initio harum Miſſionum ſunt admiſſi, ab hominibus doctis, & prudentibus propugnati, & ex parte permiſſi ab Illuſtriſs. Domino D. Alexio de Menezes Archi-Epiſcopo Goano, & totius Orientalis Indiæ Primate; tùm ab Illuſtriſs. Dominis D. Franciſco Roî, D. Stephano de Britto, & D. Franciſco Garcia prædeceſſoribus noſtris, non fore in bonum, & ædificationem.

Probatur authoritate tot Epiſcoporum, qui illos toleravere, ac permiſere.

His Reverendiſſimorum Præſulum teſtimoniis addo, multas ex illis conſuetudinibus de quibus hìc agitur, toleratas fuiſſe ab omnibus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, qui Cranganorenſem, Cocinenſem, ac denique Maliapurenſem

renſem Eccleſiam rexere, ex quo detectis illis terris Epiſcopi Iudiæ dati fuere. In variis trium illarum Diæceſeon partibus maritimis, adeoque ſub oculis Præſulum ſuorum conſueverunt Chriſtiani Indigenæ imponere fronti Cineres, aliaque ſigna rubri, & albi coloris; attritum nempe Sandalum lignum: ſolent mulieres, & ſemper ſolitæ ſunt, geſtare collo monile nuptiale ab Illuſtriſſimo Patriarcha prohibitum; illiſque hoc monile geſtantibus Epiſcopi non dubitarunt S. Confirmationis Sacramentum adminiſtrare; ne dum juſſerint, ut alia Sacramenta illis ideo prohiberentur. Jam ſi certum foret illas conſuetudines eſſe vitioſas, eſt ne credibile ita Epiſcopis à Deo, & ab hac S. Sede poſitis regere Eccleſiam, fuiſſe defuturum Spiritùs Sancti lumen, ut vel apertum, vel mediocriter latens earum conſuetudinum virus à duobus fere ſæculis non detegerent?

Etiam in Oris maritimis, ubi multa uſurpantur ex iis quæ Illuſtriſs. Patriarcha damnavit.

Ommittentibus officium ſuum Epiſcopis, ſecundæ partes erant Sacerdotum: Si manifeſtiſſimè contra Fidem, & bonos mores erant conſuetudines illæ Indicæ, quî fieri potuit, ut nullus Sacerdos de conſuetudinum illarum pravitate Epiſcopos primùm, ac deinde, ſi opus eſset, Romanos Pontifices verbo, aut ſcripto commoneret? Si Sacerdotes illi omnes Indi

fuiſsent, cogitari forte poſsét, eos aut patriarum conſuetudinum amore, aut ignorantia impeditos fuiſse, quo minus ſuperſtitionem, & indecentiam in eis agnoſcerent; at maximam partem Europæi fuere, & ex Europa in Indias illud nobis congenitum peregrinorum uſuum contemptum, odiumque detulere: At inter illos multi fuere humanis, diviniſque diſciplinis excultiſſimi. Si omnes tum Epiſcopi, tum Sacerdotes ex eodem Ordine fuiſsent, diceret forte aliquis, opinionem conſuetudines illas permittentem, ex iis opinionibus eſse, quæ quorundam Religioſorum Ordinum ſunt propriæ, & à quibus liberum non eſt ſubditis diſcedere. Nihil hìc ſimile fingi poteſt; cùm conſuetudines Indicæ multæ fuerint permiſsæ tùm à Sæculari, tùm à Regulari Clero, à Sacerdotibus, & Epiſcopis variarum familiarum Religioſarum, à Carmelitis, Auguſtinianis, Franciſcanis; Dominicanis, ex Ordine Chriſti, è Societate IESU, & aliis.

Et authoritate tot Sacerdotum, ex Clero Sæculari, ac Regulari omnium Ordinum.

Miſſionarii vero à quibus excultæ fuerunt terræ interiores, numquid non deprehendiſſent malas eſse Indicas conſuetudines, ſi maniſeſte malæ eſsent? Cogebantur de illis vel inviti dubitare, de illis pronuntiare, ac proinde inquirere. Nihil ipſis eorum deerat, quæ neceſsaria

Si illi uſus eſſent certo, & evidenter mali, id deprehēdiſſent Miſſionarii mediterraneā arū terrarum.

ceſsaria ſunt, ut bene id facerent: Norant Linguas, Religionem, Mores, Libroſque; ac proinde in tanta neceſſitate, & opportunitate inquirendi, ſi non inquiſiere, cenſendi ſunt temere tractaſſe Sacra, non tam diſpenſatores, quam prophanatores Myſteriorum. Inquiſiere, Sanctiſſime Pater, & diligentiſſime inquiſiere; nihil, quod tantis perdubium videretur, admisère, niſi poſt maturam deliberationem. Jam ſi inquiſiere, adeo ne parum Religionem norant, quam ibant aliis prædicatum, ut non poſſent cognoſcere venenum conſuetudinum, quæ aperte malæ forent?

Qui inquirere facile potuerut & re ipſa inquiſierunt,

At forte virus detexère; illud hauſere ipſi, ſuiſque diſcipulis ſcientes, ac volentes propinavere: prævaricatores impii parum curavere lucem tenebris, Chriſto Belial conſociare; ſicque clauſis oculis certam in perniciem ruere; alioſque ſecum trahere: Ideo ne in medias Ethnicorum terras penetravere, ubi ſine ſolatio, ſine humano præſidio vivant? Ideo tam ſtrictum vitæ genus amplectuntur, quale ſupra deſcripſimns, & quale vix ulli in Eccleſia Religioſi? Ideo omni carne, omni piſce, omni vino, alioque ſimili liquore abſtinent? Ideo Orizà, Oleribus, & aquà victitant? Ideo perenne obſervant jejunium? Ideo in Tuguriis

Si detexiſſent eſſe malos, non permiſiſsēt,

Neq; alienam ſalutem propriæ ſalutis diſpendio per tot labores procuraſsēt.

vivunt, in aſſeribus cubant, nudis pedibus incedunt, in pænoſo Pænitentiæ Tribunali poſt tranſactum diem ſæpe pernoctant? Ideo in itineribus omnes Solis æſtus, aeriſque inclementias tolerant? Ideo inter perpetuos perſecutionum pavores vitam agunt? Ideo famem, ſitim, ignominias, mortem denique, ut nonnullis noſtrum jam evenit, pro Chriſto in carceribus, aut in tormentis patiuntur; ut per tot labores, tantaque vitæ incommoda ad maiora ſupplicia perveniant? Si tantus eſſet pereundi furor, commodius perire vellent.

Idem cum Miſſionariis è Societate ſequitur Miſſionarius à Sacra Congregatione de propaganda Fide miſſus

Quamquam de ſolis è Societate Miſſionariis hactenus loquutus ſim, eo quod illi ſoli terras interiores excoluerint; idem tamen cum illis ſecutus eſt R. P. Petrus Paulus à Sancto Franciſco Carmelita Neapolitanus à Sacra Congregatione propagandæ Fidei præpoſita miſſus, & deinde factus Epiſcopus Anciranus: Ille mea in domo conſuetudines eaſdem, quas alii Miſſionarii, obſervavit, & Chriſtianos eas publice obſervantes ad Sacramenta Baptiſmi, & Euchariſtiæ admiſit: Id ne fuit ſine examine? An verò adeo fuit prævaricator, ut Chriſtianos, conſuetudinibus aperte malis utentes, à Sacramentis non repelleret?

Sed eſto, de illo, deque aliis Miſſionariis

tam

tam ſiniſtre ſentiatur: de S. Franciſco Xaverio altero Indiarum Apoſtolo, quis erit, qui idem judicet? Atqui, Sanctiſsime Pater, aliquas conſuetudines Indicas ex earum numero, quas Illuſtriſs. Patriarcha condemnavit, à S. Franciſco Xaverio fuiſſe permiſſas pluſquam veriſimile eſt. Viget uſus Nuptialis Monilis in Ora Piſcaria, & in Ora Choromandelica tota, quibus duabus iu Oris S. Xaverius Infideles innumeros Chriſto adjunxit; eadem in nuptiis fere obſervantur, quæ in interioribus terris; fiunt gratulationes puellis, quibus prima fæcunditatis ſigna contigere, aliaque multa obſervantur. Illud etiam indubitatum, & librorum authoritate, & ratione ipſa conſuetudines illas tam late in Indiis propagatas, tam uniformi uſu receptas, multo ante S. Xaverium cæpiſſe; cùm fieri nequeat, ut ad omnes Indiarum Tribus, quibus illæ competunt, tam exiguo tempore manarint; & tam altas radices egerint illi uſus, quos veluti a ſuis maioribus acceptos poſteritati tranſmittunt. Jam à Chriſti Lege non ideo S. Xaverium arcuiſſe Infideles, quod illis inſignibus uterentur, quod illas conſuetudines obſervarent, res eſt probatu minime difficilis: Nam cùm eundem prædicandi modum ſecuti ſint S. Franciſci Xaverii Comites, quem ille

Sicut etiam ipſemet S. Franciſcus Xaverius.

tra-

tradiderat, eumque ſucceſſoribus tranſmiſerint, quin ulla exiſtat mutationis memoria; liquet, ni fallor, nihil nunc in hoc toto genere permitti in Oris maritimis, quod non ab ipſo S. Xaverio permitteretur. Nam ſi Religioni duxiſſet ſecundus Indiarum Apoſtolus Sacramenta impertiri Chiſtianis ſuæ Gentis, ſuæ Tribùs, ſui Matrimonii inſignia geſtantibus, Religioni id pariter ducerent ipſius Comites, & vitæ imitatores; neque ullus auſus fuiſſet id concedere, quod ſciret à tam Sancto Viro prohibitum; vel ſi dubitaret, num tale quid permitti poſſet, extaret memoria aliqua conſultationum in eo habitarum, potius quam multarum aliarum rerum minoris momenti in illis Oris Indicis geſtarum, quæ Annalibus conſignata reperiuntur.

Et eius ſucceſſores.

Alicui ex noſtris argumentum illud proponenti reſpondit D. Viſitator, futurum fuiſſe, ut, ſi id reſciretur Romæ, quo tempore agebatur de referendo S. Franciſco Xaverio in Sanctorum numerum, id ejus Canonizationi plurimum obeſſet: de quo D. Viſitatoris reſponſo hìc non diſputabo: Satis nobis eſt, quod non ideo re ipſa minus Sanctus ſit; neque ideo negandi illi ſint ſolemnes honores: Satis eſt, quod Vir tantus Divino lumine in rebus multo

Reſponſum ad id ab Illuſtriſs. Patriarcha datum non infirmat hoc argumentũ.

minu-

minutioribus illuſtratus pravitatem in illis conſuetudinibus, ſi tam perſpicua foret, deprehendiſſet procul dubio: Satis eſt, quod ille Idolorum, & ſuperſtitionis everſor accerrimus illi ſemel deprehenſæ nunquam peperciſſet: Satis eſt, quod Deus hanc ejus rationem Evangelii prædicandi approbarit innumeris miraculis, quæ per ſervum ſuum patravit, tum in aliis pluribus terris, tum præſertim in illis Oris, quas præcipuo amore excoluit.

At quid opus ab ipſis Superis authoritatem accerſere, cum magis obviam ſuppeditet Illuſtriſſimus Patriarcha; qui profecto exiſtimaſſe videtur conſuetudines Indicas à Chriſtianis ſine peccato ſaltem formali, ut Theologi loquuntur, uſurpatas, & toleratas fuiſſe ante Decretum. Id evincit modus, tempuſque, quo ſua Excellentia Chriſtianis Indis Sacrum Confirmationis Sacramentum adminiſtravit. Quod ut planum fiat, animadvertendum eſt, Decretum datum fuiſſe, ideſt obſignatum, atque perfectum die 23. Junii anni 1704. Tunc Illuſtriſs. Patriarcha jam audierat, quaſnam conſuetudines Chriſtiani uſurparent; immo relatum ei fuerat, ut poſtea oſtendam, plura fieri, quæ re ipſa nunquam facta ſunt: Jam conſuetudines illas Cenſuris confixerat, & quidem

Illuſtriſs. Patriarcha cenſuit ſine peccato formali uſurpatas fuiſſe ante Decretum conſuetudines Indicas.

gravio-

gravioribus, ut exiſtimamus, quam illi uſus bene expoſiti mererentur.

Interea tamen ignorabatur, quid Decreto contineretur, cum occultum remanſerit, uſque ad ſeptimam circiter Julii diem, qua traditum eſt: Chriſtiani præſertim ex terris interioribus ne cogitabant quidem ſuam Excellentiam velle quidquam novi decernere, ſuis conſuetudinibus utebantur eodem, quo prius, animo, & modo; geſtabant ſua Symbola, ut ante; Viri Cineres in fronte, mulieres in collo ſuum commune Monile. Veniunt multi Puducherium, ut Confirmationis Sacramentum à ſua Excellentia accipiant: Jubet Illuſtriſs. Patriarcha eorum Confeſſiones excipi à P. Venantio Bouchet, à quo non ignorabat ſua Excellentia illas conſuetudines ſemper putatas fuiſſe, & adhuc putari innoxias. Non jubet de illis conſuetudinibus interrogare Pænitentes; non vetat abſolvi eos, qui nollent illis uſibus nuntium remittere; non denuntiat publicè, nec privatim, ne accedant ad Sac. Chriſma, qui reprobatos uſus non dejererent; nulla, ut ita dicam, ſuperſtitionis abjuratione facta, Sacris Unctionibus omnes confirmat, principio Julii ante Decretum traditum.

Nam facto, ſed non promulgato Decreto, Indigenas abſolvi patitur.

Iiſque adminiſtrat S. Confirmationem, quin prius cogat illis ritibus Nuntium remittere.

Putamus ne Illuſtriſs. Patriarcham ita fuiſſe

factu-

factum; ſi judicaſſet maxima peccata committi ab iis, qui conſuetudines Indicas uſurparent, aut uſurpari ſinerent? Longe aliud ſuæ Excellentiæ ſuaſiſſet ſumma ipſius pietas, religioque; ſed putavit poſſe Miſſionarios in ſua prima ſententia, & Chriſtianos in ſuarum conſuetudinum uſu relinqui, donec prodiret Decretum: erratum eatenus fuiſſe, & adhuc iſta vice erratum iri eo errore, quem alicubi Auguſtinus venialem vocat; ideſt, ignoſcendum magis humanæ imbecillitati, quàm crimini vertendum. Denique, nihil in eo commiſſum iri, nec commiſſum hactenus fuiſſe, quod Chriſtianos Sacramentis faceret indignos; nihil de quo rationem Deo reddere ſibi timendum foret. Poſſem adhuc quædam animadvertere in illud factum, ſed dicta ſatis ſunt ad probandum id, quod propoſueram; vel nulla, vel non admodum gravia fuiſſe peccata, quæ commiſſa fuiſſent, ſi ſatis habuiſſet Illuſtriſs. Patriarcha de conſuetudinibus illis ad S. Sedem referre; ac proinde non tam tremendam fuiſſe rationem de peccatis alienis reddendam, niſi hoc Decretum ferret.

Indicavit ergo ſua Excellentia peccatū materiale tantum fuiſſe.

Nunc ſequitur, Sanctiſſime Pater, ut exponam quam graviora peccata illorum uſuum prohibitionem ſecutura ſint; quæ quidem ſic

Magis timenda videri poteſt ratio redděda de peccatis ex Decreto ſecuturis.

peto à Sanctitate Veſtra accipi, ut non exiſtimet, me tot peccata Illuſtriſs. Patriachæ uſus illos prohibenti imputare: Meum non eſt judicare quemquam, multo minus eum, quem mihi Sanctitas Veſtra Judicem poſuit: Nec dubito quin Illuſtriſs. Patriarcha ſic coram Deo ſtatuendum judicaverit, idque optima mente fecerit: At rem, ut in ſe eſt, ſpecto, & quanta ratio reddenda foret, ſi ſecluderentur cauſæ ſingulares, quæ à peccato excuſare poſſunt.

Vtpote longe graviſſima.

Horreſco, Beatiſſime Pater, cùm cogito ipſe mecum; quæ, quantaque maximorum flagitiorum multitudo ex Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto ſecutura fuiſſent; quanta ſacrilegia Templis incendendis, Sacriſque vaſis violandis; quantæ in Deum, Sanctamque Religionem blasphemiæ; quantæ rapinæ in Chriſtianis ſpoliandis, quantæ crudelitates in illis vexandis; quanta homicidia in illis enecandis; quanta ſcandala poſita Infidelibus; quàm multæ Idololatriæ Chriſtianorum, qui tantæ tempeſtatis metu, eà mallent abripi, quam ſubmergi.

Sibi imputet, dicebat aliquis: cui ego reſpondeo, Sanctiſſime Pater, tum id recte dictum iri, ſi ineluctabilis neceſſitas foret id faciendi,

ex quo tam immenſa peccatorum graviſſimorum multitudo prævidetur certo conſecutura: tum id rectè dictum iri, ſi certo conſtaret illas conſuetudines eſſe vitioſas; quod quam parum conſtet, & jam oſtendi, & poſtea de ſingulis diſputando, confido me clariùs adhuc probaturum. At ſi abſit illa certitudo, ac proinde neceſſitas, ſi prohibeantur conſuetudines, quibus longè probabilius, ac propè certum eſt, nihil ineſſe vitii: eccui putamus tot peccata imputanda? Imputabuntur ſanè illis, qui ea committerent, quæ poterant, ac debebant non committere: At num etiam illis imputarentur, qui talibus peccatis cauſam, aut occaſionem darent minime neceſſariam? Si fuit aliquando timendi locus, num hìc maximè pertimiſcendum eſſet, ne à Chriſto Judice audiretur tremenda vox illa: Ipſe impius in iniquitate ſua morietur; verumtamen ſanguinem ejus de manu tua requiram.

Ex natura rei non ſolum Indis ea patrantibus imputarentur.

Ezec. 3.

Id timuere, Beatiſſime Pater, etiam poſt Decretum ab Illuſtriſs. Patriarcha latum Indiarum Epiſcopi, ne ſeveram rationem Deo redderent, totque peccatorum rei fierent, quot ex Miſſionum florentiſſimarum ruina conſequuntur, ſi illam ſui Gregis ſtragem pro viribus non impedirent: ideo ſua teſtimonia dedere; ideo

Timuere Indiæ Epiſcopi ne ſibi imputarentur. Ideo Illuſtriſs. Indiæ Primas Decretum diſtulit.

Illuſtriſs. Primas ait, ſe ſuo Primatiali officio coactum ad pedes Sanctitatis Veſtræ vulnera exponere, medicamenta debità ſubmiſſione flagitare, & Decreti executionem diſtuliſse. Compararunt procul dubio Religioſiſſimi Præſules rationem reddendam peccatorum, quæ poſsent à Chriſtianis in ſtatu præſenti committi, cum iis quæ Decreto promulgato committerentur: Exiſtimarunt, & cum illis etiam Miſſionarii omnes, ſe reos apud Deum non fore, ſi expectarent donec Sancta Sedes de vero rerum ſtatu admonita ultimo decerneret. At vero tot graviſſima peccata ſibi imputatum iri judicarunt, ſi ad ea impedienda ultimum conatum non adhiberent.

Et ſi ſolis Indis imputarentur, nõ eſſet illis danda occaſio non neceſſaria.

Sed quamvis ſolis Indis tot peccata imputanda forent, hoccine ſatis nobis eſse debet, ut continuo acquieſcamus, quod nobis talia peccata imputanda non ſint? Ubi amor proximi? ubi zelus animarum, ac Divinæ gloriæ? Quaſi vero hoc uno contenti eſse debeamus, quod Divina Providentia juſtificetur in judicijs ſuis; & promulgato Evangelio graviores pænas infortunatis illis populis accerſamus. Satis, ſatis, nobis id non curantibus, erga illos populos ſe juſtum oſtendet Deus, ut erga tam multos alios, qui nunquam de Chriſti Lege audierunt;

dierunt; Satiſque graves pænas pro ſuis peccatis Divinæ Juſtitiæ pendent, quin eas adaugeri ſatagamus. Sibi imputent: Siccine D. Paulus niſi poſt tentata omnia loqueretur, qui cupiebat impendi, & ſuperimpendi pro animarum ſalute, & eſſe pro fratribus Anathema? Siccine Apoſtoli omnes, Apoſtolicique Viri, quos animarum Divinæque Gloriæ zelus exurebat? Non ante Gentibus, ac Judæis conceſsere quidquid, ſalva Fide, boniſque moribus, concedi poterat, quam triſti illa conſolatione in peritorum exitio uterentur? Hanccine conſolationem admittet Sanctitas Veſtra, Beatiſſime Pater? auferentur à Lupis rapacibus Oves ipſi à Chriſto traditæ paſcendæ, ante oculos ſuos mactabuntur, peribunt, & æternum peribunt? At culpà ſuà peribunt; poterant tormenta pati, ipſamque mortem, ut ab Inferno ſe liberarent; quid ni paſsæ ſunt? Tale ſolatium admittet Sanctitas Veſtra? Non prius ſe partes in omnes vertet, quam infelices illas Oves ipſarum culpa perire ſinat? Culpa erat illius Ovis, quæ Bono Paſtore deſerto per devia errabat: Dicere poterat Bonus Paſtor, ſua culpa eſt, ſi à Lupis vorabitur; ſibi imputet: Ita loqueretur Mercenarius, ad quem non pertineret de Ovibus, cujus non eſsent Oves: longe aliter Bonus Paſtor;

Bono Paſtori triſtis cõſolatio quod oves ſuæ ipſarum culpa pereant.

ſtor; non attendit utrum illa Ovis volens pereat; ſatis eſt, quod ſit Ovis ſua; ſatis eſt, quod ſit in periculo; hanc per valles, monteſque ſolicitè inveſtigat, laborioſè inſequitur; ſui laboris oblitus de una Ove cogitat; inventam imponit in humeros gaudens, eamque reluctantem, propè invitam in Ovile reducit. Hi ſunt Boni Paſtoris mores, quos Veſtra Sanctitas procul dubio imitabitur.

Nec valet conſolatio, quod futuri ſint Martyres.

Aliud ſolatii genus ſuppeditant oneroſi Conſolatores, quod in illis perſecutionibus futuri ſint Martyres, quorum ſanguis in illis terris ſemen eſse poteſt Chriſtianorum: Ita ſane confidimus fore tunc Martyres: id ſpondet tot Illuſtriſſimorum Confeſsorum fortitudo, qui in ſtigmatis adhuc circumferunt totidem ſuarum victoriarum monumenta; neque diffitemur præclarum aliquid eſse pro Chriſto mori, & eſſe Martyrem: At præclarum non eſt, ſed immane ſcelus Chriſtianos in odium Fidei torquere, aut in cauſa eſse cur torqueantur. Erunt Martyres, at ſimul erunt Tyranni: Erunt Martyres; at nullus ne erit Apoſtata? Ecquæ fuit unquam in Eccleſia perſecutio paulo ſævior, & latior, quæ non, ut multos coronaverit, ſic multos dejecerit? & dum Eccleſia Mater illorum triumpho gloriatur, an iſtorum cladem

ſiccis

ſiccis oculis intuetur ? Erunt Martyres : O rem dictu facilem ! O quam parum laborioſum eſt ei, qui ſit in tuto collocatus, jubere ut alii martyrium ſubeant: Sed quantum incutit naturæ horrorem ſtricta ferri acies, propoſituſque tormentorum apparatus; quanto maiorem ipſa carnificina ? Quam multi id funeſta experientia agnovere; qui cum læti, ac alacres ad carceres convolarent, nihilque niſi martyrium ſpirare viderentur; impatientia ſuppliciorum fracti intellexere, quantum inter cogitationem martyrii, ipſumque martyrium interſit ?

Liquet ergo, Sanctiſſime Pater, nullam in illis conſolationibus eſse opportunam: liquet non tantam rationem eſse reddendam ab Illuſtriſs. Patriarcha, ſi indemnatas illas conſuetudines relinqueret, quam ſi eas tam propere condemnaret. Nunc ad ea, quæ ſua Excellentia conſiderare pergit in ſui Decreti exordio veniamus: poſt verba jam ſupra citata, ſic loquitur.

CAPVT II.

Verba Decreti.

De quibus Miſsionibus in primis ſolicitus fuerit Illuſtriſſimus Patriarcha.

ET quidem merito inter primas noſtræ ſollicitudini occurrerunt novæ Domini Vineæ in Regnis Madurenſi, & Mayſurenſi, recentiùſque Carnatenſi, iiſdem fere legibus, parique labore ab Evangelicis Societatis JESU Operariis Luſitanis, & Gallis plantatæ; ubi inter Ethnicorum, & Gentilium perſecutiones virentes germinant Evangelii Palmites aſsiduis Miſsionariorum ſudoribus irrigati.

Obſervationes.

CAuſæ, quas Illuſtriſs. Patriarcha commemorat, cur de tribus illis Miſsionibus ſit maxime ſollicitus, ſunt, quòd illæ Vineæ novæ ſint; quod Ethnicorum perſecutionibus ſint obnoxiæ; quòd maximis laboribus, ac ſudoribus irrigentur. Mirari ſatis non poſsumus, cur cùm hæc conſideret ſua Excellentia, non paulo maiori erga eas indulgentia uſus ſit.

§. I.

§. I.

NOvæ ſunt : inde colligendum videbatur multa eis eſſe concedenda, quæ Eccleſiis jam formatis, & antiquis negari potuiſſent: Sic Apoſtoli, ſic Summi Pontifices ſemper egerunt : Quid non fecere Apoſtoli in gratiam recentis Eccleſiæ Judæorum ? Licet Lex vetus abrogata fuerit ſtatim ac mortuus eſt Chriſtus pronuntiatis his verbis : Conſumatum eſt : aut ſaltem, ut alii malunt, Die Pentecoſtes; licet ſtatim poſt illam abrogationem, qui eam noverunt non potuerint amplius Legales Ceremonias animo Judaico, ideſt, tanquam neceſſarias, primamque ſuam vim habentes, ſine peccato obſervare; Apoſtoli tamen non ſolum Ceremonias illas à Judæis Chriſto credentibus uſurpari ſinunt; non ſolum ipſi illis præſentibus uſurpant; non ſolum imperant Eccleſiæ ex Gentibus factæ, ut in gratiam Judæorum abſtineant à Sanguine, & ſuffocato; verum ita loquuntur apud Judæos, ita agunt, ut ſinant multos Fideles æmulatores eſſe Legis; *Vides frater*, aiebant *Jacobus*, & *Seniores Paulo*, *Vides frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt*, & *omnes æmulatores ſunt Legis: Audierunt*

Videbatur aliquid eis indulgendũ, quia nova ſunt.

Novâ Eccleſiæ ex Synagoga multa indulſere Apoſtoli.

Act. 21.

 dierunt

dierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt, Judæorum, dicens, non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi? Quid ergo eſt; utique oportet convenire multitudinem; audient enim te ſuperveniſſe: Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper te: his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis ut radant capita; & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens Legem. Tùnc Paulus aſſumptis Viris poſtera die purificatus cum illis intravit in Templum annuntians expreſſionem dierum Purificationis, donec offerretur pro unoquoque illorum oblatio. Ibi exorto tumultu fit à Judæis impetus in Paulum, eripitur à Tribuno, loquitur ad Judæos ſæpius, Chriſtum prædicat clariſſime; de Legalibus Ceremoniis, ne illud quidem aperte dicit, lethiferas eſſe, ſi ſpiritu Judaico, ideſt, tanquam neceſſariæ, uſurpentur; at teſtatur ſe veniſſe in Jeruſalem facturus oblationes, & vota; ſe inventum fuiſſe in Templo purificatum.

Ceremoniarum obſervator videri vult Paulus Hieroſolimis.

Quid eſt hoc, ò Divine Paule, tot millia ſunt in Judæis qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt Legis, & ita æmulatores, ut videantur

deantur non ſolum velle obſervari Legales Ceremonias, ſed etiam exiſtimare eſſe obſervandas; quod lethiferum foret: Saltem periculum eſt, ne multi illorum hanc opinionem non omnino exuerint: Judæi verò qui non credunt, manifeſte dicunt, & contendunt eſſe neceſſario obſervandas: Tu Paule, hæc optime ſciens, tondes capillos Nazaræorum more; in Templo Hieroſolimitano te Legali purificatione ſanctificas; oblationem pro te offerri petis; vis videri ceremoniarum obſervans: An non times, ne plus à te fieri putent, quam re ipſa facis; nec quod animo Chriſtiano facis, à Judæis Judaico animo ſimilia facientibus, & ipſe Judaico animo facere exiſtimeris; cùmque illas Ceremonias ſolummodò uſurpes, tanquam adhuc toleratas, & permiſſas, credant à te tanquam neceſſarias adhiberi: Poſtea verò in vincula datus, & accuſatus violatæ Legis, cur non eodem loqueris modo, quo ad Galatas, quo ad Romanos de Lege, Legis juſtitia, Legiſque Ceremoniis ſcripſiſti? Nempe Apoſtolus erat: Cur Doctor Gentium apertè non doces, licere quidem ex Miſericordia Dei hoc illi populo indulgentis Ceremonias obſervare, tanquam actiones à Deo quondam præceptas, & adhuc per aliquod tempus utiles ad ſignificandum exteriùs

Licet affectu Iudaico uſurpatæ lethiferæ forent, non dicit tunc quo animo ſint adhibendæ.

riùs erga Deum Religionem; at vero Legem antiquam eſſe abrogatam; eos quibus id annuntiatum fuerit, non poſſe amplius ſine peccato Ceremonias uſurpare, tanquam neceſſarias, primamque vim habentes: Ita ſi diceres veritatem Judæi increduli, veritatem diſtincte Fideles intelligerent: Cur dicis toties te in Templo purificatum inventum fuiſſe? Cur toties repetis te Ceremonias obſervaſſe; nunquam dicis neceſſarias amplius non eſſe; nec ſine peccato tanquam neceſſarias uſurpari? Nempe Apoſtolus erat: fratrum volebat ſalutem, novæque illius Eccleſiæ conſervationem, & incrementum. Si in Legem ea dixiſſet, quæ aliis occaſionibus dixit, tot millia Judæorum credentium tam apertà denuntiatione offenſa Chriſti Fidem deſeruiſſent; nulli, aut pauciores eſſent amplexi: hinc eos errare in eo patitur, tempuſque magis idoneum ad eos docendos expectat.

Hom. 5. Sic Paulus, ut ait Chryſoſtomus, omnibus omnia factus, iuxta loca, & tempora vitæ modum variat; & quaſi ambidexter nunc Judaice, nunc Gentiliter, ſemper autem Chriſtiane vivit, & agit.

Novis Aſiæ Eccleſiis multa indul. ſit S. Ioannes Apoſtolus.

Eadem cauſa fuit cur S. Joannes Aſiaticis conceſſerit S. Paſcha eodem die celebrare, quo Judæi ſolebant; ut docet ex Baronio Spondanus:

nus: *Quod autem contrariæ opiniones, ut videlicet 14 Luna, quocumque die ea accideret, cum Judæis celebraretur, Joannem Evangeliſtam fuiſſe auctorem, non ſolum Quartodecimani Hæretici, ſed & Polycarpus, Polycrates, & alii Aſiatici aſſeruerunt, cum potius id, ſicut alia multa, in illa nuper in Aſia coaleſcente Eccleſia primitiva toleraſſe putandum eſt.* Et licet inde poſtea aliquot tumultus in Eccleſia exorti fuerint, id non obſtat, quo minus piè, ſanctèque fuiſſet ab Apoſtolis toleratum, aut conceſſum; non eorum culpa qui conceſſere, ſed eorum, qui pertinaciùs conceſſiones defenderunt, illæ turbæ exortæ ſunt. *Ad an. 159*

Erga recentem Gentilium Eccleſiam, non minus benignos ſe præbuere Apoſtoli, eorumque ſucceſſores: cumque illud diſcriminis eſſet inter Ceremonias Judaicas, atque Idololatricas, quod Judaicæ à Deo inſtitutæ poſſent permitti Fidelibus, ut re ipſa ad tempus permiſſæ ſunt; Idololatricæ verò ex ſuperſtitione, ne ad tempus quidem poſſent concedi, quid fecit pia Apoſtolorum, Virorumque Apoſtolicorum benignitas? Cernentes quam difficile ſit populis conſuetudines ſuas ſtatim dimittere, id divinitus excogitavère, ut reſecta ſuperſtitione conſuetudines illas expiarent, & ad Cultum Divinum

In gratiam novæ Eccleſiæ ex Gentibus multæ Ceremoniæ ex ſuperſtitione ad Religionem tranſlatæ.

Ad an. 58. *n.*78. num traducerent. Nonne patet, inquit Baronius, multa ex ſuperſtitione gentilia in Chriſtianam noſtram Religionem laudabiliter eſſe translata? Id quidem aliis adhuc exemplis, atque Patrum teſtimoniis, & authoritate oſtendimus. *Atque hanc etiam putem cauſam eſſe ſingularium quorumdam uſuum, qui in particularibus aliquot Eccleſiis extitere olim, & extant adhuc. S. S. Patres id primum quærentes, quod eſt veluti eſſentiale, nempe Fidem, & bonos mores, reliqua, ſi forte neceſſaria eſſent, licet non omnino forent magis recepto Eccleſiæ uſui conſentanea, tolerabant, quæ neque puritati Fidei, neque Eccleſiæ unitati repugnarent; donec progreſſu temporis ad formam magis uſitatam, ſi Summis Pontificibus videretur expedire, omnia reducerentur.*

Bed. l. 1. *hiſt. Eccl. c.* 30.

Novæ Anglorum Eccleſiæ multa indulget Greg. Mag.

Recenti Anglorum Eccleſiæ quam multa conceſſit Gregorius Magnus, qui ob paternam, quam de illa habuit ſolicitudinem illius Apoſtolus jure nuncupatus eſt. *Dicite Auguſtino,* ſcribebat ille Pontifex, *quid diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractavi; videlicet quod fana Idolorum deſtrui in eàdem Gente minime debeant; ſed ipſa, quæ ſunt in eis Idola deſtruantur: Aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur; .... ut dùm*

Gens

Gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & verum Deum cognoſcens, & adorans, ad loca, quæ conſuevit, familiarius concurrat. Et quia Boves ſolent in Sacrificiis Dæmonum multos occidere, debet eis etiam de hac re aliqua ſolemnitas immutari; ut die Dedicationis, vel Natalitiis SS. Martyrum, quorum illic Reliquiæ ponuntur; Tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent; nec Diabolo jam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & Donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant; ut dum eis aliqua exterius gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant: nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe non dubium eſt; quia & is, qui ſummum locum aſcendere nititur, gradibus, vel paſſibus, non autem ſaltibus elevatur.

Erga teneram Bulgarorum Eccleſiam, quam indulgentem, atque, ut ita dicam, tenerum Patrem ſe oſtendit Nicolaus Papa, cum eis in hæc verba reſcriberet: *Quod temporibus, vel diebus in circuitu anni ſit a carnibus abſtinendum, nunc vobis, qui rudes eſtis, & in Fide quodam modo parvuli, ſuperfluè duximus exponendum.*

Et Nicolaus I. Mag. Bulgarorũ Eccleſiæ.

Gre-

Gregorii Magni, & Nicolai item Magni veſtigiis inhæſit Gregorius XV, cùm Indis aliqua nobilitatis Symbola, & varios uſus ad politiorem corporis cultum pertinentes indulſit; de quibus dubitatum fuerat, num aliquid ſuperſtitionis continerent: Indulſit verò, ut ipſæmet Bullæ initio teſtatur, quod Brammanes, aliique Orientalis Indiæ Gentiles difficile propterea ad Chriſti Fidem amplectendàm adducerentur; quod illa ſymbola, illoſque uſus nollent dimittere; quodque Sua Sanctitas, quantum ſine Dei offenſione, & populorum ſcandalo licet, eorum converſioni conſulere cuperet.

Et Greg. XV. Miſſionibus Indicis.

Utinam Illuſtriſ. Patriarcha ſimiles ſenſus erga eaſdem novas Eccleſias Orientales concepiſſet; egiſſet procul dubio cum illis minus ſevere: At eoſdem ſenſus conceptum iri à Sanctitate Veſtra ſperamus, cum illi ſucceſſerit, cui Chriſtus ſemel Oves, bis Agnos, ideſt Neophytos paſcendos commendavit; perinde ac ſi innuere eo modo voluiſſet, curam duplo maiorem novis adhuc, teneriſque Eccleſiis, quam veteribus ab eo, ejuſque ſucceſſoribus eſſe impendendam.

Joan. ult.

§. II.

§. II.

ALterum; quod Illuſtriſs. Patriarchæ benignitatem videtur provocare debuiſſe, eſt quod illa nova Eccleſia Ethnicorum perſecutiones patiatur aſſiduas: Novit optime ſua Excellentia quinque ejuſmodi inſectationes in variis illarum terrarum partibus exortas eſſe intra ſeptem menſes, quibus Puducherii ſubſtitit. Prima eſt ea, quæ contigit in Provincia ubi verſabatur P. Carolus Michael Bertoldus; qua in procella multi Neophyti in carceres conjecti ſunt; multi flagellis crudeliter laniati; multi bonorum ſuorum parte non exigua ſpoliati: non dum finierat prima illa perſecutio cùm ſua Excellentia Puducherium appulit. Secuta eſt paulo poſt altera in Reſidentia P. Petri Martin, in qua Chriſtiani plurimum moleſtati fuere, interea dùm à Miniſtro Regio expectarentur iterata juſſa, quibus conatus inimicorum illam Eccleſiam comburere volentium retunderentur. Tertia in mea Reſidentia contigit, in qua una cum aliquibus Chriſtianis in vincula datus, ad mortem poſtulatus, & tantum non traditus fui. Quartam paſſus eſt P. Simon Carvallo, qui in exilium ejectus duas Eccleſias amiſit;

Illis videbatur aliquid indulgendũ propter perſecutiones, quas patiuntur.

ſit; quarum in locum in alia Provincia una ædificata eſt ſumptibus Illuſtriſs. Patriarchæ; qui quindecim ſcutis Italis, quot nempe ad ſimile ædificium requirebantur, in pium illud opus impenſis, ejus Eccleſiæ fundator extitit: mihique præterea præclara quædam munera dedit; quibus egemus maxime ad perſecutiones ſedandas, aut avertendas. Quinta perſecutio numerari poteſt ea, quæ licet in Oris maritimis maxime deſævierit, in interioribus tamen terris habuit originem; ex odio quo Infideles Sanctam Fidem noſtram proſequuntur. Nam cum cujuſdam Tribùs homines, qui vocantur Chanæ, indignarentur, multos è ſuis Tribulibus baptizatos fuiſſe à P. Xaverio Maria Borzeſio, nihilque cuperent impenſius, quam illum Miſſionarium è ſua Regione expelli, aut etiam ſupplicio affici, hac occaſione uſi ſunt: Videre illum abeſſe à ſua Reſidentia, ſuſpicati ſunt, iviſſe in Oram maritimam, quo re ipſa repetitis juſſis evocatus ſe contulerat, ut Provinciæ Comitiis intereſſet. Principem illico adeunt; aiunt dubium jam non eſſe, quin ille Legis peregrinæ Magiſter, Europæus ſit; ſe id non verbis, ſed re ipſa probaturos; daret ſolummodo milites, qui illum ab Ora maritimà è medio Europæorum Europæo indumento ve-

Quę paucis hìc referuntur.

ſtitum

ſtitum adducerent. Rem ipſe Princeps voluit exequi: Venit cum armata mauu in Oppidum dictum Toppo, quod eſt in Ora Travancoridis, in quod convenerant Patres è Societate JESU, & unde multi eorum non dum profecti erant: Obſidet domum, Patres prehendit, & explorat, ſi forte quem quærebat, reperiret: At ſingulari Dei Providentia factum erat, ut pridie periculi admonitus Pater Xaverius Maria Borzeſius obliquis viarum anfractibus in locum, ubi reſidere ſolebat, reverſus eſſet; qui ſi fuiſſet ibi deprehenſus, non de illo ſolum actum eſſet, ſed tota Religio graviſſimum in illo Regno periculum ſubiiſſet. Spe ſua dejecti, non continuo receſſerunt Ethnici; nam cùm ſcirent, eam in domum, quæ deſolatiſſimæ illius Provinciæ tutiſſima putabatur, comportata fuiſſe quæ quiſque magis eſſe volebat in tuto; plurima in primis Eccleſiarum ornamenta; prædam illam, quam maiorem adhuc ipſorum cupiditas fingebat, omittere noluerunt; & aliud cauſati, neque illis unquam defuerunt Chriſtianos inſectandi rationes; in Patres è Societate impetum faciunt; hos verberant, illos ſpoliant, ſingulos peſſime habent, & omnibus rebus deſtitutos in Ora exponunt, Sacras Imagines comminuunt, pedibus conculcant; Calices

ore ſacrilego polluunt; denique Sacra omnia impiis modis prophanant; Chriſtianis ad tam luctuoſum ſpectaculum lamentabiliter ejulantibus; & tandem quæ aſportare non potuerunt cum Eccleſia, & domo, flammis ſuccendunt. Narrata eſt expilatio illa Illuſtriſs. Patriarchæ, qui eà mediocriter commoveri viſus eſt: Optaſſemus tamen aliquantulum commoveri; non ut eo ſolatio frueremur, quod miſeri optare ſolent; nempe ut ſibi condoleatur; non ut ejus liberalitate reſarciretur jactura, quæ pauperrimæ illi Provinciæ prope exitio fuit; at ut ſine neceſſitate urgenti non augeret cauſas, ob quas Ethnici Chriſtianos perſequuntur. Talia paſſi ſumus ex ſuſpicione, quam habuere, unum ex nobis Europæum eſſe; quod genus hominum Indi tanquam infimæ plebis fæces ſummopere averſantur; & plura jubet Illuſtriſs. Patriarcha fieri, ex quibus Europæi eſse certo dignoſceremur.

Decretum auget cauſas perſecutionum.

In eo videtur nobis Illuſtriſs. Patriarcha paulo aliter ſe geſſiſse, quam Eccleſia ſoleat: Nam quàm multæ ſunt quæ aliis temporibus Chriſtiani facere tenentur, quæ non moleſtè fert Eccleſia tunc ommitti; modo in contemptum Fidei à Tyranno non imperentur, & non ſint contra Fidei profeſſionem. Non petit Eccle-

ſia

ſia ut Chriſtianus tunc Divinis interſit Officiis, jejunet, à carnibus abſtineat, ſi illa præcepta obſervare nequit, quin Fidei hoſtes in ſe, aut in alios Chriſtianos provocet. Ipſius Sacri Concilii Tridentini promulgationem poſse ob perſecutionem differri uſque ad congruum tempus reſpondère, teſte Virricellio, Theologi deputati à Sac. Congreg. de propaganda Fide. Quam multa præterea laudabiliſſima ſunt in ſe ſe, quæ prohibuit Eccleſia perſecutionum temporibus? Pium, & laudandum eſt Sacras Imagines in Eccleſia proponere; eas tamen ab Eccleſiarum parietibus abeſse voluit Concilium Eliberitanum; procul dubio ne inde blaſphemandi, aut Chriſtianos inſectandi occaſionem arriperent noſtræ Religionis hoſtes. Pium, & laudandum eſt Idola frangere; de illis tamen, qui illa frangerent, ibique occiderentur, ſic idem Concilium ſtatuit: *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Evangelio ſcriptum non eſt, neque invenitur ſub Apoſtolis unquam factum; placuit in numero eum non recipi Martyrum.*

Multa licent perſecutionum tempore, quæ alio non licerent.

Can. 36.

Can. 60.

Retuli ſupra quid fecerit Paulus Apoſtolus Hieroſolymæ, & eam in rem deſcripſi verba ex Actis Apoſtolorum; ex quibus ſatis apparet, S. Jacobum, & Seniores ſuaſiſse Paulo Legalium

lium Ceremoniarum uſum, ad placandos, ſi fieri potuiſset, Judæos, & perſecutionem avertendam. Retuli etiam quantum Anglis recens ad Fidem converſis indulſerit Gregorius Magnus, licet ſumma pace illa Eccleſia frueretur; licet Rex ipſe aliqua jam imperaſset everti Idolorum fana, mavult Sanctus Pontifex ea in Eccleſias converti, ac Sacrificia in religioſa convivia mutari: Quid putamus eum facturum fuiſse, ſi illa nova Eccleſia eodem modo afflicta fuiſset, quo Indicæ affliguntur? Quam prona voluntate ſumma ſua pietate uſus eſset ad minuendas perſecutionum cauſas? Quantum abfuiſset ab illis cauſis ſine ſumma neceſſitate adaugendis.

§. III.

ATtendere dignatus eſt Illuſtriſs. Patriarcha novas illas Vineas aliquo labore plantatas creſcere inter multas vitæ aſperitates, ac aſſiduis Miſſionariorum ſudoribus irrigari. Illud etiam videbatur ſuam Excellentiam commovere debuiſſe, ut illos labores aliqua ex parte ſublevaret; id quod tantà authoritate à Sanctitate Veſtra inſtructus facile poterat. De corporis laboribus non loquor, licet magni videri

deri poſſint aliquibus, utcumque tamen tolerantur; immo invitant multos, ut hanc Miſſionem aliis anteponant, in qua facilius poſſint pro Chriſto patiendi deſiderium ſuum explere: At ſperabamus fore, ut tot Summos Pontifices imitaretur, qui conſcientiæ anguſtias, in quibus Miſſionarii ſæpe reperiuntur, commiſerati non paucis privilegiis, ac facultatibus eos donarunt; rati Miſſionarios ſatis premi pondere diei, & æſtus, quin ad corporis labores alii maiores accedant. Verum aliter viſum eſt Illuſtriſs. Patriarchæ, qui ejuſmodi Decretum tulit, quod innumeris dubitationibus, perplexitatibuſque dat locum. Porro ſi multa Miſſionariis prohibet ſua Excellentia, quæ ipſis in Europa nullo præcepto interdicta ſunt; licet nullæ ſint ſingulares rationes, ob quas in India potius, quam alibi prohibeantur, quis erit, qui tales animæ nodos non perhorreſcat? Si perpetuis dubitationibus vivendum eſt; quis non anteferet quiete ſalutem ſuam operari quam alienæ tanto animæ ſuæ periculo adlaborare.

Ob laborem Miſſionariorum videbatur aliquid illis Miſſionibus indulgendũ,

Et ſua Excellentia illos labores ſine neceſſitate auget.

CA-

CAPUT III.

Verba Decreti.

De voluntate quam habuit Illuſtriſs. Patriarcha Miſſiones ingrediendi.

ILluc ſane fuiſſemus, non minus laboris quam gaudii in Chriſto JESU participes eſſe vehementer cupientes, niſi ab hoc nobis diuturna infirmitas prohibuiſſet.

Obſervationes.

Operæ pretium fuiſſet, ſi illas ingrederetur.

ID quoque nos ſummopere optaſſemus, Sanctiſſime Pater, ut Illuſtriſs. Patriarcha in ipſas Miſſiones interioribus in terris poſitas penetraret; eas non ex aliorum relatione, ſed ſuis oculis cognoſceret: quanta hinc emolumenta ſecutura fuiſſent? Primo quidem facta exploraret ipſe ſuis oculis; deinde vidiſſet, ac ſenſiſſet neceſſitatem illas conſuetudines non condemnandi, niſi manifeſte vitioſæ eſſent. Vidiſſet quanto periculo præſentibus Ethnicis violetur minima earum conſuetudinum, quas ipſi ad honeſtatem, aut ad nobilitatem pertinere arbitrantur? Si illarum conſuetudinum externa ſpecie offenſus experiri vellet, utrum impune poſsent præteriri; ſi Monile nuptiale immutare

mutare tentaret; ſi ignobilium tecta ingrederetur; ſi aliud aliquid ageret ex rebus maioris momenti, quæ in Decreto continentur; Deus immortalis! quanta incendia ſubito exardeſcere conſpiceret? Illuſtriſs. Patriarcham tunc nec ſua præſtantiſſima nobilitas, nec ſumma dignitas defenderent, quin ſaturaretur opprobriis, & ſæviſſima quæque una cum Chriſtianis ab Infidelium furore pateretur. Quod ſi ex illo naufragio emergere poſset, ad conſpectum triſtiſſimarum imaginum, quas ſæviens perſecutio oculis offert; timeret forte, ne ſine ſatis urgente neceſſitate, & ſe, & gregem tanto periculo expoſuiſset; ne de illa clade rationem Divino in judicio eſset redditurus: inquireret procul dubio iterum, atque iterum, ſintne illi omnes articuli neceſsarii, ita ut tali periculo, aut potius tam certa Religionis ruinà ſint obſervandi: nullæne reperiantur inter illas conſuetudines, quæ poſſint tolerari; nullæne quæ reſecta ſuperſtitione expiari, & ad meliores uſus traduci queant?

Credimus aliter fuiſſe decreturum; quod celebris Miſſionarii exemplo declaratur.

Minoribus defunctus periculis ante aliquot annos R. P. Petrus Paulus à S. Franciſco Miſſionarius Carmelita, poſtea Anciranus Epiſcopus priſtinum omiſit conſilium nobiles, & ignobiles in Templo miſcendi. Supplere quidem

dem

dem aliqua ex parte potuit apud D. Viſitatorem aliorum, qui viderant, narratio: Verum longe ſegnius afficiunt animos res per aures demiſsæ, quam quæ fidelibus oculis ſubjiciuntur: immo & ſi Puducherii ſubſiſtens Illuſtriſs. Patriarcha hæc oculis potuiſset conſpicere; magnum diſcrimen eſt, utrum periculum ex tuto videatur, an ibi ſentiatur, ubi ad nos pars illius aliqua pertineat: aliud eſt videre tempeſtatem è littore, aliud ejuſdem furores alto mari experiri.

Maximo igitur Miſſionum damno factum eſt, ut Illuſtriſs. Patriarcha ſtatim à ſuo adventu diuturnà infirmitate detentus interiores terras penetrare non potuerit. Poſtquam ex ea paululum convaluit, agi cæptum eſt inter nos de illo ingreſsu; & jam conſultatione habità convenerat inter Miſſionarios, ut ſua Excellentia reciperetur in Reſidentia dicta Calupaleiam; quæ cum poſita ſit in terris unius Principis, qui ſi non amicus, ſaltem inimicus non erat, minus ſubiret periculum ſua Excellentia, quam cæteri Miſſionarii: At cum videret Illuſtriſs. Patriarcha, ne illud quidem admodùm ſecurum fore, ſeque meminiſse in Orientem miſsum à Sanctitate Veſtra, ut Viſitatoris Apoſtolici, non verò Miſſionarii munere fungeretur,

Miſſionarii omnia diſpoſuerũt ad tuto recipiẽdum Illuſtriſs. Patriarcham.

Cur conſilium illud ſua Excellentia omiſerit.

tur, timere ſe dixit, ne ſi quid ſibi eveniret gravius, id moleſte feret Sanctitas Veſtra: itaque conſilium Miſſiones adeundi omiſit.

CAPVT IV.

Verba Decreti.

QVod autem per nos ipſos immediate obtinere non licuit, exhibitum erga nos, & S. Sedem Apoſtolicam obſequium à Patribus Venantio Bouchet Carnatenſis Miſſionis Superiore, & Carolo Michaele Bertoldo Madurenſi Miſſionario, Viris & propagandæ Fidei zelo, & Indigenarum rituum notitia præſtantibus opportunè ſuppeditavit. Enim verò cum ab illis in moribus, linguà, & religione iſtarum regionum ex longa in iis vitæ conſuetudine apprime verſatis plura certius cognoverimus, quæ eoſdem Palmites enerves reddunt, & fructu vacuos &c.

Ex quibus inquiſierit Illuſtriſs. Patriarcha.

Obſervationes.

IN hæc Decreti verba rem maximi momenti Sanctitati Veſtræ exponere aggredior Beatiſſime Pater; qua ſcilicet prævia inquiſitione

factum fuerit hoc Decretum ex quo tot animarum ſalus pendet. Et quia hìc ſua Excellentia duos Miſſionarios è noſtra Societate teſtes appellat; ſuperius vero dixit, ſe Miſſionum neceſſitates undique inquiſiviſſe; ego, ne quid prætercam, oſtendendum ſuſcipio primo quas notitias ex illis duobus Miſſionariis hauſerit D. Viſitator; ſecundo quænam ab ipſis Indis dari potuerint; tertio quænam à DD. Abbatibus Illuſtriſs. Patriarcham comitantibus; quarto quænam ab aliis Europæis Puducherii degentibus; quinto quænam denique Româ in Indias deportari potuerint.

De inquiſitionibus ab Illuſtriſs. Patriarcha factis.

§. I.

SIc Illuſtriſs. Patriarcha laudat Patres Venantium Bouchet, & Carolum Michaelem Bertoldum, ut nemo ſit, qui videns illos in Decreti principio tam honorificè citari, non exiſtimet omnia, & ſingula Decreti ſtatuta ſuppeditatis ab utroque illo Patre cognitionibus facta fuiſſe; nihilque eſſe in Decreto, quod non ex eorum conſenſu fuerit ſancitum, & cui non libenter ſubſcribant: non ea tamen eſt mens Illuſtriſs. Patriarchæ.

Decretum non nititur teſtimonio duorũ Miſſionariorũ.

Enim vero in teſtimonio illorum Patrum

duo

duo diſtingui poſſunt, nempe quid de quæſtionibus facti, ut teſtes oculati retulerint; deinde quid de quæſtionibus juris, ut Theologi ſenſerint: Si de quæſtionibus juris agitur, certum eſt, illos longè aliter de pleriſque conſuetudinibus Indicis ſenſiſſe, & adhuc ſentire, quam ab Illuſtriſs. Patriarcha fuerit pronuntiatum; ſiquidem & ipſi nulla in re ab aliorum Miſſionariorum uſu diſcreparunt, & illos uſus, quantum in ipſis fuit, apud ſuam Excellentiam defendère.

Quod ſi de factis agitur, multa in Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto habentur, quæ nunquam ſuæ Excellentiæ duo illi Miſſionarii retulere. Id quanquam ipſi non aſſererent, indubitatum tamen foret: leguntur enim quædam in Decreto adeo à veritate, & ab illarum Gentium uſu abhorrentia, ut non modo narrari non potuerint ab illis Patribus illarum regionum notitia præſtantibus, quales eos Illuſtriſs. Patriarcha agnoſcit; ſed ne ab ullis quidem notitia illa leviter tinctis: facta illa recenſebo in obſervationibus ad ſingula Decreti puncta.

Quia ipſi non omnia facta, nec eo expoſuere modo, quo in Decreto referuntur; ſed tantum aliqua.

Quod de factis ipſis dixi, idem pari ratione de factorum adjunctis intelligendum eſt: Sunt enim pleraque in Decreto iis veſtita adjunctis, quæ nihil omnino habent veri, nec veriſimilitudinis

Immo nec facta, nec factorum adjuncta eo modo exponere potuerunt.

tudinis

tudinis iis, qui terras illas norunt; ac proinde nec relata ſunt, nec referri potuere à viris, qui eſſent in moribus illarum regionum vel mediocriter verſati. Accedit, quod ſi illa tam facta, quam factorum adjuncta eo modo enuntiata fuiſſent ab illis Miſſionariis, negare nulla ratione poſſent, quin de illorum pleriſque fuiſſet optime à ſua Excellentia definitum; neque ipſi unquam aliter iis rebus egiſſent, quam Decreto præſcribitur.

Quædam facta in Decreto ſupponũtur, quorum cõtrarium expoſuerunt.

Plus dico Sanctiſſime Pater; quædam facta in Decreto leguntur, quorum contrarium Miſſionarii retulerant. Teſtor Illuſtriſs. Patriarcham, an non Miſſionarii ſæpius ſuæ Excellentiæ aſſeruerint, omnino falſum eſſe Medicos nobiles domum ignobilium introire: illud tamen factum in Decreto legitur; & illo tanquam fundamento, licet ruinoſo ſtabilitum eſt ſtatutum; quod unum ad Religionem in tribus Miſſionibus perdendam ſatis eſſet. Affirmavit ſuæ Excellentiæ P. Venantius Bouchet ſublatum jam dudum fuiſse in Chriſtianorum nuptiis ramum Arboris *Arajù*: de illo tamen ait Illuſtriſs. Patriarcha in Decreto; *Et ſignanter, præter eas, quas audivimus, jam ſtatutas in hac materia reformationes, ramus arboris Arajùmaram omnino auferatur*. Aſſeruerat idem Miſſio-

ſionarius interdictos fuiſſe Chriſtianis Circulos circa caput Sponſorum ab Ethnicis fieri ſolitos; & in eorum locum ſubſtituta fuiſſe ſigna Crucis; atque illa Crucis ſigna, qua ratione fierent, actione expreſſerat ad ipſum fere Illuſtriſs. Patriarchæ caput; ita ut ne ſi vellet quidem, id videretur poſſe oblivíſci: Et tamen præter reformationes, quas in hac materia jam factas audiverat ſua Excellentia, jubet omitti Circulos illos; aliaque multa ejuſmodi ſupponuntur in Decreto ſecus omnino fieri, ac Miſſionarii expoſuère.

Non negant itaque Sanctiſſime Pater illi duo Miſſionarii quin plures notitias ſuæ Excellentiæ ſuppeditaverint, obſecuti in eo Sanctitatis Veſtræ voluntati: non negant eſſe in Decreto multa facta, & quædam factorum adjuncta, quæ eo expoſuerint modo, quo illic continentur: atque hanc putem ſuæ Excellentiæ fuiſſe cauſam, cur eos teſtes Decreti principio appellaret: At contendunt multa quoque facta, & factorum adjuncta eſſe, quæ nunquam retulerint; multa quorum contrarium teſtati ſunt: denique putant ex factis à ſe relatis, id colligi non potuiſſe, quod ſua Excellentia collegit, omnes illos uſus, qui Decreto damnantur, eſſe vitioſos.

Hæc

Ita ſe rem habere conteſtati ſunt duo Miſſionarii citati.

Hæc tria, quæ modò memoravi, aperte conteſtatus eſt P. Venantius Bouchet, ſtatim ac Decretum legit: Id apud ſuam Excellentiam ſuper Sacro Evangeliorum Libro jurare voluit; & feciſſet, ni variæ circunſtantiæ impediſsent: tantoque certiùs jus jurandum illud poterat concipere, quod in ſcriptis haberet quid quoque die Illuſtriſs. Patriarchæ dixiſſet, & quid ſua Excellentia repoſuiſset; additque ſe libenter in Europam navigaturum, ut ea de re tota Sanctitati Veſtræ rationem redderet. Non aderat P. Carolus Michael Bertoldus; at P. Provinciali Antonio de Barroz, mihique tunc Miſſioni Superioris ut rem certiſſimam aſseruit, ſe de uno aut altero tantum articulo ad Decretum pertinente cum ſua Excellentia egiſse, nihilque dixiſse, nec vero dicere potuiſse, quod tali Decreto locum daret.

Et patet ex ſcriptis quæ dederũt ſuæ Excellentię.

Sed quid in illis moror? Teſtatur ſua Excellentia illos Patres & verbo, & ſcripto fusè fuiſse auditos: Quid verbo dictum fuerit ex ipſis ſcriptis æſtimetur: neque enim aliud verbo, aliud ſcripto ab illis Patribus dictum fuiſse probabile eſt. Puto ab Illuſtriſs. Patriarcha ad Sanctitatem Veſtram tranſmiſsa fuiſse ſcripta, quæ ipſi oblata ſunt: eorum exemplaria habeo, quæ cum juſserit Sanctitas Veſtra exhibere paratus

ratus ſum: Cognoſcat ex illis Sanctitas Veſtra; utrum facta in Decreto eo modo enuntientur, iis adjunctis veſtiantur, quibus illa referunt ſupradicti Patres in ſcriptis ſuæ Excellentiæ oblatis: cumque manifeſtum apparuerit, maximam eſse diverſitatem; videbit Sanctitas Veſtra ſic Illuſtriſs. Viſitatorem eorum Patrum teſtimonio uſum eſse, ut ex aliis quoque teſtibus multa deſumpſerit; ſic eorum cognitioni, & experientiæ detuliſse, ut aliis contrarium aſserentibus ſæpe magis credendum putaverit; ac proinde ſic fuiſse auditos, ut eorum teſtimonio Decretum niti cenſeri nequeat.

Nempe Illuſtriſs. Patriarcha ita Miſſionarios videtur audiviſse tanquam teſtes, ut ſimul partes, ſeu reos eſse non obliviſceretur: hinc eorum teſtimoniis adjunxit Fidem, quoties contra ſe locuti ſunt; quoties expoſuere facta, aut adjuncta quædam, quibus aliquid odioſi ineſse videretur, quod damnationi locum daret: hoc innuit ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha, cum ait, ſe plura ab illis certius cognoviſse, quæ eoſdem Palmites enerves reddunt, & fructu vacuos: Cum hæc cognoſcenda darent, tunc ſuæ Excellentiæ, & S. Sedi obſequium deferre putabantur; tunc Indigenarum rituum notitia præſtare; tunc in moribus, lingua, &

Tunc Fides data eſt illis duobus Miſſionariis, cum contra Indiæ uſus loquuti ſunt

Religione illarum regionum ex longa in iis vitæ conſuetudine apprime eſse verſati. Si vero facta, aut factorum adjuncta exponerent, quæ ad uſuum illorum defenſionem facere viderentur; Si narrabant Medicos nobiles nullà lucri ſpe adduci poſse ad ingrediendas ignobilium domos; ſi dicebant ſublatum fuiſse ex nuptiis ramum arboris *Arajù*, Circuloſque ſuperſtitioſos, quia inde ſequebatur minus culpandos eſse Miſſionarios, Palmites verò minus enerves, repente omnem amittebant fidem; repente evaneſcebat in illis aut notitia rerum, aut obſequium in S. Sedem: quod tamen utrumque in illis Illuſtriſs. Patriarcha commendare dignatus eſt. Non ita actum iri nobiſcum ſperabamus, nec videbamur meruiſse: At ſiquidem actum fuiſse liquet, advertat quæſo Sanctitas Veſtra quam iniqua fuerit Miſſionis conditio apud Illuſtriſs. Patriarchæ Tribunal: teſtimonia admittebantur, ſi contra illam forent; rejiciebantur, ſi ei faverent: In ſimili judicii forma quis unquam innocens abſolvetur? Sed videamus quinam alii teſtes auditi fuerint; an inter eos ſint aliqui, quorum teſtificationem potuerit Illuſtriſs. Patriarcha Miſſionariorum teſtimoniis opponere? Ordo propoſitus poſtulat, ut ab ipſis Indis initium ducam, expendamque

quas

quas notitias ab eis potuerit haurire ſua Excellentia.

§. II.

AD oſtendendum vix quidquam certi ab Indigenis cognoviſse Illuſtriſs. Patriarcham, exponam hìc quinam, & qua ratione conſulti fuerint? quos conſuluit Illuſtriſs. Patriarcha, Indi erant; Indi Oræ maritimæ, & numero pauciſſimi Indi erant: Si Indorum, ac præſertim Tamulenſium indoles in Europa nota foret, non eſset opus plura dicere, ut Sanctitas Veſtra cognoſceret, quam difficile ſit ab illis veritatem elicere: Gens eſt cauta ſimul & ſuperba, quæ res ſuas non amat aperire iis, quos videt earum rerum admiratores non fore: Gens eſt aſsentatrix, quæ ſi cum alicujus authoritatis viro loquatur, & norit quo propendeat, eam in partem & ipſa inclinabit; eaque libenter dicet, quæ libenter auditum iri crediderit: Gens eſt avara, quæ ſi lucrum aliquod ſperat, aut damnum timet, nullo propè veri, falſique diſcrimine omnia ad voluntatem interrogantis proferet: Gens eſt timida, quæ concedere quævis malit, quam homini, quem reveretur, obſiſtere: Gens eſt in verbis ambigua, quæ ſæpius

Ab Indis notitias certas haurire non potuit Illuſtriſs. Patriarcha; quod probatur ex ipſa gentis indole.

pius tunc maximè diſsentit, cùm omnia videtur aſsentiri: Gens eſt parum ſibi conſtans, quæ nunc hoc, nunc illud ſentit, nunc verum, nunc falſum facillime dicit: Gens eſt, in qua, velut inter alios populos, docti pauci ſunt, infiniti ignari, qui ſine ullo diſcrimine conſulantur, in maximos errores abducent: Gens eſt, in qua litterarum monumenta pauca ſunt, & quorum eruditio fere tota diverſiſſimis opinionibus plena eſt: Gens eſt, cujus Religio mille commentis quotidie creſcentibus involuta, vix quidquam inter illos habet certi, non modo diverſis Sectis, ſed etiam ejuſdem Sectæ hominibus inter ſe maxime diſſidentibus. Nihil hìc dico, quod non mecum dicturi ſunt quotquot Europæi illis Gentibus familiarius uſi ſunt, & cum eis commercia iniere; nihil quod non multi Scriptores tradant, & in primis Carmelita quidam Italus Miſsionarius, cujus liber erat in manibus Eleemoſinarii ſuæ Excellentiæ.

Chriſtiani Indi in Oris maritimis commorantes non bene norunt Religionem Indorum;

Cùm omnibus Indiæ locis difficile ſit Religionem illarum terrarum penitus introſpicere, tum verò magis difficile in Ora maritima ubi Illuſtriſs. Patriarcha verſabatur. Qui in ea reperiuntur, poſſunt in duas claſses diſtribui: prima eſt Chriſtianorum, qui ibidem inter Europæos

pæos educati fuere: Manifeſtum eſt, Sanctiſsime Pater, ex illis nihil certi elici potuiſſe; qui ex longa cum Europæis conſuetudine facti prope Europæi, de rebus Indiæ ad Decretum neceſſariis minus ſæpe norunt, quam ipſi Europæi: à Chriſtianis enim parentibus ortum, & inſtitutum accipientes, minime apti ſunt ad teſtificandum, utrum conſuetudines Indicæ affines ſint ſuperſtitioni Idololatrarum; eo quod nec eorum libros legant, nec curent eorum fabulas cognoſcere.

Nec etiam Mercatores Gentiles.

Altera claſſis eſt Gentilium, qui ex mediterraneis locis in Oras maritimas mercaturæ cauſa veniunt: neque iſti multo magis idonei ſunt, ex quibus multa cognoſcantur; cum nunquam, aut non niſi pueri ſtuduerint; reliquo vitæ tempore de lucro faciendo magis, quam de exploranda Religione ſoliciti; & ſatis habentes tantum ſcire, quantum populus ſolet. Quod de Mercatoribus dico, idem de aliis alia officia exercentibus intelligendum volo: Non loquor hìc de aliquibus Ethnicis Magiſtris, qui ad pecunias à ſuis Sectariis colligendas in Oras maritimas rariſſime veniunt: Hi enim cum multum abhorreant ab Europæis, ſeque eorum familiaritate pollui credant, eorum colloquium devitant, illorumque domos non ingrediuntur:

&

Ethnici Magiſtri, qui rariſſime veniunt in Oras maritimas, & Religionem ſuam amant abſcondere, & Europæorum colloquium devitant, ne ipſi eorum familiaritate polluantur.

& præterquam quòd Religioni ducant ſua myſteria aperire hominibus, quos vident non diſcipulorum docilitate, ſed Religionis æmulatione percontari ad ea deridenda potius, quàm ſuſcipienda; nullum omnino ex his interrogavit ſua Excellentia, ut infra dicam fuſiùs.

Id patet ex inquiſitionibus quondã Goæ factis.

Parum admodum tuta eſſe in rebus ad Decreta pertinentibus teſtimonia Indorum, qui in Oris maritimis reperiuntur, jam ſatis experientia docuit. Horum reſponſis nitebantur Decreta Goanarum Synodorum, quibus tanquam ſuperſtitioſæ damnatæ fuere quedam conſuetudines. Rurſus aliquot poſt annos, cùm de iiſdem conſuetudinibus iterum inquiri juſſit S. Sedes, quinque Indi prius Mercatores, tunc temporis verò Sacerdotes Goani eadem ſymbola ſuperſtitioſa eſſe adhuc judicabant; quæ eorum authoritas, ut ſupra diximus non impediit, quo minus Gregorius XV. illa intra certos limites permitti poſſe pronuntiaverit. Si Illuſtriſs. Patriarcha tales teſtes habuiſſet contra Indicos uſus, quid faceret, cum eos damnarit auditis teſtibus longè inferioris notæ?

Enim vero quoſnam ſua Excellentia interrogavit? Non vidimus accerſiri magiſtros peritos, non Chriſtianos, qui cùm antea eſſent in

ſua

ſua ſuperſtitione verſati, Fidem amplexi eſſent. Nequidem in Oris maritimis, ipſaque in Urbe Puducherio perquiſivit magis peritos, qui ibi reperirentur, à quibus poſſet ea doceri, quæ ad Decretum ferendum erant opus: Hos ſua Excellentia ſatis habuit interrogare, qui obvii fuere. Præcipuus fuit, qui morbi tempore ſuæ Excellentiæ remedia ſubminiſtrabat. Erat ille minime verſatus in cognitione conſuetudinum, quæ in India vigent; utpote parentibus Chriſtianis oriundus, & longè aliis rebus, quàm Infidelium Religioni introſpiciendæ intentus, & nunquam cum Ethnicis verſatus. Aderat etiam unus adoleſcens, qui Chriſtianam doctrinam ſatis bene callebat; at nihil omnino ſcire poterat de origine, natura, & fine conſuetudinum in Indiis uſitatarum: Hunc ne quidem, quod ſciam, ſua Excellentia interrogavit; & quem præterea conſuluerit, vidimus neminem.

Non niſi unum, aut alterũ quos ſciam, interrogavit Illuſtriſs. Patriarcha, eoſq; ignariſſimos.

Morabatur tamen noſtra in domo Illuſtriſs. Patriarcha; facilèque poterat adverti, quinam ad ſuam Excellentiam accederent. Pauciſſimos teſtes fuiſſe à ſe conſultos, ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha videtur confeſſus eſſe: Nam, cùm in quoddam Decreti ſtatutum dixiſſem, notum eſſe India tota, ſecus omnino ſe rem

habere,

Et ipſemet duos tantum teſtes à ſe in aliquibus interrogatos fuiſſe conteſtatus eſt.

habere, quam Decreto ferretur; reſpondit ſua Excellentia, ſciendum nobis eſſe, nihil Decreto contineri, quod non duorum ſaltem teſtium aſſertione niteretur. Omnino hinc conficitur, aliqua eſſe Decreti ſtatuta, quæ non pluribus, quam duobus Indigenarum teſtimoniis firmata ſunt: Et quænam illa? Ea forte, in quibus acriùs Chriſtiani, aut Miſſionarii ſuperſtitionis, impietatiſque condemnantur: ea ex quibus pendet in illis terris Religionis ruina. Proh Deum immortalem! In quibuſdam civilibus Actis jus Romanum non pauciores, quam ſeptem teſtes, eoſque benè ſelectos deſiderat: In aliis occaſionibus, cùm duos teſtes admittit, vult ſemper eſſe omni exceptione maiores: Et in re tam gravi, quam eſt novæ Eccleſiæ florentiſſimæ infamatio, conſervatio, aut deſtructio, pronuntiabitur ex fide duorum Indorum; contra quos tam multiplex eſt exceptioni locus?

Quibus duobus ducentos melioris notæ prolaturũ ſpromiſi.

Cum hoc Illuſtriſs. Patriarcha reſpondiſſet, dixi ego tunc, quod etiam nunc Sanctitati Veſtræ dico, me pro duobus teſtibus ducentos melioris notæ prolaturum, qui contrarium aſſerent. Enim vero id facile foret in certis rebus, quæ Decreto continentur; quæque tam notoriæ abſunt à vero, ut niſi Illuſtriſs. Patriarcha id

id diceret, dubitaturus eſſem, reperti ne duo Indi fuerint, qui ita ſuæ Excellentiæ narraſſent. Repoſuit tunc Illuſtriſs. Patriarcha; Si duo mentiti ſunt, etiam ducentos facile eſſe mentituros: Quod utrum veriſimile dictum ſit, Sanctitatis Veſtræ judicium eſſe velim. Id tamen ſi perſuaſum fuit Illuſtriſs. Patriarchæ, malè omnino ominata fuit Miſſionis cauſa, quæ eum judicem haberet, apud quem tanti ponderis eſſent duo teſtes, qui contra Miſſionem loquerentur, quam ducenti, qui illam defenderent. Si videtur æquum ita ſtatui, illud ſaltem pro ſuo jure petit Miſſio, ut neque iſtis, neque illis teſtibus credatur; incertaque remaneant quæcumque Illuſtriſs. Patriarcha ex illorum duorum teſtium aſſertione diffiniit, ſi ſunt ejuſmodi ut ducentis aliis facile refelli queant.

Quid ad hoc repoſuerit Illuſtriſſimus Patriarcha?

Quod ſi in factis multis, iiſque pervulgatiſſimis ſaltem incerta remanet teſtium ab Illuſtriſs. Patriarcha adhibitorum authoritas; quid erit judicandum de teſtimonio ab iis dato in factis magis reconditis, & cognitu difficilioribus; ſine quibus tamen religioſum à prophano, ſuperſtitioſum à civili ſecerni nequit. Satis non erat, exempli gratia, ſcire mulieres nuptas Monile aureum geſtare; nullus erat etiam Euro-

pæus, qui hoc non poſſet ſuæ Excellentiæ teſtari: ulterius ſciendum erat, quid in illo Monili cælatum ſit; de quo quia oculi nihil omnino poſſunt judicare, id nunquam ſuæ Excellentiæ dixiſſent illi, qui interrogati fuere: Sciendum erat quorſum ibi effictum ſit Elephantis caput; quam ad quæſtionem iidem magis obmutuiſſent: Sciendum erat, an uſitatum ſit illud matrimonii ſymbolum inter varias Religionum Sectas? Ad hoc quid reſpondiſſent homines, qui vix norant eſſe in Indiis Sectarum varietatem? Fidem hìc appello Illuſtriſs. Patriarchæ, an eorum reſponſis tantum tribuendum judicaret, ut ſi facta exponerent, quæ valerent ad illarum conſuetudinum executionem, illis ſua Excellentia acquieſceret: An ideo nullum re ipſa Elephantis caput in Monili nuptiali ſculpi judicaſſet, quod ſculpi negarent; vel cultum ei non exhiberi, quod non exhiberi aſſererent: non adeo eorum peritiæ ſua Excellentia confidebat; ea ex certioribus teſtimoniis, & non immerito, putabat cognoſcenda. At ſi ita eſt, hìc iterum deploranda erit Miſſionum conditio, quæ damnatæ fuerint teſtimonio hominum, tam in iis rebus imperitorum, ut ſi quid dicerent, quòd faveret, nullum tali teſtimonio robur ob inſcitiam ineſſe crederetur: nec poſſu-

Res abſtruſiſſimæ Religionis Indorum non poterant ab illis duobus teſtibus neſci.

poſſumus non deſiderare, ut quemadmodum facta aliqua vera non exiſtimabantur, niſi meliorum teſtium authoritate confirmata; Sic reliqua manerent in dubio, donec certis teſtibus poſſent ſine erroris periculo confirmari. Verum hoc noſtrum infortunium fuit, quod in Miſſionariis haberet ſua Excellentia, quibus certo confirmarentur facta, quæ in nos eſſe videbantur; nullos haberet à quibus judicaret, poſſe certo confirmari, quæ nobis favebant: At id culpa noſtra factum non eſt; nec minus dubia cenſenda ſunt ea facta, quibus Decretum ſuperſtructum eſt.

Quorum teſtimonium cùm favebat uſibus Miſſionis Illuſtriſs. Patriarcha non admittebat.

Erant igitur illi teſtes multis de cauſis rejiciendi, eorumque teſtimonio vis prope nulla inerat, etiam ſi commode, & cum otio fuiſſent interrogati; quanto minorem illis ineſſe vim judicabit Sanctitas Veſtra, ſi attenderit, qua ratione à ſua Excellentia ad Decretum tanti momenti concipiendum fuerint interrogati.

Qua ratione fuerint conſulti teſtes illi qualeſcumque.

Illuſtriſs. Patriarchæ, nec per valetudinem, nec per negotia, nec per tempus licuit inquiſitionibus faciendis vacare, quantum neceſſe erat. Septem illis menſibus, quibus Puducherii ſubſtitit, fere ſemper ægrotavit: Quamobrem mentis ſuæ oculos, uti ipſemet teſtatur, per vaſtiſſimas Orientales regiones circumtu-

Illuſtriſs. Patriarcha diu æger, immo ægerrimus fuit.

lit, dum corpus pertinaci morbo jaceret detentum; nec potuit interiores terras adire diuturna infirmitate prohibitus: perpetuis inſomniis adeo fatigabatur, ut ſemper languidus, ſemper debilis foret: vehementiſſimos dolores interdum experiebatur; eoque redactus eſt, ut vix manibus ſuis uti poſſet, cum profectus eſt in Philippinas. Porro qui iter longum, ac laborioſum ſuſcepturus in id præcipue incumbit, ut neceſſarias vires comparet, ac valetudinem infirmam reſtituat, qua ratione poteſt ſe impendere teſtibus audiendis, cognoſcendiſque rebus abſtruſiſſimis; quæ animum erectum, ac liberum, non infirmitate remiſſum poſtulant.

Mille negotiis diſtentus

Statim ac Illuſtriſs. Patriarcha paulo melius habere cæperat, in mille negotia diverſa, intricata, ac ſpinoſa curas ſuas partiri cogebatur: nihil opus eſſe puto ea commemorare, cum ex Actis ad Sanctitatem Veſtram tranſmiſſis, eorum multitudo, gravitas, & ambages ſatis innoteſcant. Agnoſcit ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha principio ſui Decreti ſe graviſſimis curis preſſum fuiſſe pro Apoſtolici Viſitatoris munere ſibi injuncto: addit quidem ſua Excellentia inter illas graviores curas, præcipuam fuiſſe Miſſionum neceſſitatibus providere: at inter-

dum

dum præcipuis curis nocet aliarum multitudo; præſertim ſi ſint graves, ſi in idem tempus concurrant; & magis adhuc ſi hominem ægrotantem nanſciſcantur.

Præter graviores curas illas, quas grave Viſitatoris Apoſtolici munus neceſſario adjunctas habet; traxit præterea tanta dignitas ingentem officioſorum hominum frequentiam, qui ad Illuſtriſs. Patriarcham crebrò veniebant, ut de ejus valetudine reſcirent, ejuſque alloquio fruerentur: atque illi tanto lubentiùs, tantoque maiori numero confluebant, quod facillimum eis aditum præberet ſuæ Excellentiæ urbanitas.

Plurimum tempus abſtulerunt officia aliæ urbanitatis.

Videat igitur Sanctitas Veſtra quam exiguum tempus Miſſionum negotio datum fuerit: Nam ſi ex ſeptem menſibus, quibus Illuſtriſs. Patriarcha Puducherii commoratus eſt, detrahatur illud tempus quo graviùs ægrotavit, quam ut poſſet vacare negotiis ullis; item illud, quo adeo debilis erat, ut non niſi permodicâ attentione ea tractare potuerit; nec non illud quod memoratis jam gravioribus curis, ac negotiis impendit; denique illud, quod officioſa conſumpſere colloquia; Quantum putat Sanctitas Veſtra temporis ſuperfuturum? Dubito, Beatiſſime Pater, utrum duo menſes liquidi fierent,

Subductis omnibus Illuſtriſs. Patriarcha duos menſes ſolidos non impēdit huic cauſæ.

rent,

rent, ſi omnia intervalla conjungerentur. Vix tamen, ac ne vix quidem ſatis erant ſeptem menſes ſolidi ad ejuſmodi cauſam bene cognoſcendam, etiam ſi optima valetudine ſua Excellentia frueretur, nullaque alia occupatio ſuperveniſſet. Exploranda erant accuratè facta omnia ad quæſtiones perſolvendas neceſſaria: porro quam multa illa ſunt, quam difficilia cognitu? cum ſint eruenda ex ipſis Indicæ Religionis viſceribus, & illarum gentium indole, ac moribus; quorum omnium niſi plena notitia habeatur, nunquam bene innoteſcere poterunt facta, quæ ex illis pendent.

Quę difficilior eſt Sinenſi, de qua tot ſcripta ſunt.

Id paulo difficilius erat, Sanctiſſime Pater, in iſtis conſuetudinibus Indicis judicandis, quam in Sinenſibus: de Sinenſibus jam à decem circiter annis redintegrata quæſtio fuit; multa ex utraque parte ſcripta ſunt; adfuerunt Romæ Miſſionarii: quibus omnibus inter ſe conparatis, fieri non poteſt, quin facta multa rata jam, ac fixa ſint; quin eorum politicæ, ac Religionis arcana in lucem pertracta ſint. Nihil ſimile de Indicis uſibus factum: erat adhuc gens Indica prorſus ignota, aut oblita; nihil fere de eorum moribus, indole, Religione fuerat auditum: ad hæc omnia introſpicienda paulo plus temporis fuiſſe requiſitum, nullus credo rerum

æquus

æquus æſtimator inficiabitur. Si ad ſtatuendum de illis factis Sinenſibus, quæ adhuc ſunt litigioſa, ſua Excellentia non pluſquam ſeptem menſes impendet, iis ſimiles, quos Puducherii egit, neſcio an partibus ſit ſatis facturus; & num aliquam conquerendi rationem habituræ non ſint: Quanto maiori nos ratione conquerimur, quòd intactam hactenus cauſam tam celeriter expedierit.

Sentiant alii quod voluerint, ego pro eà, quam habeo illarum terrarum experientia, ſic coram Deo judico, Sanctiſſime Pater, verum illarum Miſſionum ſtatum, non niſi duobus, vel ad minimum uno ſaltem anno integro, in intimis terris tranſacto, poſſe mediocriter cognoſci. In Ora vero maritima, vix tres, quatuorve ſatis eſſe, quantacumque diligentia adhibeatur; præſertim ſi ita ſtatuatur, denegandam eſſe Miſſionariis fidem, uti ſua Excellentia ſtatuiſſe videtur. Spero id jam non adeo mirum Sanctitati Veſtræ viſum iri; poſtquam expoſui, quantum inter Oras maritimas, terraſque interiores diſcriminis intercedat, quoad facilitatem ſecuros teſtes inveniendi, & ab illis verum eliciendi; quod arduum ſemper erit Europæis.

Vnum ſaltem annum in Miſſionibus mediterraneis agere opus erat ad cauſam cognoſcendam.

In Sinas Illuſtriſs. Viſitatorem alia vocabat

cauſa

Verum Illuſtriſs. Patriarcha in Sinas properabat.

cauſa celebrior, quæ in Indiis tandiu morari non patiebatur: Eſto fuerit celebrior, certè gravior non fuit: Multis rebus Sinenſi imperio cedit illa pars Indiæ, quæ à trium Miſſionum Operariis excolitur; at multitudine Chriſtianorum, ſi demus cedere, fervore utique ſuperat. Sic igitur omnes exiſtimabant, non ideo tempus neceſſarium uni cauſæ præſertim tanti momenti, fuiſſe denegandum, ut citius ad aliam veniretur. Scitum eſt ea maturitate ſingulas cauſas ab æquo judice eſſe diffiniendas, ac ſi ſolitariæ, & unicæ forent: id cùm in omnibus judiciis obſervari debet, in quibus de hominum fortunis, dignitate, vita ſtatuitur; tum multo magis in illis ex quibus animarum, & tot animarum ſalus dependet. Sibi tamen multi perſuadent, Sanctiſſime Pater, non tam cito Illuſtriſs. Patriarcham Puducherio fuiſse profecturum, ſi ad hoc unum negotium veniſſet; ſi ipſi in Europam revertendum, & non ad Sinas iter continuandum fuiſset: At Sinas tanquam præcipuum ſuæ Legationis finem ſua Excellentia perpetuo cogitabat: & ſi audeo dicere, paucioribus adhuc menſibus in India commoratus eſset, ſi promptior ſe ſe obtuliſset in Sinas navigandi occaſio. Non erat tamen talis naturæ hoc negotium, quod veluti iter conficiendo

ciendo conficeretur ; neque hanc fuiſse Sanctitatis Veſtræ mentem crediderim: contra perſuaſum habeo, Sanctitati Veſtræ non futurum fuiſse moleſtum, ſi Illuſtriſs. Patriarcha uno ſaltem anno, poſtquam convaluit, profectionem in Sinas diſtuliſset, ut melius de noſtris Indicis Miſſionibus cognoſceret: Aut ſi adeo res Sinenſes urgebat, pauliſper Indicam differret, & ex Sinis redux Miſſiones Indicas viſitaret magis ex otio, reſque diffiniret eà maturitate, qua res tanta poſtulabat, & quam S. Eccleſia Romana ſemper adhibere ſolita eſt. *Deus Omnipotens, inquiebat S. Evariſtus Papa, ut nos à præcipitatæ ſententiæ prolatione compeſceret, cùm omnia nuda, & aperta ſint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, priuſquam manifeſtè agnoſceret, deſcendam, & videbo: cujus exemplo monemur, ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites ſimus, aut temere, & indiligenter indiſcuſſa quæque quo modo judicemus*. Idem innumeris Sum. Pontificum, Conciliorum, atque adeo Eccleſiæ exemplis poſset comprobari; quæ in rebus ad Fidem, bonoſque mores ſpectantibus diffiniendis, ſic Spiritus Sancti auxilio confidit, ut nullam diligentiam humanam omittat; pluſque temporis vulgò mavult rebus cognoſcendis,

Videbatur non ideo celerius cauſa Indicarum Miſſionum fuiſſe diffinienda.

 quàm

quàm minus impendere.

At præter tempus multa Illuſtriſs. Patriarchæ defuère ad teſtes benè interrogandos: nam primò illos ipſos Indos, quorum teſtimonio uſus eſt, percontari, & eorum reſponſa facile non fuit ſuſcipere; cùm nec Illuſtriſs. Patriarcha Indicas linguas ſciret, nec illi Europæas: neceſſe erat Luſitanico Idiomate corrupto loqui; quo ego ipſe Luſitanus vix intelligere, & intelligi poteram cum de rebus communiſſimis ageretur. Exiſtimabitne Sanctitas Veſtra bene utrinque interrogata, & reſponſa percepta fuiſſe in rebus tam obſcuris, quæ ad concipiendum Decretum cognoſcendæ erant? Ex iſto caſu facile erit id evincere; Conqueſti ſunt apud Illuſtriſs. Patriarcham Indigenæ Puducheriani de re aliqua, quam ſua Excellentia illìc fieri juſſerat, & quæ ipſis maxime diſplicebat: Ex illis aliqui Luſitanico idiomate, corrupto tamen, & deformato, cum Illuſtriſs. Patriarcha loquebantur; quibus ſua Excellentia Hiſpanicè reſpondebat; & quos poſtquam, uti exiſtimabat, ſatis contentos dimiſit; illi alta voce clamabant: Quid faciemus? nec Illuſtriſs. Patriarcha nos intelligit, nec poſſumus ipſi capere quid ille dicat. Potuit ne hac ratione D. Viſitator in rebus abſtruſis naturam, & origi-

Illuſtriſs. Patriarcha vix Indos conſulere potuit ob linguæ diverſitatem.

Et ob reſponſi inter Indos uſitati ambiguitatem.

originem Indicarum conſuetudinum ex hujuſmodi teſtibus cognoſcere ? Neque per Interpretes multo facilius fuit agere ; cum nulli reperirentur, qui bene callerent linguas Illuſtriſs. Patriarchæ notas: Sæpeque eveniat, ut Interpretes aliquid addentes de ſuo, aut detrahentes, non admodum fide verba utrinque reddant.

Omittere hìc non debeo, quam pronum fuerit, ut Illuſtriſs. Patriarcha in errorem induceretur certa quadam reſponſi formulà, quæ illis populis familiaris eſt; & qua Miſſionarios aliquos vidi decipi, etiam poſt aliquot annos in illis Miſſionibus tranſactos: Nam ſi ab aliquo interrogentur, quî cum par ſit modeſte, reverenter, urbaniter agere, quæcumque res eis proponatur, nunquam omittunt reſpondere *Meidàn* - quæ vox communiter eſt aſſentientis; tunc vero nihil eſt aliud, quam vox urbanitatis, reſponſioni præmittenda: id quod apparet ſtatim, ſi detur illis mentem aperiendi mora; tunc enim ſæpe declarant, ſe longè aliter ſentire, quam prima illa vox indicare videatur: Si verò aliquis ejuſmodi usùs inſcius præciſa reſponſa quærens, longos ſermones, fuſaſque explicationes refugit, id quod evenire ſolet iis, qui properant, qui linguam non bene norunt, aut

qui interprete utuntur, fiet, ut pro certa, liquidaque affirmatione accipiat vocem illam *Meidàn*, quà nihil eſt æquivocum magis.

Non eſt, quantum exiſtimo, levis conjectura Illuſtriſs. Patriarcham non ſatis ſibi ab illius reſponſi ambiguitate caviſſe; & exinde tanquam ſuperſtitioſum, aut indecens confixiſſe, quod neque ſuperſtitioſum, neque indecens eſt. Dixerit, verbi cauſa, ſua Excellentia alicui Indo, Cineres quos fronti illitos geſtas, an non ſunt inſigne Dei *Xiven*, an non in illius honorem fronti illinuntur? Tanto Viro aliter non poteſt reſpondere Indus, niſi, *Meidàn*, ſi Tamulice loquatur, aut alio æquivalenti, ſi Luſitanicè: Quid illo reſponſo in ſpeciem clarius, & certius? re ipſa quid fallax, & obſcurum magis? Vix incipit aliquid addere Indus, cum illi ſilentium imponitur; admonetur ſatis illud eſſe, non plura poſtulari; pergat ſimilia reſponſa quàm ſimpliciſſime reddere: Quod ſi Indus contendat, velitque nihilominus eloqui quod ſentit, id quod rarò pro timiditate gentis eveniet; ſed ſi urgeat tamen, & quod addit diſcrepare videtur à ſenſu, quo acceptum eſt primùm ipſius reſponſum, proclive eſt, ut interrogator Indo ſuccenſeat tanquam in ſuis reſponſis titubanti, aut tanquam mala fide agenti: ad hæc

obmu-

obmuteſcit, ſuoque ſilentio videtur culpam agnoſcere. Utinam talibus reſponſis ſtabilitum non fuerit Decretum, ex quo pendet in illis terris Religionis conſervatio.

Illuſtriſs. Patriarcha non diſſimulavit in quam partem propẽderet.

Illud etiam ſummopere cavendum erat Illuſtriſs. Patriarchæ, ſi quid volebat certò ex Indis cognoſcere, ut neutram in partem propendere videretur; cum præſertim tales ſint Indi, quales ſupradixi, nempe quos facile mendaces faciat timiditas, metus, reverentia, ſpes. At ſine Illuſtriſs. Patriarchæ offenſione dicere liceat, paulo maius æquilibrium fuiſſe in eo deſideratum. Indus ille nuncupatus *Rayapen*, quem dixi omnium maximè in multis ab Illuſtriſs. Viſitatore fuiſſe interrogatum, aiebat, timere ſe, ne noceret ſuæ Excellentiæ valetudini, ſi res illi, uti ſentiebat, candidè aperiret; eò quod Illuſtriſs. Patriarcha iraſceretur, ipſumque veritatis, juſſu Patrum è Societate, diſſimulatæ incuſaret, ſtatim ac dicebat aliquid, quo conſuetudines inter Chriſtianos uſitatæ excuſarentur. Declaravit quoque paulo ante Illuſtriſs. Patriarchæ diſceſſum, ſe adactum fuiſſe metu minoris mercedis recipiendæ, ſi contra ipſius mentem, ac voluntatem loqueretur. Factum iſtud non ignoravit, ut puto, ſua Excellentia; novitque optime, ipſos Europæos, qui

Indis

Hinc teſtimonia Indorum non ſatis à timore, & ſpe libera.

Indis veracitate longè præſtant, minoribus ſæpè de cauſis mentiri.

Neque ſolum ut ab Indis verum cognoſceretur, neceſſe erat D. Viſitatorem diſſimulare, etiam ſi in alterutram partem inclinaret; ſed etiam ut alii omnes ad inquirendum adhibiti unicam veritatem remotis præjudiciis, remoto partium ſtudio ſectarentur, & exponerent. Dubitari non poteſt, quin & DD. Abbates Illuſtriſs. Patriarcham comitantes, & alii quotquot Puducherii aderant, ſuæ Excellentiæ placere in omnibus quærerent, & nulla in re diſplicere. Perſpicuum erat fore, ut quamcumque in partem ſe propendere monſtraret, in eam alios plures pertraheret authoritate ſua; & qui aliter ſentiebant, aut ſilerent, ſi loqui non tenebantur; aut ſi tenebantur, ſententiam timide dicerent. Et tamen ut primum Illuſtriſs. Viſitator navi exſcendit, viditque Cineres in unius Indi fronte, offendi plurimum re illà viſus eſt: Simile quid alia vice contigit Laicis aliquot præſentibus; ita ut nemini dubium foret, quin conſuetudines illas, etiam ante factum examen, plurimum averſaretur, & in eas condemnandas potius, quam abſolvendas propenderet.

Hinc etiam Europæi in eandẽ partẽ inclinati.

Ad hæc ſive morbi diuturnitate, ſive domeſticarum

ſticarum quærelarum offenſionibus, ſive negotiorum multitudine Illuſtriſs. Patriarchæ indoles paulùlum exacerbata fuiſſet, pati certè non poterat, ut ſibi ulla in re contradiceretur: Si rationes aliquas eà, quà par erat, reverentià, ac modeſtià opponebamus, aiebat interdum, nos eſſe pertinaces, qui neglecto vero, nihil aliud vellent, quam opiniones ſuas propugnare; ſe à nullo conſilium ſumere; ſe deinceps hunc nobis honorem non habiturum, ut ſuas rationes communicaret; curaturum ſe ut nos obtemperare cogeret: aliàs non in eos tantum quibuſcum agebat, ſed in Societatem ipſam ita loquebatur, ut videretur tantiſper oblitus illius benevolentiæ, quà eam ſemper proſecutus erat. Cum ita affectum Illuſtriſs. Patriarcham cerneremus, quoties illius offendendi metu prohibiti ſumus ea aperire, quæ tamen ad cauſam plurimum facere judicabamus: quoties nos continuimus, ne ejus animum magis exaſperaremus. At ſi nos, quorum cauſa agebatur vix eloqui auſi ſumus; quà ratione pro defendendis illis conſuetudinibus loquerentur Indi, qui parum intelligebant, quantum ſuæ Genti ex earum damnatione detrimentum immineret? Qua ratione loquerentur alii, ad quos ea cauſa nihil attinebat? Bene actum exiſtimare poteramus, ſi

Illuſtriſs. Patriarcha non facile patiebatur ſuis rationibus opponi alias.

ſi illis obloqueretur nemo ad ſuæ Excellentiæ placendum. Vel ex eo ſolo ſuſpectæ poſſent eſſe notitiæ, quas ex aliis ſive domeſticis ſuis; ſive externis hauſit ſua Excellentia; & ſi Indos melius conſuluiſſent; quod non feciſſe DD. Abbates Illuſtriſs. Patriarchæ Comites, nunc oſtendendum mihi aſſumo; quoniam hoc tertium membrum eſt ennumerationis à me factæ.

§. III.

Quæ impedierunt, ne Illuſtriſs. Patriarcha bene inquirere poſſet. eadem fere impediere, ne ſuæ Excellentiæ comites bene inquirerent.

QVæ dixi obſtitiſſe, quo minus Illuſtriſs. Patriarcha ex Indis ipſis naturam conſuetudinum Tamulenſium benè cognoverit; eadem fere impediere, quo minus id quoque præſtarent, qui D. Viſitatorem comitabantur. Nullum ex interioribus terris accerſiere; illos tantum conſulere potuerunt, qui Puducherii reperiuntur: Non melius eorum linguam norant, nec paucis aliis negotiis, ſive occupationibus diſtrahebantur. In primis D. de Sabina ſuæ Excellentiæ Auditor, & D. Claudius ejus Cancellarius toto tempore alter ſcribendo, alter tot negotiis diſtentus fuit, ut eis otium nullum ſupereſset, quod hujus cauſæ examini impenderent: qua propter ad iſtos duos

duos nullo modo ſpectant, quæ poſtea ſum dicturus de ratione, qua ſe in iſto negotio DD. Abbates geſsere. E quatuor aliis Illuſtriſs. Patriarchæ Comitibus, D. à S. Georgio non parum occupatus fuit viſitandis Urbibus Mailapura, & Madraſto, ubi cognoſcendum habuit de negotiis aliis ſatis intricatis; quæ diu etiam poſt ipſius reditum perſeverarunt, & quibus ſuum tempus, ſuaſque curas denegare nequivit. D. Dumay, ſcribebat, ſi vera eſt fama, commentaria ampliſſimæ relationis, quam meditabatur, eoque præcipuas ſuas curas referebat: eam ob rem monſtrata ſibi animalia depingebat; deſcribebat locorum ſitus, Mappas Geographicas delineabat; equum identidem conſcendebat, ut ea quæ circa Puducherium viſu digna forent, cerneret: Ethnicorum Sacrificiorum, matrimoniorumque ceremonias ſeu diu, ſeu noctu fierent, obſervabat, reſque viſas in ſcripta ſtatim referebat. Magis pias occupationes ſuggerebat D. Sidotti animarum zelus, quo ardebat: totum ſe impendebat Confeſſionibus diu, noctuque audiendis; erigendis Sodalitatibus; efformandis moribus Præſidiariorum militum, & aliorum incolarum Europæorum, quos aſſidue domi conveniebat: plurimus erat etiam in curandis ægris, quibus Noſo-

Aliis rebus plerumque intenti fuere.

comium refertum erat; donec tantis laboribus exhauſtus in morbum diuturnum incidit. Quod ſi addatur tempus impenſum variis ſcriptis ad hanc cauſam minime ſpectantibus elucubrandis, ſatis apparebit, illi otium non fuiſse in conſuetudines Indicas plurimum inquirendi. Minus occupatus videbatur D. Cordeyro; non ideo tamen magis intentus erat inquiſitionibus faciendis. De illo, ut & de reliquis dici verè poteſt, nulla fere de re minus, quam de cognoſcenda Indicarum conſuetudinum natura fuiſse ſolicitos.

Præter illam negotiorum, & occupationum diverſitatem, non deerant alia, ob quæ quatuor illi DD. Abbates minus idonei forent conſuetudinum Indicarum exploratores. Sileo tamen hìc multa Sanctiſſime Pater, quæ non convenit publico ſcripto memorari; & quæ Sanctitati Veſtræ exponam, cum juſserit. Singulis ſuæ Excellentiæ Comitibus ſua laus eſt, ſed non æqua: in nonnullis ſi dixero multa deſiderata fuiſse ad negotia tractanda, id dicam, quod ſæpe auditum eſt ab ore Illuſtriſs. Patriarchæ; quem ſcimus multoties pænituiſse eorum aliquos ſecum adduxiſse.

Non omnes ad negotia tractanda idonei erant.

Si ipſi, qui de conſuetudinibus Indicis inquirebant, non id ſemper ea maturitate fecère,

quam

quam res tanta poſtulare videbatur, quod exemplo iſto Sanctitas Veſtra cognoſcet: Dixerat ſuæ Excellentiæ P. Venantius Bouchet, abhorrere Indos ab uſu Chriſtianorum, qui ſejuncta Angelorum Capita, dimidiataque Sanctorum corpora effingunt; indeque probari impreſſum non eſſe Idoli caput Monili nuptiali. Pergit ſtatim unus ex Illuſtriſs. Patriarchæ Comitibus in vicinum Idolorum fanum, inſpecturus, utrum ſimulacra ſuis omnia membris conſtarent; nec ſumpto otio, quantum ſatis erat, ad animadvertendum, Simulacra eſſe in ſitu ſedentium, decuſſatis Indorum more pedibus ſub obeſo abdomine: Revolat ocyus, narratque à ſe illud ipſum, de quo quæſtio erat, Simulacrum viſum fuiſſe dimidiato tantum corpore: Sed re melius explorata intellectum eſt, illum D. Abbatem, non tam diligentem, quam curioſum fuiſse rerum Indicarum exploratorem. Alius ut probaret, peccatum aliquid fuiſſe ab uno è Societate in Rubricis ad Unctiones Baptiſmi pertinentibus, protulit quid ſuper Extremæ Unctionis adminiſtrandæ modo, Rituale Romanum præſcriberet, quod malo equidem inadvertentiæ maximæ tribuere, quam malignitati.

Non omnes ſatis attente res expendebant.

In pleriſque ex illis quatuor DD. Abbatibus

optandum erat, ut melius affecti forent, hancque cauſam putarent, non oculis tantum, ſed mente cognoſcendam; non negligentibus aliquot interrogationibus, ſed ſtudio, labore, diligentiaque comprehendendam; non voluntate, ſed judicio eſſe librandam; non præconcepta opinione, ſed Theologicis rationibus poſt accuratam facti cognitionem eſſe diffiniendam. Non ita exiſtimaſſe videntur, nec ita egere plerique ex illis quatuor Comitibus Illuſtriſs. Patriarchæ: Vix in Indias pervenere, cum nulla quæſtione habita, nec Miſſionariis, nec Indigenis auditis, omnia in illis Miſſionibus ſuperſtitioſa eſſe ſuis in ſermonibus palam pronuntiabant: ita illis horrenda viſa eſt Cineris fronte geſtati, rerumque ſimilium exterior ſpecies, ut nequidem exiſtimarent, opus eſſe de illis ulterius perquirere. Horum aliqui contra veritatem, veriſimilitudinemque omnem in animum ſuum induxere, facillimum eſſe perſuadere Neophytis ab illis ſuis conſuetudinibus diſcedere; ideoque tantum iis addictos remanere, quod non placeret Miſſionariis eos dehortari. Cumque tam malè de Patribus Societatis ſentirent, nil mirum, ſi ab illis putarent in hac quæſtione maxime cavendum; eorumque teſtimoniis exiguam, aut nullam fidem habendam.

Nec ſatis à præiudiciis immunes.

Atque

Atque utinam ſoli illi de nobis ita exiſtimaſſent, & non in eoſdem ſenſus ſuam Excellentiam induxiſſent, fatalem illam diffidentiam ei immittendo, quam nullis obſequiis ex ipſius animo eripere potuimus. At qua ratione Præſul æger, negotiis obrutus, & naſcentibus inde curis moleſtatus, ejuſmodi præjudicia, etiam ſi nullis ipſe laboraſset, affectuſque illos ſiniſtros non imbiberet, habens ſemper ad latera, qui veluti ex compoſito ſuperſtitionem perpetuo inclamarent; perinde ac ſi Illuſtriſs. Patriarchæ voce præire voluiſsent, quid deberet de illis Miſſionibus decernere.

Sane durum eſt, Sanctiſſime Pater, Miſſionariis, qui in aſsequenda peregrinarum conſuetudinum cognitione plurimos annos poſuere, nulliſque caruère adjumentis ad eam cognitionem neceſsariis, edoceri ab illis, qui eos uſus non aliter explorarunt, quam quantum oculis, & infida narratione explorare queunt. Durum eſt Miſſionariis, quorum multi ſunt in ſacris diſciplinis ſat benè verſati, ab illis tam facile condemnari, quos non apparet in eis multo magis eſse exercitatos. Durum eſt Miſſionariis, qui in laboribus Apoſtolatùs conſenuere, quique rationem Evangelii Infidelibus annuntiandi noſse debent, ſtatim reprehendi, & emendari

Forum aliqui nimium facile antiquos Miſſionarios & Epiſcopos ſuis in ſermonibus cōdemnabant.

dari ab illis, qui Sacrum illud Miniſterium nondum attigerint. At ſi id Miſſionariis durum eſt, quanto duriùs debet eſse Epiſcopis, Archi-Epiſcopis, Primatibus, ſuperſtitionis toleratæ à ſimplicibus Sacerdotibus condemnari, & incognita etiam cauſa incuſari? An non enim clariſſimos Præſules condemnaſse cenſendi ſunt, qui tam confidenter pronuntiabant ſuperſtitioſos eſse illos uſus, quos videbant ſub oculis Epiſcoporum in Oris maritimis obſervari?

§. IV.

Ab Europæis in India degentibus in hac inquiſitione adiuvari nō potuit Illuſtriſs. Patriarcha.

Conjiciet forte Sanctitas Veſtra D. Viſitatorem magis adjuvari potuiſse ab Europæis Puducherii degentibus: Verum ſi prætermiſero Laicos, qui parum idonei ſunt æſtimatores rerum ad Religionem pertinentium, & quorum ſententiam Illuſtriſs. Patriarcha procul dubio non expopoſcit; non alios video, qui notitias ullas ſuæ Excellentiæ dare potuerint, niſi RR. PP. Capucinos, & D. Texier Seminarii Pariſienſis Miſſionum externarum Procuratorem: At utrique multis caruere ſubſidiis, quæ ad iſtam inquiſitionem legitime faciendam neceſsaria eſse videntur; cum interio-

res terras, ubi Gentilitas viget, nunquam ingreſſi ſint; eoſque tantum interrogare potuerin Indo s, qui in Oris maritimis habentur; ex quibus oſtendi ſupra, quam impoſſibile ſit aliquid certi in eo genere extrahere. Præterea in lingua Gentium non admodum verſati erant: E' RR.PP.Capucinis duo ſolum Tamulicè ſciebant, nec pluſquam neceſſe eſt ad Confeſſiones excipiendas; & Interpretibus ſæpe cum ipſis Indis utebantur, in rebus nempe obſcurioribus, & ab uſu communi magis ſemotis. D. Texier linguæ illi ediſcendæ impigram quidem navavit operam, cum primum in Indias venit; at neſcio quo pacto deferbuit brevi ille ardor; tuncque non multo erat in ea lingua eruditior, quam cum ei ſtudere cæpit, ita ut vulgo per Interpretes loqui cum Indis cogeretur.

Si demus illos Linguam Tamulicam calluiſſe; ecquando diſquiſitioni faciendæ ſe, ut oportet, dederunt; an ante, an poſtquam Illuſtriſs. Patriarcha Puducherium venit? Quandiu ſua Excellentia Puducherii manſit, ſatis conſtat nullam ad id novam diligentiam adhibuiſſe; non plures, non alios interrogaſſe, quam prius; immo longè aliis rebus fuiſſe impeditos. RR. PP. Capucini toti fuere in defenſione juris, quod ſe habere contendebant adminiſtrandæ

RR. Patres Capucini et D. Texier non inquiſiere poſt adventum Illuſtriſs. Patriarchæ in Indias.

Indi-

Indigenarum Parochiæ, quam Illuſtriſs. Maliapurenſis curæ Patrum Gallorum Societatis demandarat; id quod à ſua Excellentia confirmatum fuit. D. Texier ſuas quoque occupationes, atque etiam cum Illuſtriſs. Patriarcha contentiones habuit; eratque multo frequentior cum ſuæ Excellentiæ Comitibus, quam cum Indis, à quibus notitias ad Decretum utiles poſſet haurire. Satis quidem, immo pluſquam ſatis familiariter utebatur Idololatris Tamulenſibus; illius tamen familiaritatis ſcopum longè alium fuiſſe, quam accuratam Indicarum conſuetudinum diſquiſitionem facile perſpexit Illuſtriſs. Patriarcha, qui nimiam illam amicitiam verbis graviſſimis caſtigavit.

Antea permiſere multos uſus quos Miſſionarii è Societate.

Quod ſi eo tempore, quo Illuſtriſs. Patriarcha in Indiis fuit, nec RR. Patres Capucini, nec D. Texier in conſuetudines indicas inquiſierunt, reſtat, ut ante: Sed ſi ante, quid cauſæ eſt, cur non detexerint vitioſum eſſe uſum Monilis nuptialis collo appendendi, ipſiuſque funiculi crocco ſucco deliniti, & alios, quos RR. Patres Capucini, tum qui Madraſti, tum qui Puducherii vivebant, nunquam prohibuere? Si id detexit D. Texier, poſtulabat ab eo charitas, Divinæque gloriæ zelus, ut admoneret Patres Societatis, aut ipſos ſaltem RR. Pa-

tres

tres Capucinos; multoſque alios Sacerdotes, qui in variis Oræ Choromandelicæ locis in eiſdem conſuetudinibus vivere ſinebant Chriſtianos: At è contra RR. PP. Capucini, & D. Texier publicè Sacramenta adminiſtrarunt illa inſignia præ ſe ferentibus. Sane alterutrum neceſſe eſt; aut illas conſuetudines ſine examine permiſerint; quòd de viris Religioſis, ac Sacerdotibus nemo ſibi perſuadebit; aut poſt accuratum examen, nihil illis ſuperſtitionis ineſſe judicaverint. In eàdem igitur cymba nobiſcum ſunt, velint, nolint, ſaltem quantum ad illas conſuetudines, quas ipſi in Chriſtianis permiſere; quaſque præcipuas eſſe ſuo Decreti loco demonſtraturus ſum: Et ſi qua eſt conſolatio habere ſuæ calamitatis, & iniuſtæ cenſuræ ſocios, hanc certè habemus, quòd nonniſi cum RR. illis Patribus, Dominoque Texier ſimus condemnati. Illud ipſi præ Societate debent Illuſtriſs. Patriarchæ, quemadmodum alii multi, quod non fuerint Decreto nominati. Quod ſi vel per ſe, vel per Comites D. Viſitatoris in conſuetudines Indorum Chriſtianorum apud ſuam Excellentiam teſtimonium dixere, æquitatis fuit illis teſtimoniis non plurimum deferre; cum ſciret optime Illuſtriſs. Patriarcha, quo animo erga Societatem forent. Plura in eam

rem non loquar; hæc ipſa invitus dixi; Sed neceſſe fuit oſtendere, quas notitias & habuerit, & habere potuerit D. Viſitator in Indiis: pauca adjungo de illis quæ Roma afferri potuerunt.

§. V.

Notitiæ Romà allatæ non videntur ſatis fuiſſe ad Decretum.

SI Illuſtriſs. Patriarcha Romæ cognovit ea, quæ ſuper Indicis conſuetudinibus ſæculo elapſo ſcriptæ fuerunt, & poſt ſolertem inquiſitionem factam à Gregorio XV. diffinita; tantum abeſt, ut illis notitiis Decretum potuerit ſuperſtruere; ut contra dubium nullum ſit, quin ſi ea legiſſet, optimam in eis conſuetudinum, de quibus nunc agitur, defenſionem eſſet reperturus; cum iſti uſus iiſdem fere nitantur rationibus, quibus illi, qui tunc permiſſi ſunt à Sancta Sede.

Epiſcopus Anciranus Romæ teſtimonium non dixit contra uſus Miſſionum Indicarum.

Ex eo tempore nihil de Miſſionibus Tamulenſibus diſceptatum eſt, niſi inter Miſſionarios; qui in ſuis dubitationibus, ac in ea præſertim, quæ occaſione Cinerum permittendorum orta eſt, ad Epiſcopum confugere. His ultimis annis primus qui Romæ potuerit aliquid referre de uſibus in India permiſſis, fuit R. P. Fr. Petrus Paulus à S. Franciſco, poſtea Anci-

Anciranus Epiſcopus; eòque certior teſtis eſſe poterat, quod tribus circiter menſibus in Miſſione Madurenſi commoratus eſt: Sed non crediderim dixiſſe quidquam in illarum Miſſionum conſuetudines; nam toto illo tempore, quo mecum in Miſſione fuit, haud ſecus vixit ac unus noſtrùm; Cineres in fronte geſtavit; corpus pro more Indico ſæpius lavit; cum infimæ conditionis hominibus, quos *Pareàs* vocant, ea ſe cautione habuit, qua neceſſe eſt, ne tota India de perturbato Reipublicæ ordine conqueratur; perſpexit quibus inſtitutis Miſſio regeretur; quid permitterent, quid prohiberent ejus Operarii, quin viſus ſit improbare quidquam, & quin Chriſtianos ulla in re reprehenderit, aut Sacerdotes admonuerit. Immo cernens ſuis oculis quanta multitudo hominum ad Baptiſmum, Exhomologeſin, Sacramque Sinaxim accurreret, miro ſolatio perfundebatur; & ne ulla ratione tantum fructum impediret, adeo erat obſervans ſolitorum inter Miſſionarios uſuum, ut nihil magis à cautiſſimo Miſſionario poſſet expectari. Poſtea verò quam & à difficultate linguæ deterritus, & ciborum levitate debilitatus, tam auſtero vitæ inſtituto ſe imparem ſenſit, paulo ante quam in Europam navigaret, variis litteris ad me datis, Chri-

Quos uſus ipſe uſurpavit, Miſſionem Madurenſem plurimum laudans;

ſtianos noſtros pupillas oculorum ſuorum vocabat; tantùmque aberat, ut de eorum conſuetudinibus prohibendis cogitaret, ut etiam nova eis privilegia à S. Sede poſtulaturum ſe mihi aſſereret; & talia privilegia, qualia nec petere, nec ſperare ulli unquam noſtrum in mentem veniſſet. Pervenit idem R. Pater paulo poſt ad Portum novum in Ora Choromandelica, indeque litteris ad Superiorem Carmelitarum Goæ exiſtentem ſcriptis decimo Februarii an. 1687. aſſerit, & quidem, ut ipſemet teſtatur, ſine hyperbole, Miſſionem Madurenſem eſſe omnium, quas viderit, Sanctiſſimam, & fructuoſiſſimam; Patres Societatis ibi vitam vivere auſteriſſimam ſimul, & animarum ſaluti utiliſſimam, ſuæque Societati glorioſiſſimam: denique multus eſt in oſtendendo, neceſſarium eſſe, ut quiſquis Miſſionarius eam Miſſionem ingreſſus fuerit, accommodet ſe ſe in omnibus vivendi formæ, quam ſequuntur Miſſionarii è Societate: Si ſecus fiat, perditum iri ſine dubio à novitatum authoribus florentiſſimam illam Chriſtianitatem: Extat illa Epiſtola in manu viri ex Regno Luſitaniæ nobiliſſimi.

Aſſeruitque neceſſarium eſſe, ut Miſſionarii ſe accomodent vivẽdi formæ, quam ſequuntur Miſſionarii è Societate; aliter perditã iri florentiſſimam Chriſtianitatem.

Hæc in Indiis geſta ſunt; poſtquam vero Romam reverſus idem R. Pater Epiſcopus factus

eſt,

eſt, cùm Dominum Appiani veluti Vicarium ſuum in Indias præmitteret, variaque ei variis in locis diſponenda injungeret, vetuit, ne quicquam innovaret, aut immutaret in Miſſione Madurenſi, in qua omnia optime inſtituta eſſe ſciebat: hoc ultimũ reſcivimus ex ipſomet Domino Appiani, qui id Puducherii pluribus è noſtra Societate dixit, à quibus ego audivi: Quæ omnia certo nobis perſuadent, nihil ab Illuſtriſs. Ancirano contra conſuetudines Indicas Romæ fuiſſe denuntiatum.

D. Appiani non potuit in illos uſus dicere teſtimonium.

Quid ipſe Dominus Appiani retulerit, neſcimus: at conſtat nihil illum niſi ex aliorum teſtimonio referre potuiſſe; neque de his rebus plus ſcire, quam ſciri ab eo poteſt, qui linguas non didicerit, & Miſſiones interiores nunquam attigerit. Quod ſi ei ſcripta in Europam deferenda tradita ſunt à RR. PP. Capucinis, & Domino Texier; quæ fides illis haberi debeat, ex iis abunde liquet, quæ Sanctitati Veſtræ ſupra expoſui.

Parum admodum illæ notitiæ Romæ habitæ conferre poterant ad decernendum de Indicis conſuetudinibus: Sed Eheu! Satis fuere, ut contra eas D. Viſitatoris animum multis, funeſtiſque præjudiciis implerent. Jam conqueſtus ſum, Sanctiſſime Pater, quod illa præjudicia

Notitiæ habitæ Romæ præiudicia in mente D. Patriarchæ genuerunt.

cia oſtenderit; nunc quæror, quod illa habuerit: Statim enim ac excenſionem fecit, cùm ei ſe obtuliſſet Indus, ut jam inſinuavimus, Cineribus frontem oblitus, illo uſu offenſus fuit. Putaret forte aliquis, id rei novitati tribuendum; at præterquam quòd multos alios non minus inſolitos uſus nulla offenſionis demonſtratione vidit; ipſemet aſſeruit, Romæ ſe de tali uſu jam audiviſſe: quòd ergo illum ſibi diſplicere oſtenderit ante inquiſitionem ullam factam, cum rei inſolentiæ tribui nequeat, ſupereſt ut præjudiciis tribuatur. Enim verò patet Cinerum in fronte geſtandorum conſuetudinem in ſe conſideratam, nec bonam, nec malam eſſe, ſed prout cauſa, finis, inſtitutio fuerit, fieri poſſe bonam, aut malam; ac proinde non potuiſſe merito ante inquiſitionem factam placere, vel diſplicere: Præjudiciis igitur tribuere neceſſe eſt, quod ille uſus ſimul viſus, ſimul odio habitus, ante condemnatus, quam expenſus fuerit; perinde ac ſi ſua Excellentia veniſſet, non ad cognoſcendum de illis ritibus, ſed ad Decretum Romæ meditatum in Indiis promulgandum.

Vſus in ſe minime malos ut vidit, diſplicere ſibi oſtendit.

Sint quantum libet mali uſus ab Epiſcopis, Miſſionariiſque permiſſi, de illis tamen cognoſci accurate opportuit; ea re quod incognita

cauſa,

cauſa, condemnari reus, quamvis ſit nocens, non poteſt. Non abutar hìc patientia Sanctitatis Veſtræ, ut oſtendam, quantum præjudicatæ opiniones cognoſcendæ cauſæ, ac conſequenter legitimo judicio officiant: Quid ſuper ea re diſputare poſſem, quod Sanctitati Veſtræ notiſſimum non ſit? Sed ſi cauſa ulla eſt, quæ remotis præjudiciis diſcerni debeat, ejuſmodi ſunt illæ, in quibus de externarum Gentium ritibus, & inſtitutis fereuda ſententia eſt; propterea quod ea ad ſuperſtitionem tanto facilius referimus, quanto ineptiores videntur, quæ ad alios fines referantur, puta urbanitatem, munditiem, nobilitatem: ideo enim ad iſtos fines referre non poſſe videntur, quod conſtet noſtræ munditiei, urbanitatis, nobilitatiſque legibus non conſentire, immo adverſari: quorum omnium errorum fons eſt, & origo, quod res Indicas ex Europæis metiamur; ſicut ineptiſſimi, & barbari videntur Indis, alioqui ratione, & ingenio minime deſtitutis, Europæorum mores, eoquòd res Europæas ex Indicis æſtiment.

In judicio de peregrinis conſuetudinibus ferendo, quã cavendum à præiudiciis.

Sic inſtituta eſt quæſtio de uſitatis epud Chriſtianos Indos conſuetudinibus; an id ad certum judicium de illis ferendum ſatis ſit, pronuntiabit Sanctitas Veſtra. At cùm de eo pronuntiabit

Eàdem inquirendum ration de Inaorum uſibus, ac vellemus illos inquirere de noſtris

tiabit, meminerit quæſo, eandem prope diligentiam fuiſſe afferendam ad conſuetudines Indicas bene cognoſcendas, quam judicamus ab aliquot licet peritiſſimis Indis afferendam, ſi vellent diſcernere, quænam è conſuetudinibus Europæis ad noſtram Religionem pertineant, quænam ad civilem uſum referantur. Nunquam credo judicabit Sanctitas Veſtra ſatis eos ad hoc diſcernendum facturos fuiſſe, ſi nihil plus facerent, quam quod ab Illuſtriſs. Patriarcha, ejuſque Comitibus factum eſt.

Viderint illi Indi ſuis in terris nobiles Europæos ſtemmatis Gentilitiis uti; ſcire velint, utrum ſtemmata illa ſint res Religionis, an non? Seque putent id in Indiis non poſſe cognoſcere: Mittant in Europam cognitorem, qui id accurate exploret, & exploratum ad ſe referat: Fingamus veniſſe illum in conterminum Europæ locum habitatum partim Chriſtianis, partim Infidelibus, qui omnes ſint mercatores, Opifices, aut alii ex infima plebe viri illiterati. Decernit Cognitor certis de cauſis ulterius non progredi: inquirit, ut poteſt; interrogat unum, aut alterum Europæum ex illis, qui in tali loco reperiuntur, qui nunquam fuerint in Chriſtiana Religione inſtituti, nec plus ex ea norint, quam ex aliquo cum Chriſtianis com-

Facile errarēt Indi qui non aliter inquirerent, quam inquiſivit Illuſtriſs. Patriarcha.

commercio diſcere potuerunt? Ex hujuſmodi hominibus, quos ei caſus primos obtulit, ſcitatur Cognitor, an ſtemmata Gentilitia aliquid Religionis habeant inter Europæos; propoſitiſque variis ſtemmatis, minutatim quærit, quid ſint, quidque ſignificent figuræ in illis contentæ? Ex eorum reſponſis cognoſcit, multa ſtemmatum ſymbola ex Religione peti: in primis Cruces, Calices, Sanctorum effigies, ipſaque Chriſti Domini vulnera, quæ in Sereniſſimorum Luſitaniæ Regum ſtemmate periti agnoſcunt: Præterea Tiaras, Mitras, Galeros rubros, virideſque, & alia inſignia Pontificum Chriſtianæ Religionis. Hæc omnia Cognitori facile perſuadebunt, ſtemmatum uſum eſſe Sacrum inter Europæos; præſertim ſi jam illa opinione imbutus erat cum ex Indiis in Europam proficiſceretur.

Deveniant eodem tempore in eundem locum aliqui Viri illarum rerum peritiores, qui Europam peragrarint, populorumque mores, & uſus obſervarint accuratius: interrogentur & illi, utrum ſtemmata Europæorum inter res civiles, an inter Religioſas ſint computanda? Reſpondebunt illi, ſublatis quibuſdam ornamentis, quæ ſunt illis ſtemmatis, ut ita loquar, accidentalia, quæque à ſolis Viris in Sacra ali-

qua dignitate conſtitutis geſtantur; ſtemmata generatim loquendo ad Civilem uſum pertinere. Id ſibi perſuaderi non patitur Cognitor, tum ob ea, quæ jam audivit, tùm ob opinionem, qua jam imbutus erat: Jubet igitur, ut quod ſciunt de illis ſtemmatis, minutius dicant; an non aliqua dicantur cæleſtem habere originem; an non in Templis depingantur; an non Cruces multæ in illis videantur? Id illi confitentur, multaque in eam ſententiam addunt, quibus magis ac magis Cognitor in ſuo ſenſu confirmatur. Addunt ſimul non continuo ſtemmatum uſum in Europa Sacrum cenſeri, nec eſſe cenſendum: Communem eſſe inter multas diverſiſſimarum Religionum nationes; Cruces, aliaque Sacra Symbola in ſtemmatis non depingi, ut colantur; ſed ad fines alios geſtari à multis familiis earum Sectarum, quæ nullam Cruci venerationem eſſe deferendam obſtinate propugnant; nullum cultum Crucibus ibi poſitis adhiberi ab iis ipſis, qui Crucem alibi poſitam ſumma veneratione proſequuntur: depingi quidem in Templis nobilium ſtemmata, ſed non eo quod Sacra eſſe reputentur. Hæc, aliaque ſimilia cum referunt, ægrè audiuntur; putantur fingere, velleque imponere; multo debiliores rationes videntur, quam

Præſertim ſi credere nollent viris eruditis.

quæ

quæ in aliam partem dictæ ſunt: Plus fidei tribuit Cognitor viris indoctis, quam earum rerum peritis; inexpertis, quam expertis: Decernitur Religioſum eſse inter Europæos ſtemmatum Gentilitiorum uſum: quid mirum ſi decipiantur, qui ita inquiſierint?

Non aliter tamen, Sanctiſſime Pater, Illuſtriſs. Patriarcha cum ſuis Comitibus inquiſivit: immo in ficta illa perſona, multa omiſi impedimenta, quæ adhuc magis obſtarent veritati aſsequendæ, quæ in hac Indica inquiſitione occurrerunt. Nam quid ſi ille Cognitor ab iis vix potuiſset intelligi, quos interrogabat, & eorum reſponſa intelligere? Quid ſi illi teſtes fuiſsent ex ſuæ Gentis indole timidi, lucri appetentes, & tum ſpe, tum timore mentiri prope coacti eſſent? Quid ſi paucos menſes in illo Oppido Cognitor remanſiſſet? Quid ſi intra illud paucorum menſium ſpatium diuturno morbo decubuiſſet? Quid ſi non niſi ſubciſſivis horis ob multa alia negotia ejuſmodi teſtes potuiſſet interrogare? Quid denique ſi alia multa concurriſſent, quæ ſupra oſtendi obſtitiſſe, quo minus Illuſtriſs. Patriarcha veram conſuetudinum Indicarum notitiam aſsequeretur?

Quã multa defecerint in inquiſitionibus ab Illuſtriſs. Patriarcha factis.

Scimus erraſſe errore facti, qui multo maiori

cautela inquiſierant: neque opus eſt aliunde exempla petere. Primum Goanum Concilium, & quatuor ſequentia conſuetudines aliquot Indicas tanquam ſuperſtitioſas condemnarunt; quas poſtea ipſimet Archie-Epiſcopi duo, qui ultimo Concilio interfuerant, licitas eſſe deprehenderunt, & uſurpantibus publicè Sacramenta miniſtrarunt; quaſque ipſe Gregorius XV. expreſſa Bulla noſtris Miſſionibus conceſſit: & tamen, ante illam condemnationem, quanto maior adhibita diligentia fuerat, quam ab Illuſtriſs. Patriarcha adhibita eſt?

Aberrarunt à vero multi poſt meliores inquiſitiones, v. g. Goana Concilia in uſibus Indicis damnandis.

In Conciliis Goanis præter Archi-Epiſcopum Indiæ Primatem, aderant ſimul Indiarum alii Epiſcopi; Archi-Epiſcopus Cranganorenſis, Epiſcopi Cocinenſis, & Mailapurenſis: Illuſtriſs. Patriarcha nullum Indiarum Epiſcopum conſulendum judicavit, licet eos conſulere prope neceſſarium videretur: agebatur de Grege ipſis commiſſo, cujus neceſſitates noſſe debebant: agebatur de rebus, quarum aliquæ à ſuis prædeceſſoribus fuerant inſtitutæ: agebatur de ipſiſmet Epiſcopis, qui certe non poſſunt non cenſeri condemnati damnatis conſuetudinibus, quas uſurpare permiſere, aut toleravere; & tamen nequaquam conſulti ſunt; non ipſemet Epiſcopus Maliapurenſis, qui in vicinia

Conferuntur inquiſitiones factæ in Cōcilijs Goanis cum iis quas fecit Illuſtriſs. Patriarcha.

erat,

erat, & quem ſua Excellentia facillime poterat, & noluit admonere: Neſcio Beatiſſime Pater, utrum S. Gregorius Magnus ita fuiſſet cum Illuſtriſs. Indiarum Epiſcopis acturus: Summus ille Pontifex nihil in Diæceſibus ſtatuere ſolitus erat, quin Epiſcopos moneret; ut patet ex illis verbis Epiſtolæ ad Felicem Meſſanenſem: *Quam rem venerationi tuæ innoteſcendam prævidimus, ne te omiſſo, aliquid ordinatum in tua contriſteris Diæceſi.*

In Goanis Conciliis Epiſcopi adjuti fuerant Doctoribus multis, & eruditione inſigni; Judicibus hæreticæ pravitatis, Theologiæ Magiſtris, Juris Canonici Conſultes: Similibus Viris adjutus non fuit D. Viſitator. In Goanis Conciliis tum Epiſcopi, tum Doctores multam habebant rerum Indicarum experientiam ob longam in eis vitæ conſuetudinem. Septem tantum menſibus in India commoratus eſt Illuſtriſs. Patriarcha æger vulgò, maximis negotiis diſtentus, nec maiorem habebant experientiam illi, quibus adjutoribus uſus eſt ad inquirendum. In Goanis Conciliis interrogati juridice fuerant Indigenæ, qui in illis conſuetudinibus magis eruditi reperiri potuerunt Goæ, inque circumpoſitis Coronæ Luſitanæ terris. Quinam Puducherii, & qua ratione conſulti

Qui nullos Epiſcopos, nullos, aut pauciſſimos Thelogos conſuluit.

fuerint,

fuerint, ſupramemoravi. In Goanis Conciliis hoc defuit, quod conſulti non fuerint viri ex interioribus terris accerſiti, qui conſuetudinum Indicarum naturam benè noſſent, beneque exponerent: hoc idem Puducherii defuit: Nam quanquam adfuerint Miſſionarii ex intimis terris, qui optimè poſſent conſuetudines Indicas exponere, quid refert adfuerint, nec ne, ſi illis inconſultis multa diffinita fuere; ſi in rebus etiam facti plus fidei datum eſt neſcio quorum teſtimonio, quam illorum Miſſionariorum?

Contra unanimen Miſſionariorũ, Parochorũ, ipſorumque Epiſcoporũ ſententiam diffinivit.

In Conciliis Goanis vix aliter poterat diffiniri, cum teſtes auditi in conſuetudines Indicas, de quibus quæſtio erat, ita teſtimonium dixerint, ut nullus, qui ſciatur, eas tunc defenderet: in diffinitione autem ab Illuſtriſs. Patriarcha lata, non modo omnes non dicebant teſtimonium in uſus Indicos, ſed ſummo conſenſu eas defendebant quotquot teſtium nomen merebantur. Nam res eſt obſervatione digna, nullam unquam inter Miſſionarios fuiſſe ſententiarum diverſitatem quoad ea fere omnia, quæ in D. Viſitatoris Decreto continentur: Erant tamen, & fuerunt Miſſionarii numero plurimi, erant ex variis nationibus oriundi; erant plerique in noſtræ Religionis cognitione

non

non mediocriter verſati; erant præditi aliquo ſaltem Dei timore; tenebantur de illis conſuetudinibus cognoſcere, ut ſcirent, quid permittere, quid prohibere deberent; non ignorabant ſe ad Dei Tribunal ſeveram de eo rationem eſſe reddituros; non licere Viro Theologo aliorum veſtigiis, & authoritate cæcis oculis inſiſtere. Expenderunt igitur, & poſt diligens examen eodem modo judicarunt, quin ſæculo integro inventus fuerit qui diſſentiret.

Nec ſolis Patribus è Societate ita viſum eſt; idem quoque cenſuerunt Sacerdotes, Religioſi, atque Epiſcopi omnes quotquot in Oris maritimis curam animarum exercuere; ut dici nequeat, fuiſſe hanc opinionem Societati propriam; cum eam ſecuti ſint Sacerdotes, Præſules graviſſimi ex omnibus Sacris familiis aſſumpti. Si inter tot Viros doctiſſimos fuiſſet ea opinionum varietas, quæ in Sinis extitit, minus eſſet, quod conquereremur; quamcunque in partem diffiniſſet Illuſtriſs. Patriarcha, dici poſſet ſecutum eſſe ſententiam Virorum Doctorum, quibus nec experientia, nec linguarum cognitio defuerit. At verò quod contra unanimem tot Miſſionariorum, tot Sacerdotum, digniſſimorumque Præſulum ſua Ex-

cellentia

cellentia pronuntiarit, quin ullos haberet teſtes, qui poſſent eis, non dico præferri, ſed comparari; hoc verò apparet, non ſine magno erroris periculo potuiſse fieri, cum cauſa tota ex teſtimoniis penderet.

Conferuntur inquiſitiones ab Illuſtriſs. Patriarcha factæ cum inquiſitionibus olim in ſimili cauſa habitis.

Contuli hactenus Sanctiſſime Pater, inquiſitiones ab Illuſtriſs. Patriarcha factas cum iis, quæ in Goanis Synodis factæ fuerant: Non abs re erit conferre etiam hanc inquirendi rationem, quà Illuſtriſs. Patriarcha uſus eſt, cum inquiſitionibus juſsu S. Sedis factis, antequam alias conſuetudines Indicas Gregorius XV. approbaret: Cum auditum Romæ fuiſset, ut ſupra fusè memoravimus, dubitari, num ea omnia licerent, quæ Miſsionis Madurenſis fundator ex ſui Epiſcopi authoritate permittebat; juſsit S. Sedes Viros doctos convenire, ut illas conſuetudines, de quibus quæſtio erat, expenderent; conſulendo quantum fieri poſset, verba ſunt Diplomatis, illorum Ethnicorum converſioni. Quinam convenerint tunc Beatiſsime Pater, dixi jam cognitum haberi ex Epiſtola, quam ad Pontificem Maximum ſcripſit Illuſtriſs. Epiſcopus Inquiſitor Luſitaniæ Primarius ſupra laudatus, cujus ſuffragium in ea re petitum fuerat. Illìc refert triginta Theologos, ac Juris Pontificii peritos, qui in Indiis doctiores

res

res habebantur, amplexos eſse ſententiam conſuetudines illas permittentem: Ex iis aliquos fuiſse Epiſcopos doctiſsimos; alios vero pleroſque peritiſsimos Theologiæ Profeſsores; quorum plerique tam Madurenſium, quam aliorum Ethnicorum mores apprime callerent. Refert quoque Illuſtriſs. Inquiſitor prolata fuiſse authentica, jurataque teſtimonia Brammanum illius Regionis Madurenſis, qui libros Legum ſuarum, gentiſque ſuæ ritus, & mores optime norant: Item teſtimonia Virorum Sapientiſsimorum, qui prædictas regiones peragrarant, & illarum gentium mores diligenter indagarant: Quæ omnia ad rem præſentem ſpectantia videre eſt fuſius ſignata capite undecimo.

Indiæ Epiſcopi Theologos, Iuriſperitos, Miſſionariosque conſuluere.

Quam multa poſsem hìc obſervare, ſi tot graviſsimorum Doctorum ſuffragia conferrem cum ſuffragiis, quæ Illuſtriſs. Patriarcha petiit? Sed fallor; fieri comparatio illa non poteſt; cum nullius omnino Doctoris Sententiam exquiſierit ſua Excellentia: Quam multa addere poſsem, conferendo Teſtes illos graviſsimos cum leviſsimis, peritiſsimos cum ignariſsimis, plurimos cum pauciſsimis, expertos cum inexpertis ab Illuſtriſs. Patriarcha auditis. Quod ſi attendatur modus, quo auditi ſunt; illìc publica, jurata, authentica teſtimonia cum ſumma

libertate in utranque partem dicendi; hìc omnia occulta, incerta, vacillantia, & parum admodum libera teſtimonia dicta ſunt. Quod ſi tempus cum tempore conferatur, res peracta tunc non eſt ſeptem infirmæ valetudinis menſibus, iiſque in tot alias curas diviſis; plures anni dati ſunt examini tanto; & licet accuratè dicere nequeam, quantum illud duraverit, certum eſt, cæpiſse ante mortem Illuſtriſs. Archi-Epiſcopi Cranganorenſis D. Franciſci Roî; quæ contigit ad annum 1615, vel 1616, ſeptem annis antequam Gregorius XV. Conſtitutionem ſuam ederet; & multo diutius duraſse veriſimilius eſt; ita ut, teſte Illuſtriſs. Inquiſitore Primario, S. Sedes jam dudum Inquiſitionis Luſitaniæ ſuffragium expectaret.

Poſt mediocrem inquiſitionem damnati ab Illuſtriſs. Patriarcha ſimiles uſus; qui melius cogniti damnati forte nō fuiſſent.

Confidimus Sanctiſsime Pater, fore ut ſi eo modo, ſimilibuſque cautionibus Illuſtriſs. Patriarcha inquiſiſset, Decretum longè diverſum fuiſset laturus: At ſperamus fore, ut Sanctitas Veſtra ſuppleat quòd defuit; & ſicut in ejuſdem Miſsionis cauſa Gregorius XV, ſic Sanctitas Veſtra de tot animarum millibus non diffiniat, poſthabito Indiæ Præſulum, Miſsionariumque teſtimonio. Illud etiam maiorem in modum à Sanctitate Veſtra peto ſupplex, ut de illarum Miſsionum ſtatu non prorſus judicet ex ſuæ

Excel-

Excellentiæ Decreto, in quo Neophyti, confidenter dico, non ſuis depinguntur coloribus; ſic enim loqui pergit Illuſtriſs. Patriarcha.

CAPVT V.

Verba Decreti.

ENim vero cum ab illis in moribus, lingua, & Religione iſtarum regionum ex longa in eis vitæ conſuetudine apprime verſatis plura certiùs cognoverimus, quæ eoſdem Palmites enerves reddunt, & fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quam Viti, quæ eſt Chriſtus, in multo experimento tribulationis abundantia gaudii noſtri fuit.

Ait Illuſtriſs. Patriarcha Chriſtianos Miſſionum eſſe Palmites enerves, Gentilitati magis, quam Chriſto inhærentes.

Obſervationes.

CVm de hàc tam atroci nota, qua Neophyti, ac Miſſionarii dehoneſtantur apud ſuam Excellentiam conquereremur ultima nocte, quà Puducherii ſubſtitit; duo reſpondit Illuſtriſs. Patriarcha: primoquidem, illa verba pertinere ad eos, qui lapſi eſſent in perſecutione, quam Tanjaurenſem vocamus, eo

quòd toto regno ejuſdem nominis crudelem in modum deſævierit, ut ſupra dictum eſt. Addidit deinde ſua Excellentia futurum fuiſſe, ut hæc verba auferret, ſi P. Venantius Bouchet de illis conqueſtus eſſet.

Id intelligi non poteſt de lapſis in perſecutione Taniaurēſi; ut oſtendit contextus Decreti.

Quoad primam reſponſionem attinet, admitteremus libenter hanc Illuſtriſs. Patriarchæ explicationem, ni tum ea, quæ antecedunt, tum ea quæ conſequuntur apertè oſtenderent, datam fuiſſe ad placandos utcumque animos tam alto vulnere non ſine cauſa exaſperatos: Nam quid in tota Præfatione Decreti eſt, quod vel remote ad perſecutionem Tanjaurenſem pertineat? Cum ſummopere optaret Illuſtriſs. Patriarcha Miſſionum neceſſitates cognoſcere, nec per valetudinem in interiores terras penetrare potuiſſet; quod ipſe non potuit obtinere, ait ſuppleviſſe duorum Miſſionariorum obſequium ſibi, Sanctæque Sedi delatum: tum laudat cognitionem quam habent illi Patres, morum, linguæ, Religionis eorum populorum, ob longam in illis terris vitæ conſuetudinem: Quid opus fuiſſet hæc omnia recenſere, ut poſtea diceret ſua Excellentia maximo cum dolore certius cognoviſſe ex illis Patribus id, quod apud omnes tùm Indos, tùm Europæos erat certiſſimum, lapſos eſſe aliquot in perſecutione

Ta-

Tanjaurenſi: Sed qua connexione adderet poſtea ſua Excellentia illa verba quæ ſequuntur; Se itaque res maturo examini ſuppoſuiſse, dictos Patres ore tenus, & in ſcriptis fuſe audiviſse, imploraſse Dei opem, utque Fidei puritati conſuleret, ad præſens Decretum deveniſſe: liquet prorſus extra locum fore mentionem lapſorum in perſecutione, nec cum antecedentibus, nec cum conſequentibus junctam. Accedit quod è quinque millibus Chriſtianorum, qui crudeliſſime vexati ſunt, ut Fidem abjurarent, non plures fuere lapſi, quam quinquaginta, vel ſexaginta, quidquid mendax fama ſparſerit: Porro æquior eſt Illuſtriſs. Patriarcha, quam ut ob paucos illos tormentis victos in una urbe ſæviente perſecutione diriſſima, quinque Regnorum Neophytos infamaret; ne exceptis quidem illis, qui atrociſſima tormenta ſuperarunt. Ecquæ fuit unquam perſecutio gravior, in qua ſimili modo, & pari jure Eccleſiæ florentiſſimæ notari non poſſent? Non ita ſibi faciendum putavère SS. Patres, qui exiſtimarunt ſemper Eccleſias Sanguine Martyrum, ac Confeſſorum victoriis illuſtrari; nunquam verò imbellium defectione ita obſcurari, ut de aliqua Eccleſia, puta Carthaginenſi, aut Alexandrina, dicerent, Palmites illarum Vinearum enerves eſse,

Ob paucos lapſos non ita notaſſet Illuſtriſs. Patriarcha vaſtiſſimas, florentiſſimaſq; Miſſiones.

&

& fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis adhæreant, quam Viti, quæ eſt Chriſtus. Quis vero audivit unquam, ut propter eos, qui Romæ lapſi forent, totius Italiæ Chriſtiani ita denigrarentur? Intelligimus, &, licet nollemus, intelligent omnes, notam illam inuſtam fuiſse ab Illuſtriſs. Patriarcha, non lapſorum modo, ſed omnium omnino Indorum Chriſtianorum frontibus, non ob impatientiam tormentorum, quæ paucorum fuit; ſed ob uſum conſuetudinum, quæ in tribus illis Miſſionibus communiter uſurpantur: Aut, ut veriùs dicam, ob ſuſpicioſas quaſdam dubitationes, & falſas accuſationes, quas vel iniqui, vel ignari detrectores apud ſuam Excellentiam commenti ſunt.

Quod ſubjunxit ſua Excellentia futurum, ut illa verba tolleret, ſi id Miſſionarii prius rogaſsent; Ecquà ratione rogare id poterant, ſi prius ea verba non legere, quam Decretum traderetur, idque vel ex eo probatur, quod non rogaverint? Verum quidem eſt, Decretum ab Illuſtriſs. Patriarcha priùs datum fuiſse in manus P. Venantii Bouchet: At contendit ille Pater, ſe, cùm Decreti principio in laudes ſuas incidiſset, locum illum penitus omiſiſse: Qui utinam intempeſtivæ modeſtiæ tunc minus dediſset,

De illis verbis conqueſti non ſunt Miſſionarii, quod neſcirent in Decreto cõtineri.

diſſet, verbaque illa omnia ad integrum legiſſet; reperiſſet brevi, quo laudes ſibi datæ, pluſquam opus eſt, corrigerentur: utinam petiiſſet dari ſibi facultatem, Decretum è ſuæ Excellentiæ cubiculo efferendi, illud per otium meditandi, deſcribendi, aliis Miſſionariis communicandi; non modo turpem illam notam Illuſtriſſ. Patriarcha delere rogatus eſſet; Sed alia etiam multa, quæ ſi minus probroſa, magis ſunt Religionis conſervationi perniciosa. At non ſuſpicabatur P. Venantius Bouchet fore, ut illud Decretum tam occultum poſtea retineret Illuſtriſſ. Patriarcha: ita tamen retinuit, ut nulli fuerit deinceps oſtenſum; & ſolum duobus, tribuſve diebus ante profectionem ſuam aliquando traditum. Quamquã quid opus erat, ut Illuſtriſſ. Patriarcha expectaret, ut de illis ſui Decreti verbis conquereremur: An non eorum vim ſatis intelligebat? An non videbat quale vulnus Neophytis, Miſſionariis, tot aliis Sacerdotibus, immo & Illuſtriſſimis Præſulibus infligeret? Quantum triumphum pararet non ſolum Societatis, ſed etiam ipſius Eccleſiæ hoſtibus? Quanto dolore omnium verè Fidelium pectora compleret? Quantumque ſcandalum toti Orbi Chriſtiano illa verba forent?

Tacentibus Miſſionariis eorum vim ſatis intelligebat Illuſtriſſ. Patriarcha.

Quid Sanctitas Veſtra dicere potuit, cum ea

ipſa

ipſa verba in Illuſtriſsimi Patriarchæ Decreto primùm legit? Norat Sanctitas Veſtra in Indiis Orientalibus quatuor eſse Epiſcopatus vaſtiſsimos; putabat in illis eſse multa Chriſtianorum millia, quorum fervorem audierat ſæpius prædicari: hàc forte cogitatione conſolabatur jacturam, quam in Europa patitur Eccleſia ex hæreſeos incrementis: Nunc quanto dolore affici debuit, cum cognovit, vanam eſse conſolationem illam; cùm legit maximam illorum Chriſtianorum partem, præter Sacrum Characterem in Baptiſmo acceptum, nihil habere Chriſtiani; illarum Vinearum Palmites enerves eſse, & fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quam Viti, quæ eſt Chriſtus: quam juſte potuit in illarum Vinearum Cultores indignari, qui tam infauſtas propagines aluerunt.

Et quantum dolorē Catholicis triſtis ille Nūtius eſſet allaturus.

Quid dicent, aut potius quid non dicent Hæretici? Nihil illi laborant aliud, niſi ut veræ Eccleſiæ notas nobis auferant, & in ſe, ſi fieri poſset, transferant; Una ex illis Eccleſiæ notis eſt Evangelii propagatio: hoc decus ut S. Romanæ Eccleſiæ auferant, quid non faciunt? Mittunt ipſi in longinquas terras ex ſuis qui hæreſi inficiant quos revocant ab Idololatria: Obſervant Catholicos Neophytos; & ſiquid à

Fide,

Fide, boniſque moribus alienum in illis deprehenderunt, viciſſe ſe exiſtimant; cum non reperiunt, cudunt calumnias: Sed nunc nil opus erit ad eas artes confugere: probabunt, & quodammodo invicte probabunt, Illuſtriſs. Patriarchæ Viſitatoris Apoſtolici authoritate, verum eſſe quod hactenus dixerant; nam ſi colligatur quidquid illi in Neophytos Catholicos efinxere, reperictur nihil ab illis dictum fuiſſe vehementius, quàm quod hic ſua Excellentia aſſerit. Quid hæreticis talia jactantibus poterit reſponderi? Dicemusne alias Miſſiones eſſe, quæ hanc veræ Eccleſiæ notam conſervent? At reponent, & ex Scriptoribus Catholicis probabunt, Indicas Miſſiones eſſe omnium maximas, & florentiſſimas; in primis Madurenſium Chriſtianorum fervorem Sinenſibus, aliiſque anteferri: Quod ſi illi ipſi qui optimi habentur, ſunt Palmites enerves; ſatis apparet, quid tantùm de reliquis judicandum ſit. Comparabimusne Neophytos Catholicos cum iis, quos hæretici miniſtri peſtiferis ſuarum Sectarum dogmatibus imbuunt? Sed de iſtis quid peius dici poteſt, quàm quod de Catholicis legitur in Decreto, Palmites eſſe enerves, & fructu vacuos, magis Gentilium vanitatibus inhærentes, quam Viti, quæ eſt Chriſtus.

Quantum Hæreticis triumphum.

Quid non dicent in primis Societatis hoſtes? Jam dudum invaluit mos ille, ut, ſiquid faciant aliqui è Societate, quod male factum ſit, id toti Societati tribuatur: At ſi quid fuerit condemnatum, quod aliqui è Societate cum multis aliis docuerint, id ſoli Societati imputetur: hoc tanto certius in hac cauſa prævidemus eventurum, quod ſuæ Excellentiæ, neſcimus quà de cauſa, placuerit, ſolos Patres è noſtra Societate appellare; perinde ac ſi illis ſolis ſua Excellentia decerneret. Quanta Satyrarum ſeges ſe ſe offert Societatis inimicis? Quid non de noſtro zelo, de noſtra doctrina prædicabunt? Quàm præclara occaſio inſani Libelli Moralis Practicæ Jeſuitarum adaugendi? Non dubito quin in Theatrum Jeſuiticum inferant eos è Societate, qui in illis terris pro Chriſto mortui ſunt, aut eſſe putabantur: Certo Ven. Patrem Joannem de Britto in odium Fidei capite plexum; Ven. Patrem Joſephum Carvallo Carceris incommodis extinctum; illos, inquam, in Theatrum Jeſuiticum potius, quam in Sanctorum numerum referri debere inclamabunt; cum convicti ſint, ſi Superis placet, coluiſſe Palmites enerves, fructu vacuos, qui Gentilium vanitatibus magis, quàm Chriſto inhæreant: Id Illuſtriſs. Patriarchæ debebit noſtra Societas.

Quantum hoſtibus Societatis; cujus Neophytos ſic notat Illuſtriſs. Patriarcha, de aliis tacens.

Licet eoſdem uſus ſequantur.

Quid

Quid de ipſis cogitare jam poſſunt Operariis, à quibus infortunatæ illæ Vineæ excultæ ſunt? Si illi Palmites ſunt ſine nervo, ſine fructu, neceſſe eſt, uſum illarum conſuetudinum tam fuiſſe vitioſum, ut ne ipſi quidem Chtiſtiani excuſari poſſint, qui eas uſurpavere, quanto minùs Sacerdotes à quibus permiſſæ ſunt: Hos tamen Illuſtriſs. Patriarcha paulo ante vocabat Evangelicos Operarios: Sed quale illud eſt Evangelicorum Operariorum genus, à quibus Palmites non veræ Viti inſeruntur, ſed Gentilium vanitatibus inhærere ſinuntur; à quibus Evangelium non annuntiatur, ſed diſſimulatur, non ſtabilitur, ſed corrumpitur, ſed evertitur? Si Evangelici Operarii ſunt, illi erunt procul dubio quos malos male perdet Paterfamilias melioribus Operariis Vineam locaturus: Illi erunt, quos negabit aliquando Chriſtus ſe cognoſcere.

Quid cenſendum de Operariis à quibus exculti ſunt tales Palmites.

Addit nihilominus D. Viſitator eos Operarios, aut ſaltem eorum aliquos propagandæ Fidei zelo, & Indigenarum rituum notitia præſtitiſſe, & in moribus, lingua, ac Religione illarum regionum apprime verſatos fuiſſe: O damnoſas laudes! quæ culpam magis augent, quàm minuunt: nam quid aliud ad cognoſcendum illarum conſuetudinum virus neceſſe erat,

Eos tamen laudat Illuſtriſs. Patriarcha.

niſi tantula Theologiæ cognitio, quam nobis Illuſtriſs. Patriarcha non denegabit cum cognitione morum, & Religionis illorum populorum: Hæc ſi novere, affinitatem utrorumque noſſe pariter debuerunt; aut ſi de aliquo dubitavere, quamquam non erat, quod dubitarent in re tam clara, in qua Illuſtriſs. Patriarchæ judicio ipſe populus graviſſime peccavit; ſed ſi Sacerdotes dubitavere tamen, interrogare, & percontari tenebantur, cum linguas noſsent, eſsentque omnibus facultatibus inſtructi ad verum aſsequendum; qua ratione id non deteximus, quod ſtatim Illuſtriſs. Patriarcha detexit ex una illarum conſuetudinum expoſitione: Ac ſi Miſſionarii vel in uno tam turpiter erraſsent, venia non erat eis danda; quod vero in tam multis hallucinati ſint, quam poterunt excuſationem prætexere: Si illis auditis dubitaſset Illuſtriſs. Patriarcha, minus ſontes judicari poterant, qui in rebus perplexis erraſsent; at cùm ex ipſo primo aſpectu virus ſub illis conſuetudinibus malè occultatum ſua Excellentia certo certiùs detexerit, cur non illud detexere Theologi illarum conſuetudinum, Religionum, & linguarum cognitione optime inſtructi; aut detectam cur non prohibuère Viri propagandæ Fidei zelo præſtantes? Zelus eſt, amor Dei ardentiſſi-

dentiſſi-

dentiſſimus omnia dilecto bono contraria vehementer deſtruens; Satis erat una Divini illius Ignis ſcintilla ad tantas impietates reſecandas. Non igitur talium hominum zelus laudari debuit, ſed potius tepiditas, & ignavia increpari: Vellent Miſſionarii aut laudari minus ab Illuſtriſs. Patriarcha, aut minus vituperari.

Hic tamen non hæſit D. Viſitator, Palmites illos dixit aliquo labore ab Operariis Societatis JESU fuiſſe plantatos, & inter Ethnicorum, ac Gentilium perſecutiones, interque tot vitæ aſperitates virère, & aſſiduis Miſſionariorum ſudoribus irrigari: Hæc commemorare, Beatiſſime Pater, augere eſt infelicium Operariorum calamitatem: Nam quid miſerius, quam labores illos, totque vitæ aſperitates Deo improbante ſuſcipere: Quanto ſatius fuerat in quieto ſeceſſu homines Religioſos Deo vacare, quàm per inutiles labores graviùs ſibi judicium accerſere: Si ob toleratos illos uſus tot ſunt peccatorum rei; erunt qui eos putent minus conſultos extitiſſe, quam ſunt illi tenebrarum filii, qui deliciis hujus vitæ æternarum jacturam redimunt; id enim aliqua ratione ſatius foret, quàm miſerrimam vitam vivere, ut miſeriorem æternitatem agerent. Eò ne igitur recidimus

Eorum ſudores, ac labores, vitæque auſteritatem commendat.

tot

tot laboribus, tot anguſtiis, tot timoribus, tot Carceribus pro Chriſto, & ejus Fide, ut putabamus, toleratis, ut nos eorum aliquando deberet pænitere? Perſecutiones patiuntur Gentilium? Novo prorſus miraculo, Dæmon Miniſtris ſuis, Palmitibuſque magis ſibi inhærentibus, quam Chriſto perſecutiones movet: Sic in ſe ipſum diviſus eſt, & illa diviſione regnum ejus confirmatur. In magnis vitæ aſperitatibus vivunt Operarii? Immo maximis: Aſſiduis ſudoribus Palmites illos irrigant; addo & lacrymis, & ſanguine. Sed ò infauſtas vitæ aſperitates, quæ vires corporis perdunt, quin proſint animæ? O perditos ſudores, & fletus, quibus tam mali palmites irrigantur? O male profuſum ſanguinem, qui non fuit ſemen Chriſtianorum, ſed quorundam ambiguæ religionis hominum, minus quàm Semi-Chriſtianorum, utpote qui Gentilium vanitatibus magis, quàm Chriſto veræ Viti adhæreant?

Optarent Miſſionarii, Sanctiſſime Pater, primum quidem, ut ſuos labores S. Sedes, & miſſus ab ea Viſitator approbaſſent: At ſi id aſſequi non potuère, ſi contra Rei ſunt, quod Sacra Myſteria canibus projecerint, Palmites infructuoſos Dæmoni magis, quam Chriſto inſertos colendo; illud ſaltem à ſua Excellentia optaſſent,

O male collocatos labores, ſi Chriſtiani ſunt Palmites erETes.

optaſſent, omitteret tam male impenſos labores, ſudores, vitæ aſperitates, perſecutiones commemorare: Horum omnium meminiſſe juvet feliciores Operarios, qui præmium ſuis laboribus dignum ſunt aſſecuti: At ſupplicium eſt ea nobis ante oculos ponere, ſi verum erit, nos tot laboribus nihil aliud fuiſſe aſſecutos, quam ut viâ Crucis in exitium rueremus.

Quominus tamen labores noſtros adeo perditos putemus, facit, quòd meminimus, nos inſtitiſſe veſtigiis Epiſcoporum noſtrorum, plurimorumque ex omnibus Ordinibus Virorum Apoſtolicorum, ipſiuſque S. Franciſci Xaverii, cujus labores Deus ipſe immortali præmio dignatus eſt. Facit denique, quòd in illorum noſtrorum laborum partem venerit ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha, qui multos ex illis Palmitibus ſudore manans, nec minus labore, quam morbo fractus excoluit, & Sacris Unctionibus confirmavit, quod illi Palmites nihil adhuc meliores erant, quam cùm à Miſſionariis excolerentur. Quod ſi non imputabitur Illuſtriſs. Patriarchæ, nec apud Deum, nec apud homines, quod illos Palmites jam probè examinatos, cognitos, & privata ſententia damnatos, tanquam enerves, fructu vacuos, Gentilium

Conſolantur ſe Miſſionarii, quod nihil egerint, niſi quod Sancti ipſi fecere.

vani-

Quodq; ipſemet Illuſtriſs Patriarcha qui etiam illos Palmites excoluit.

vanitatibus magis, quam Chriſto inhærentes, Chriſto tamen per Sacramenta conjunxerit; excuſationem, ſpero, habebunt aliquam Miſſionarii, quòd per Sacramenta excoluerint eoſdem Palmites, quos ipſi putabant à Gentilium vanitatibus maxime alienos, uni veræ Viti inhærere; & ducto ex eà Gratia ſucco bonis omnium virtutum fructibus abundare.

Addit Illuſtriſs. Patriarcha, in multo experimento tribulationis abundantiam gaudii ſui fuiſſe: Magnum fuiſſe tribulationis experimentum talia cognoſcere, nullus eſt, qui dubitare poſſit? Quis enim, non dico Viſitator Apoſtolicus, ſed quis Chriſtianus ſuæ Religionis non prorſus oblitus ad rem tam luctuoſam non ingemiſceret; ad talis portenti conſpectum non ſtuperet? At quæ reliqua potuit eſſe pars gaudii in re tam lugubri? Dixerat quoque paulo ante ſua Excellentia, ſe in interiores terras libenter penetraturum fuiſſe, non minus laboris, quàm gaudii in Chriſto JESU participem eſſe vehementer cupientem. Si tales ſunt illi Palmites, quales eos Illuſtriſs. Patriarcha depingit, O factum benè, quòd non cò penetraverit, ubi potuiſſet quidem laboris eſſe particeps, ſed nullius gaudii: Nam ſi triſte eſt de tali Vinea cogitare, quanto triſtius foret eam conſpicere,

Speramus Illuſtriſs. Patriarchã percepturũ ingens gaudiũ, ſi Miſſiones intraſſet,

&

& oculis haurire abominandam illam conjunctionem Sacri, & Prophani, lucis, & tenebrarum, Chriſti, & Belial: Ecquem tale ſpectaculum non commoveat, quem non terreat, cui vel invito lacrymas non eliciat?

Nos quidem eo tempore quo labores noſtros minus perditos exiſtimabamus; cùm mediis in perſecutionibus fallax aliquod percipiebamus gaudium ex tam florenti Chriſtianitate; optaſſemus plurimum, non quidem laboris, & periculi, ſed gaudii noſtri particeps eſſe poſſet Illuſtriſs. Patriarcha: Sperabamus fore, ut ingenti ſacræ delectationis ſenſu afficeretur, cernens, ſuaque experientia cognoſcens, quà modeſtià Neophyti Divinis Myſteriis aſſiſtant; quà pietate precibus vacent; quam bene ſint Doctrina Chriſtiana inſtituti; quo fervore Sacramenta percipiant; quàm multi eorum acceptam in Baptiſmate Innocentiæ veſtem ad plurimos annos conſervent; quàm difficile ſit vel multis interrogationibus certam Abſolutionis materiam ex multis Pænitentibus elicere; quo odio Idola, Idolique cultum execrentur; Greges integros illuſtrium Confeſſorum ſuæ Excellentiæ oſtendiſſemus, qui ſi narrarent quanta in odium Fidei pertulère, poterant dicere: Ego ſatis olim locuples, nunc bonis omnibus, ac

Vides Chriſtianorum fervorem, et quanta tulerint pro nomine IESV.

fortunis Fidei cauſa excidi: Ego liberos oppignorare coactus ſum, ut impoſitam in odium Religionis meæ mulctam perſolverem: Ego tandiu in Carcere detentus ſum: Ego ſeptem continuos dies verberibus conſciſus ſum, quod Idolum dictum *Xiven* invocare recuſarem: Ego Fratrem, ego Patrem, ego Filium, ego Generum, ego Sponſum, ego Sponſam amiſi: & quam multi hæc fere omnia ſimul Fidei causâ ſe amiſiſſe teſtari poſſent? Quæ omnia fuſius memoravimus capite 15.

Lugubrem hanc narrationem, non pauciſſimis verbis factam, ut ego nunc refero, ſed ſuis omnibus adjunctis veſtitam, multiſque intermixtam lachrymis, ſi ſua Excellentia audiret; ſi ſimul videret quanta alacritate hæc omnia damna lucrum exiſtiment; putabamus ejus pectus, ſi ob tanta chariſſimorum Neophytorum mala dolore conſtringeretur; gaudio etiam aliquo ob tantam eorum conſtantiam perfuſum iri. Cùm verò intuitus eſſet vulnerum cicatrices ob Religionem acceptorum, cùm inuſtas infamiæ, uti putabant Ethnici, re ipsâ vero pulcherrimæ gloriæ notas; confidebamus vix ſibi temperaturam Illuſtriſs. Patriarchæ pietatem, quin Conſtantinum Magnum imitaretur, erutorum ob Chriſti Fidem oculorum

orbes

orbes S. Epiſcopi Paphnutii religiosè exoſcu-
lantem: Sicque etiam nunc mihi perſuadeo fore, ut poſt tale ſpectaculum ſua Excellentia non ſcriberet in Decreto, ejuſmodi Chriſtianos Palmites enerves eſſe, fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quàm Viti, quæ eſt Chriſtus; & ſi tale quid jam ſcripſiſſet, haud ſcio, num notam illam minus facile optimis Chriſtianis inuſtam ſuo ipſo ſanguine deletam vellet: nec ſuam Excellentiam pæniteret, quod in litteris ad me datis Neophytos noſtros vivis primitivæ Eccleſiæ Palmitibus comparaſſet.

Cernens ſtigmata Confeſſoiũ.

Optarem, Sanctiſſime Pater, litteras illas Sanctitati Veſtræ offerre; & illis remedium petere alto vulneri, quod meis illis Neophytis Illuſtriſſ. Patriarcha inflixit: at deflagrarunt unà cum multis aliis actis magni ad hanc cauſam momenti in memorato jam incendio domùs noſtræ Topenſis: At recordabitur, ut ſpero, Illuſtriſſ. Patriarcha, ſe in illis litteris noſtrarum Miſſionum Neophytos naſcentis Eccleſiæ Chriſtianis æquiparaſſe. Et operæ pretium eſt obſervare, quo tempore datæ fuerint, nempe Menſe Februar. cùm jam tres circiter menſes in Indiis egiſſet Illuſtriſſ. Patriarcha, cùmque audiſſet ſæpius P. Carolum Michaelem

Neophyti illarũ Miſſionum primis Eccleſiæ Chriſtianis æquiparati ab Illuſtriſſ. Patriarcha.

Bertoldum, à quo multa jam & de perſecutione Tanjaurenſi, & de conſuetudinibus Indicis cognoſcere potuerat. Præterea Chriſtianos Puducherianos magnis extollit laudibus D. Viſitator in declaratione, quà Indigenarum Parochiam Patribus Gallis è Societate adjudicat; laudat illos, inquam, plurimum, licet ſuis oculis viderit ab iis conſuetudines Indicas obſervari: ex quo profectò conſequitur, vel Illuſtriſs. Patriarcha fatente, fieri poſſe, ut illas conſuetudines uſurpaſſent, quin eſſent Palmites enerves, & fructu vacuos; & quin ideo Gentilium vanitatibus magis, quàm Chriſto veræ Viti inhærerent. Cum nos admonuiſset Illuſtriſs. Patriarcha, ut eà declaratione uteremur ad os inimicis noſtris occludendum; Supplices à ſua Excellentia petiimus, ut ſimile quid declarare dignaretur de Chriſtianis mediterranearum regionum; ſed jam nox erat profectionis diem antecedens; itaque dixit Illuſtriſs. Patriarcha mentem ſuam, & voluntatem eſſe, ut de illarum quoque Miſſionum Chriſtianis declaratio data intelligeretur: & quanquam id non diceret, ſatis conſtat, regionum interiorum Chriſtianos longe præſtare iis, qui vivunt in Oris maritimis, ubi ex pravis Europæorum moribus ſemper aliquid contagii contrahunt.

Litteris ad me datis poſt factam iam inquiſitionum bonam partẽ.

Chriſtiani Puducheriani uſuum illorum Sectatores ab Illuſtriſs. Patriarcha ſub Viſitationis finem laudati.

Verum

Verum quidquid demum D. Viſitator de trium illarum Miſſionum Chriſtianis judicarit, mirari ſatis non poſſumus, cur ita de illis in Decreto ſcripſerit, cum omnia ſuadere viderentur, ut, licet re ipſa tales forent, id tamen in Decreto diſſimularetur. Non ignorabat ſua Excellentia celebrari India tota, atque Europa Chriſtianorum illorum virtutem, quos naſcentis Eccleſiæ Chriſtianis comparari poſſe multi cum ſua Excellentia judicabant: Non videntur ſinere juſtitiæ, & charitatis leges, eos infamari, qui bonum adhuc nomen obtinent, licet re ipſa mali ſint: Ne quidem Sanctitas Veſtra hoc ſibi licere exiſtimaret, ut integræ alicui genti famam eriperet? Europæi Chriſtiani multis laborant vitiis; hoc ſcit, & ingemiſcit quotidie Sanctitas Veſtra, & tamen nulla ratione adduceretur, ut de ullius Regni Europæi Chriſtianis, qui hæretici non ſint, diceret, Palmites enerves eſſe, & fructu vacuos. Satis erat, quantum poſſum aſſequi, uſus prohibere, quos ſua Excellentia vitioſos judicabat: iſta verba ad aliud nihil conducebant, niſi ad Neophytos, Miſſionarios, Oræ maritimæ Parochos, ipſoſque Epiſcopos toto orbe infamandos; ac proinde ad Sanctitatem Veſtram contriſtandum, Fideles omnes ſcandalizandum; ac denique ad

Quantum vulnus Indorũ Chriſtianorum formæ inferat hac cenſura.

præ-

præbendum hæreticis de Religione Catholica triumphum: Quæ omnia mala, non exiſtimavit ſua Excellentia ex illis verbis ſecutura; & tamen nimium, Eheu! conſequentur.

Hæc dicta ſint in defenſionem illorum Chriſtianorum, qui certe tam acrem cenſuram non merebantur; in qua propulſanda, ſi viſus ſum dolorem meum nimium oſtendere, partem tamen præcipuam in ſinu meo continui, quam nulla temporis diuturnitas ſolvbitur: nempe plures ex illis Palmitibus plantavi, pleroſque meis ſudoribus irrigavi, & eo labore colui, quem me non decet commemorare: Poteſtne mihi non eſſe acerbiſsimum, ſic meos in Chriſto Filios infamari, quorum firmiſſimam Fidem miraculis divinitus approbatam; ſpem certiſſimam terrenorum bonorum, ac malorum contentricem; ardentiſſimam charitatem; ſummam vitæ integritatem nullo ſæpe poſt baptiſmum crimine violatam novi, & pudore plenus toties ſuſpexi. Verum de illis utcumque homines ſentiant; veniet dies, cum ſua laus erit unicuique à Deo; cumq; remotis umbris cujuſque opera clarà in luce manifeſtabuntur.

Acrimoniā illius ſentiunt Miſſionarii, qui Chriſtianos norunt.

CA-

CAPUT III.

Verba Decreti.

REbus itaque maturo examini ſuppoſitis, dictiſque Patribus oretenus, & ſcriptis fuſe auditis, atque Dei ope publicis precibus implorata, ut Fidei puritati, ſpiritualique Chriſtianorum proventui ſalubriter in Domino conſulamus, utque fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto ad præſens Decretum authoritate Apoſtolica, etiam cum poteſtate, quà fungimur, Legati de latere devenimus.

Ait Illuſtriſs. Patriarcha Miſſionarios duos fuiſse fuſe auditos; & indicat Decreti neceſſitatem.

Obſervationes.

EOrum verborum occaſione Sanctitati Veſtræ duo exponam; nempe quâ ratione auditi fuerint Miſſionarii: deinde quæ fuerit neceſſitas ſingulorum Illuſtriſs. Patriarchæ Statutorum, ut oblatio Gentium accepta fieret.

§. I.

§. I.

Duo illi Miſſionarii in aliquibus ſat fuſe auditi ſunt, licet iis parum creditum ſit.

VT initium ducam ab eà ratione, quà auditi fuere Miſſionarii, credo me Veſtræ Sanctitati poſſe probare, primo nequidem duos illos Miſſionarios, quos Illuſtriſs. Patriarcha appellavit, ſatis fuiſſe quoad omnia auditos; deinde in re tanti momenti ſatis non fuiſse duos ipſos audire, & ſi forent quam maxime auditi: Cùm aſserat ſua Excellentia fuſe à ſe auditos fuiſse P. Venantium Bouchet, & P. Carolum Michaelem Bertoldum oretenus, & in ſcriptis; non nego, quin id vere dictum ſit de certis rebus, de quibus fuſius cum ſua Excellentia egerunt; ſive interim eorum expoſitioni data fides fuerit, ſive non; qua de re ſupra diſputavi. At non negabit etiam Illuſtriſs. Patriarcha, multa eſse de quibus nullo modo fuerint auditi; id quod etiam ſupra oſtendi, cum de illis nunquam fuerint interrogati; nec ipſi ſermonem primi injecerint. Et quantum ad ſcripta pertinet, ſatis conſtat à P. Venantio Bouchet, non niſi duo, vel tria tradita fuiſse; unum vero, vel alterum à P. Carolo Michaele Bertoldo. Nec minus verum eſt, multa eſse in Decreto de quibus non fuſe, ſed perpaucis,

non

non ex propoſito, ſed occaſione datâ, non penitus, & per otium, ſed ſtrictim, & obiter tantum Miſſionarii illi duo, aliique auditi fuerint. Variis de rebus inter loquendum agebatur, quin Miſſionarii ſcirent, utrum de eis Illuſtriſs. Patriarcha decernere cogitaret: atqui longe aliud eſt de rebus ejuſmodi leviter agere, aliud rem tractare, de quà in Decreto ſtatuendum ſit; nam licet in neutro diſputationis genere à veritate recedere liceat, ſi tamen res non magni momenti putetur eſſe, minor adhiberi ſolet diligentia in perquirendis, & exponendis factis, rationibuſque omnibus ad rem illam pertinentibus; & ſi is, quo cum agitur, ſit excellenti dignitate conſpicuus, facilius in ſua opinione relinquitur, aut ei aſſenſus datur, quam ſi res maximi momenti ad Divinam Gloriam, & animarum ſalutem eſſe putaretur. Optandum itaque fuiſſet, Sanctiſſime Pater, ut paulo apertius cum Miſſionariis ſua Excellentia egiſſet; propoſuiſſet abſque ulla ſimulatione quinam uſus ſibi emendandi viderentur; juberet ut Miſſionarii pro ſuo in S. Sedem obſequio facta omnia exponerent, quæ ad cognoſcendam cujuſque usùs, ſeu conſuetudinis naturam facerent, ſimulque rationes omnes prò utràque parte afferrent: At non ita cum eis

De aliquibus articulis nullo modo, ceaaliis ſtrictim, & obiter auditi ſunt.

egit D. Viſitator: initio dicebat ſe nulla de re decreturum; poſtea quà de re decernere meditaretur, ignoratum eſt: pauca in Decreto habentur, quorum cauſas, originem, finem, adjuncta, rationes aperuerint Miſſionarii, ac proinde de quibus ſatis auditi fuerint antequam Decretum efformaretur.

Nec etiam auditi Decreto facto, eo quod diu remanſerit occultum.

Decretum compoſuit Illuſtriſs. Patriarcha ſolus cum ſuo Secretario; nullius judicium de eo exquiſivit; de quo non conquereremur, ſi aliis de rebus in Decreto ageretur, quam de conſuetudinibus peregrinis, quas ſua Excellentia non poterat, niſi ex aliis cognoviſſe. Verum in iis rebus referendis, quæ tantum ex aliorum relatione cognoſcuntur, quis neſcit, facillimum eſſe paulo plus, vel paulo minus dicere, quam in re ipſa ſit; præcipue vero cum facta referuntur, aut res, quarum ſimile nihil unquam viſum eſt; ſive non ſatis mentem aperuerit, qui rem narravit primus; ſive cum bene aperiret, non ſatis attentum fuerit; ſive poſtea aliquod adjunctum memoria exciderit: Centies expertus ſum, eos licet ingenioſos viros, quibus res Indiæ narravi, cum poſtea referrent, quæ à me audiverant, aliquid addere de ſuo, aut de meo detrahere; ita ut jam eadem res non eſſet. Hinc tantum diſcrimen eſt inter teſtes

ocula-

oculatos, & illos, qui ex auditu referunt. Videbatur itaque non omittenda illa cautio, ut efformatum Decretum, antequam in Viſitationis libro deſcriberetur, illud aliquibus ſua Excellentia oſtenderet, qui in illarum Gentium, & Miſſionum uſibus eſſent apprime verſati; eo quod vel una vocula poſſit veritati multum addere, vel detrahere, quanto magis cùm eo auditi modo fuerint, quo diximus: Ita ut minimè mirum videri debeat, quod multa in Decretum obrepſerint tàm veritati diſsentanea, quàm propagationi Fidei in illis Miſſionibus contraria.

Video hìc recurrere quod ſuperius retuli, ſuam Excellentiam dixiſse oſtenſum fuiſse Decretum P. Venantio Bouchet; at recurrit ſimul reſponſio data; ita fuiſse oſtenſum, ut ne tempore quidem ad illud cum otio legendum neceſsario in ejus manibus relictum fuerit: ex quo apparet ſuam Excellentiam non admodum voluiſse, ut P. Venantius diceret, quid ſibi de illo videretur; aut utrum aliquod in eo factum minus bene proponeretur: Nam ſi hæc fuiſset Illuſtriſs. Patriarchæ voluntas, an non juſſiſset, ut illud cum otio legeret, mature conſideraret, & ad ſe de eo referret; manifeſtum eſt, ita facturum fuiſse: At nihil horum: Decretum in

Et ita oſtēſū uni Miſſionario, ut illud non potuerit niſi properanter legere.

Cubiculo ſuæ Excellentiæ datum eſt P. Venantio, ab eoque reſumptum, antequam ille Pater inde exiret, immo quam potuiſset niſi properanter legere: poſtea ita occultum remanſit, ut ante fuerit in Acta relatum, quam quiſquam auditus fuerit.

Suſpicionibus divinare cogebantur Miſſionarii quid decerneretur.

Teſtis eſse poſsum Sanctitati Veſtræ Puducherianos Patres è Societate nihil de rebus Decreto contentis certo reſciſse, cum in eam urbem non multis ante ſuæ Excellentiæ profectionem diebus me contuli: addo nec fuiſse ſuper omnibus Decreti articulis ſatis auditos: nam cum conjecturis aliquibus ſuſpicarer Illuſtriſs. Patriarcham in Decreto præſcribere Miſſionariis, ut domos ignobilium adirent; ſuam Excellentiam rogavi ſupplex, ne id me celatum vellet; acerbiſſimum mihi fore, ſi illæ Chriſtianitates, quæ tot mihi laboribus conſtiterant, aliquo non neceſsario ſtatuto perderentur: Cumque Illuſtriſs. Patriarcha reſpondiſset, ſe conſcientiæ lege teneri ita decernere; cæpi tunc ei exponere graviſſima incommoda ex illo Decreto ſecutura; & ſermone ad horam integram producto oſtendere, quà neceſſitate Miſſionarii id facerent: At ſapienter admonuit ſua Excellentia, res ejuſmodi ſcripto melius, quam voce fieri; obtemperavi; rationes aliquas propoſui,

poſui, ad probandum ſtatutum illud minus neceſſarium, & ſummopere pernicioſum fore. Rationes illas ita probavit ſua Excellentia, ut illum Decreti articulum ſuſpenſum remanere permiſerit: Argumento certiſſimo ſuam Excellentiam ante non ſatis plenam habuiſse notitiam rerum ad hoc ſtatutum pertinentium, quo nullum eſt in toto Decreto maioris momenti. Nam ſi ea omnia, quæ tunc expoſui, ipſi prius nota fuiſsent, nunquam tale ſtatutum tuliſset, quod poſtea ſuſpendendum judicavit; aut ſi nullas novas rationes ex meo ſcripto cognoviſset, ſtatutum illud ſuſpenſum remanere non permiſiſset.

Exorandus fuit Illuſtriſs. Patriarcha, ut ſuum Decretum traderet.

Superarant aliquot tantum dies ad Illuſtriſs. Patriarchæ profectionem, mihique ipſi Puducherio diſcedendum erat; ante tamen quam diſcederem, ſummopere optabam reſcire, quid ſua Excellentia de illis Miſsionibus Decretum relinqueret; timens ne multa ſtatuta in eo reperirentur ei ſimilia, cujus ſuſpenſionem mox obtinueram: videnſque tam exiguum ſpatium fore ad difficultates, quas forte pati poſsemus, proponendas. Itaque cum ſæpe ſæpius Decretum illud petiiſsent alii Patres, quibus ſua Excellentia dixerat, jam eſse efformatum, timerentque exinde, ne ſuæ Excellentiæ importuni

Non niſi triduo ante profectionē ex Indiis illud tradidit.

tuni

tuni forent; ego, qui illud nondum petieram, meis precibus tandem exoravi, ut illud aliquando traderet.

Hic locus foret Sanctiſſime Pater, referendi qua ratione auditi fuerimus poſt Decretum latum; illud verò jam paucis retuli ſub hujus Libelli ſupplicis initium: At illìc omiſi dicere, vetuiſse Illuſtriſs. Patriarcham, ne P. Venantius Bouchet ad ſe veniret; ſive quod ille Miſsionarius conquereretur, ſe teſtem appellari Decreti, de cujus pleriſque ſtatutis ipſe interrogatus non fuerat; ſive ſua Excellentia Libellum accipere nollet, quem audierat parari, nec audire jus jurandum, quod ille Pater concipere volebat, ſe talium rerum teſtem non fuiſse; Sive denique ſua Excellentia ob inſtantem profectionem negotiis obrueretur: Non niſi ultima nocte admiſsus eſt; & cum eo P. Guidus Tachard Superior Generalis Patrum Gallorum in Indiis P. Carolus de la Breville, & ego: Auditi fuimus tunc, Sanctiſsime Pater, uti facile cogitat Sanctitas Veſtra nos audiri potuiſse in tantis temporis anguſtiis, in tanta multitudine rerum dicendarum, quarum partem maximam præteriimus; in tanta rerum extremitate; & ſi ita loqui fas eſt, in tanta deſperatione Miſsionariorum, qui acerbiſsimo doloris ſenſu vide-

bant,

bant, quid ex illo Decreto eſſet conſecuturum. Ita auditi fuimus, ut audiri poteramus Decreto jam facto, & in Acta relato; quod neque Illuſtriſs. Patriarcha volebat ſibi perſuaderi eſſe immutandum; neque, ſi vellet, jam erat liberum immutare; cùm ne uno quidem die amplius Puducherii poſſet expectare. Præcipua, quæ tunc in aliquos articulos, qui propoſiti fuere, dixit ſua Excellentia, ſuo loco referam. Hic tamen non poſſum non repetere à ſua Excellentia in unum ex illis dictum fuiſſe, ſe illud in Decreto poſiturum non fuiſſe, ſi id quod tunc ego dixi, prius reſciſſet: quà voce Illuſtriſs. Patriarcha clarè oſtendit, non ſatis auditos fuiſſe ſuper illo articulo Miſſionarios: Nec dubitamus quin idem de aliis multis ſua Excellentia cogitaverit, vel ſaltem cogitaturus fuiſſet, ſi nos potuiſſet paulo fuſiùs audire. Has temporis anguſtias ortas ex cunctatione, qua uſus eſt Illuſtriſs. Patriarcha in ſuo Decreto tradendo, ſatis deflere non poſſumus; & quod Decretum prius in librum Viſitationis fuerit relatum, quam ſuper eò noſtras difficultates potuerimus proponere: in eo non legerentur ſaltem illa duo, quorum alterum ſua Excellentia ſuſpenſum eſſe voluit; alterum ſe non ita fuiſſe decreturum, aſſerere non dubitavit.

Et ideo auditi non sūt Miſſionarii, niſi nocte diſceſſum antecedente; & quomodo?

Hæc

Quædam tunc dixit Illuſtriſs. Patriarcha quæ probant Miſſionarios ante Decretum non ſatis fuiſſe auditos.

Hæc non obſcure demonſtrant, Sanctiſsime Pater, ſatis auditos non fuiſse duos Miſsionarios à ſua Excellentia principio Decreti appellatos: Sed quanquam auditi ſatis fuiſsent, rei gravitas, ni fallor, poſtulabat, ut aliqui prætérea audirentur. Nil ego detractum hìc volo teſtimonio duorum Miſsionariorum, quos Illuſtriſs. Patriarcha nominat: gauderem eos à ſua Excellentia laudatos fuiſse, ſi cum illis laudibus Decreti tenor conſentiret: at quamvis agnoſcam, & contendam teſtes maxime idoneos fuiſse; videtur tamen aliorum præſertim antiquorum Miſsionariorum teſtimonium non fuiſse negligendum. Agebatur de conſuetudinibus, quarum natura ſatis ambigua, & recondita eſt, eò quod pendeat ab origine, quam habuère, & à fine ad quem ab illis populis referuntur: quæ duo ſciri nequeunt, niſi ex libris earum Gentium, vel ex Doctorum reſponſis. Fieri facile poteſt, ut ſi tam pauci interrogentur, neuter ea loca legerit, in maximis occupationibus, quibus Miſsionarii obruuntur; vel ſi legerit ea, non recordetur, quorum alii meminiſsent. Si quæſtio propoſita ſolvi nequeat, niſi ex reſponſis, & ſenſu Indorum, tunc magis adhuc neceſsarium conſulere plures: Nam cum nulla res ſit ex iis, quæ ad doctrinam pertinent,

Videtur audiendos fuiſſe plusquam duos Miſſionarios.

in qua non maxima ſit inter illos populos ſen-
tentiarum varietas, evenit ferquentiſsime, ut quod hi non cognoverint, cognoverint alii; nempe alii ab aliis interrogantur; alia alibi cernuntur; & pluribus annis plura videre eſt, & experiri, quam paucioribus.

E duobus Miſſionariis a ſua Excellentia appellatis, unus nempe P. Carolus Michael Bertoldus nondum tribus annis in Miſſione verſatus erat; & licet eo tempore non exiguam illarum terrarum notitiam pro ſua ſagacitate adeptus eſſet, dubium nullum eſt, quin adhuc maiorem deinde comparaturus ſit: Miſſus Puducherium fuerat, non ad res Miſſionum exponendas, ſed ad ſalutandum nomine Provinciæ Malabaricæ Illuſtriſs. Patriarcham, cui ignotus non erat. Petente tamen ſua Excellentia, poteſtas ei facta eſt, ut Miſſionis ſtatum exponeret: At ſimul rogabat P. Provincialis Antonius de Barroz, ut ſi ſua Excellentia vellet aliquid diffinire, id ſibi prius communicare dignaretur, & audire rationes, quibus niterentur uſus à ſuis ſubditis in Miſſionibus permiſſi. Juſtæ illius poſtulationis rationem nullam habendam judicavit Illuſtriſs. Patriarcha; non modo non alios Miſſionarios accerſivit, ſed nec eos quidem interrogavit, quos obvios ha-

Petiit, ſed fruſtra P. Provincialis, ut audiretur.

buit. Ivi Puducherium ad mea officia Illuſtriſs. Patriarchæ exhibenda, eumque ſæpe allocutus ſum; nihil quidquam ex me ſciſcitatus eſt de tam multis Decreti articulis, totque factis in eo contentis; ipſe cogebar de illis ſermonem injicere, conjecturis aſſecutus ſuam Excellentiam aliquid diffinire; quod niſi facerem, aliis de rebus agebatur: nempe jam conceptum erat illud Decretum, nihilque in eo ſua Excellentia putabat eſſe, quod non ſolidis niteretur fundamentis; quæ opinio, quam abeſſet à vero, ſuperius oſtendi, & poſtea de ſingulis agens, oſtenſurus ſum: non immerito itaque conqueritur Miſſio Madurenſis ſe ſatis auditam non fuiſſe.

Miſſio Mayſurẽſis prius damnata, quam in ſuos uſus inquiri audiverit.

Idem potiori jure conqueri poteſt Miſſio Mayſurenſis, quæ Provinciæ Goanæ ſubeſt: Vix prius audiere illius Miſſionis cultores de ſuæ Miſſionis inſtitutis dubitari, aut inquiri, quam condemnata fuiſſe ab Illuſtriſs. Patriarcha reſciverunt: nullum ad ſuam Excellentiam miſerunt, nec mittere admoniti ſunt, qui illa ſuæ Excellentiæ exponerent; nulli ſuas partes ad id comiſere: Stipem oſtiatim Puducherio mendicabat egenus quidam, qui ab illa Miſſione tunc temporis fortuito illuc advenerat: hunc unicè, quem ſciam, tantumque teſtem,

qui

qui Neophytorum Mayſurenſium conſuetudines fidelibus oculis inſpectarit, de illius Miſſionis ſtatu interrogavit ſua Excellentia. Verum quidem eſt, Miſſionis Mayſurenſis inſtitutum idem prope eſſe, quod aliarum duarum; non tamen ita prorſus iidem ſunt illius Regni uſus, & leges, ut non ſingulares aliquæ rationes eſſe poſſint illius Miſſionis propriæ, ob quas in ea minus adhuc neceſſarii, magiſque nocivi ſint aliqui articuli ab Illuſtriſs. Patriarcha diffiniti; qua de re ſe audiendos fuiſſe contendunt; cum non teneantur habere ratum, quidquid expoſitum fuit ab illis ſive Miſſionariis, ſive aliis, quibus ſuæ Miſſionis ſtatus non ita perſpectus erat.

Cumque Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto plura condemnentur, quæ extra Miſſiones interiorum terrarum à Sacerdotibus Sæcularibus, & Religioſis etiam permittuntur; illi quoque pro ſuo jure contendunt, ſe non ſatis fuiſſe auditos, cùm auditi nulla ratione fuerint. Multo magis idem aſſerunt Illuſtriſs. Epiſcopi; quorum dignitati ille ſaltem honos habendus videbatur, uti ſupra oſtendi, ut non prius condemnarentur res in ipſorum Diæceſibus a ſuis Anteceſſoribus inſtitutæ, & ab ipſis viſæ, ac toleratæ, quam ex ipſis, aut aliquibus, quibus id commiſiſſent,

Sacerdotes Sæculares, et Epiſcopi nequaquam auditi ſunt.

ſiſſent, cognitum fuiſſet, qua de cauſa uſus illos permiſiſſent: ea de re ſuis in litteris non obſcure conqueruntur.

§. II.

Poſtquam oſtendi, ni fallor, ne ſatis fuiſse auditos duos Miſſionarios à ſua Excellentia appellatos, & alios præterea fuiſſe audiendos; venio ad alterum quod propoſui; quæ nempe omnium, & ſingulorum Decreti ſtatutorum neceſsitas fuerit. Hoc loco ſatis indicat Illuſtriſs. Patriarcha quàm ea neceſſaria putaverit, dum ait, ſe ad præſens Decretum ferendum deveniſse, ut Fidei puritati conſulat, & oblatio Gentium fiat accepta; perinde ac ſi diceret, ſine illo Decreto, neque Fidem puram fore, nec oblationem Gentium acceptam, & ſanctificatam. Id quamquam Illuſtriſs. Patriarcha non declararet, nemo tamen dubitare poſſet, quin omnia, & ſingula, quæ hoc Decreto continentur, ſummopere neceſſaria fuerint, aut ſaltem quin ea ſua Excellentia neceſſaria putaverit: Nam quo fine Vir Sapiens authoritate Apoſtolica cum facultate Legati de Latere diſtrictè, & ſub graviſsimis cenſuris, ea juſsiſset fieri, quæ ſemper facta forent,

Indicat Illuſtriſs. Patriarcha neceſſitatem ſingulorum Decreti ſui ſtatutorum.

rent, ea juberet omitti, quæ ſemper fuiſsent omiſſa.

Atqui proteſtor apud Sanctitatem Veſtram, & coram Deo proteſtor, plurima in Decreto juberi, quæ ſemper accuratiſsime obſervata ſunt; plurima vetari, quæ nunquam fuerunt uſurpata: eos articulos hic non commemoro, commemorabo poſtea ſuis in locis; & nulla querela crebriùs, juſtiùſque iterabitur. Cum hac de re conquereremur, reſponſum eſt: Si hæc obſervatis, eò melius; quid vobis nocet? Nocet, quod nemo exiſtimaturus ſit, vel unam voculam à Viro, cujus Sapientia à Sanctitate Veſtra laudata eſt, fuiſſe ſupervacaneè poſitam in Decreto, vel aliquid ſine cauſa prohibitum, aut præceptum: Nocet, quòd omnes ſint illaturi, omiſſa proinde fuiſſe, quæcumque fieri jubet, facta fuiſſe, quæ prohibentur; aut ſaltem periculum fuiſſe, ne aliter fieret, quàm Decreto decernitur. In piis adhortationibus, aut Epiſtolis, aliiſque ſimilibus rebus non infrequens eſt, multa conſulere, & ſuadere, quæ jam fiunt; tum ut ſalubria monita revocentur in memoriam eorum, qui potuiſſent oblviſci; tùm ut in virtute confirmentur, qui ea jam accurate obſervabant: non ſequitur avaros eſſe, aut impudicos eos, quos Concionator ab illis

vitiis

Multa tamen inutilia ſunt, cum præcipiant, quæ ſemper obſervata fuere.

vitiis deterret: At in Decreto à Viſitatore Apoſtolico tanto apparatu, tanta celebritate, in tanta hominum expectatione facto; in Decreto ad quod Deventum eſt, ut fiat oblatio Gentium accepta, ut Chriſtianorum proventui, & Fidei puritati conſulatur; in Decreto quod proponitur veluti remedium opportunum, quo inquiſitis, & detectis neceſsitatibus provideatur; poſtquam cognita dicuntur multa, & certius, quæ illarum Vinearum Palmites enerves, & fructu vacuos efficiunt, utpote qui Gentilium vanitatibus magis, quam Viti, quæ eſt Chriſtus adhæreant; Quis hominum ſibi perſuadebit, aliquid in uſu Sacramentorum, ſimiliumque rerum præcipi, quod non maxime neceſſarium putaretur: Eccur hæc potius, quam infinita alia ſuo in Decreto ſcripſit Illuſtriſs. Patriarcha? Cur non ſingularem mentionem fecit dandæ baptizatis Candelæ, quemadmodum Salis adhibendi meminit? Si Salem adhibendum jubet, ne forte id Miſsionariorum memoria excidat; eratne maius periculum, ne Salis potius, quam Candelæ obliviſcerentur? Si ob recondita in Sale myſteria; an non etiam ſunt ſua Cereo myſteria? Denique quænam poteſt eſſe cauſa, cur ritum iſtum potius præcipiat, quàm innumeros alios, de quibus nihil dicit?

cit? Res ipſa loquitur: Exiſtimavit ſua Excellentia nil opus eſſe præcipere de Candela; opus eſse de Sale; putavit Candelam adhiberi, putavit Salem prætermitti. Fruſtra addebat unus ex ſuæ Excellentiæ Comitibus, Viſitatores quædam interdum decernere, licet contra ea non fuiſſet peccatum: id tunc verum eſt, cum aliquam novam legem poſitivam ſtatuunt; vel cum juſtum habent timendi locum, ne contra aliquam legem jam latam agatur; aut cùm aliqua ſimilis adeſt ratio, vel fundamentum, quale nullum hìc excogitari poteſt.

Id ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha judicavit, cùm de uno articulo, diceret, ſe in Decreto non ita poſiturum fuiſse, ſi noviſſet, qualis eſſet illius usùs natura: quod in eo feciſſet, in aliis quoque facturum fuiſse, nemo credo dubitabit: Cum præſertim ſatis intelligeret, quantum bonæ Miſsionariorum exiſtimationi noceat, talia in Decreto legi: Nam quis erit hominum ſenſus, cùm illud ſunt lecturi? adeone perversè in illis terris Evangelium prædicatum eſt, ut tam multa opus fuerit emendare? Adeone ſui, Religioniſque oblitos Sacerdotes, ut in rebus ſimilibus peccarent? Hoccine potuit à Catholico tolerari? Hæc dicentur, Sanctiſsime

Quæ omnia neceſſaria putavit Illuſtriſs. Patriarcha.

me Pater, ab iis omnibus, qui Decretum legent; taliaque dictum iri ſua Excellentia ſatis prævidere potuit; quò magis æquitatis videbatur eſſe, ut ſiquidem cenſura notare illarum terrarum Chriſtianos, Miſſionarios, ac Epiſcopos teneri ſe exiſtimabat, non niſi neceſſariam notam inureret; cùm nulla lege humana, nec Divina teneretur ea jubere fieri, quæ religioſe hactenus obſervata forent, ea vitare, quæ nunquam fuiſſent in uſum redacta.

Id adeo evidens eſt, Sanctiſſime Pater, ut dubitari nequeat, quin Illuſtriſs. Patriarcha neceſſaria putaverit, quæcumque in Decreto continentur: Sed hinc evidenter conficitur, quam verum ſit id, quod paulo ante contendebam; multa eſſe in Decreto, quæ ex PP. Venantio Bouchet, & Carolo Michaele Bertoldo cognita nequaquam fuerint; multa in quibus vel interrogati non ſunt; vel ſi interrogati fuere, aliis potius quàm illis creditum fuerit. Hinc etiam apparet, quales extiterint illi alii teſtes, qui aut neſcierunt, quid à Miſſionariis fieret, quid non fieret; vel ſi ſcierunt, atroces calumnias confixère ad eos apud ſuam Excellentiam infamandos, & quod caput eſt, apud Sanctitatem Veſtram. Verbo dicam: id abunde probat, quàm parum certis teſtimoniis, & parum accurata factorum

Ergo male fidis teſtimoniis nititur Decretum.

ctorum

ctorum notitia totum Decretum nitatur: Nam quæ poteſt haberi fides illis teſtibus, quicumque demum ſint, qui in rebus cognitu adeo facilibus, aut deceperunt, aut decepti ſunt: Speramus inde à Sanctitate Veſtra collectum iri, fieri facile poſſe, ut etiam decepti fuerint, vel deceperint in aliis factis cognitu difficilioribus, ex quibus graviſſimarum quæſtionum judicium pendebat; nec eſſe æquum, ut ob teſtimonia tam dubia, tam incerta, tot animarum millibus Cæli janua occludatur, confirmando Decreto, cujus obſervatio Religionem in quinque Regnis funditus everteret.

§. III.

HÆc habui quæ in Præfationem Decreti dicerem; venio nunc, Sanctiſſime Pater, ad ipſummet Decretum: Cujus ſtatuta ponderans, ne quid confundam accuratiſſime conabor eorum Analyſim facere; & de ſingulis rationem Sanctitati Veſtræ reddere. Videbit in illis Sanctitas Veſtra multa decerni, quæ minimè opus erat, cum ſemper obſervata eo modo fuerint, quo Illuſtriſs. Patriarcha præcipit: Videbit aliqua ſecus ſtatui, quam graviſſimis de cauſis ab Indiarum Epiſcopis fuerint ſtatuta,

& authoritate Apoſtolica permiſſa : Videbit fere revocari à ſua Excellentia quædam, quæ jam fuerant maximam ob neceſſitatem permiſſa à Synodo Diamperenſi, quam S. Sedes approbavit: Immo ita videbit reſtringi quædam iſtis Miſſionibus à S. Sede conceſſa, ut conceſſiones illæ prorſus inutiles efficiantur: Videbit in multas Dacreti partes obrepſiſſe ex pravà hominum inexpertorum relatione maximi momenti falſitates: Denique in articulis aliquot gravioribus videbit Sanctitas Veſtra rationes ob quas certas conſuetudines poſse permitti, ac tolerari Miſſionarii judicarunt; quantaque ſit neceſſitas eas permittendi, ſi non ſint contra Fidem, bonoſque mores; cum ex illis tot animarum ſalus pendeat; uti nunquam repetere deſinam, & quia verum eſt, & quia non aliam ob cauſam eas defendendas aggredior.

Devenitur ad ſingula Decreti ſtatuta,

OBSERVATIONES.

Secunda Pars Obſervationum.

In ſingula Statuta Decreti ab Illuſtriſs. Patriarcha Antiocheno Viſitatore Apoſtolico in Indiis lati.

CAPUT I.

Verba Decreti.

A Sacramentorum adminiſtratione exordium ſumentes, diſtricte præcipimus, ne in baptizandis tàm Pueris, quàm Adultis cujuſcumque Sexùs, & conditionis omittantur Sacramentalia, ſed omnia palam adhibeantur; & ſignanter Saliva, Sal, & Inſufflatio, quæ ex Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia recepit; & ob recondita in iis Sacris Ceremoniis Divinæ erga nos bonitatis myſteria ſancte, & inviolabiliter cuſtodivit; Decreto Sanctæ Univerſalis Inquiſitionis de anno 1656. pro Sinis facto ob diverſas rationes, & circunſtantias minime obſtante.

Statutum de Ceremoniis Baptiſmi non omittendis, ſed palam adhibendis.

Obſervationes.

HIc mihi tria præſtanda propono Sanctiſſime Pater; primo Sanctitati Veſtræ exponam, quid in noſtris Miſſionibus fiat quoad Sacramentalia Baptiſmum comitantia: ſecundo petam à Sanctitate Veſtra ut pro ſua in illos Chriſtianos paterna charitate permittat, idem deinceps fieri: tertio oſtendam Miſſionarios non ſine authoritate id omiſiſſe, quod omiſerunt.

§. I.

Quid in noſtris Miſſionibus in eo genere fiat?

QVid in noſtris Indicis Miſſionibus fiat, ne colligat quæſo Sanctitas Veſtra ex iis, quæ Illuſtriſs. Patriarcha fieri vetat; ita enim concepta ſunt Decreti verba, ut exiſtimari poſſet, multa fuiſſe omiſſa, quæ nunquam omiſſa ſunt. Vetat primo loco Illuſtriſs. Patriarcha, ne in Baptiſmo adminiſtrando Sacramentalia omittantur: Tunc tantum omnia Sacramentalia omiſere Miſſionarii, cùm adminiſtrari ſolemnis Baptiſmus non potuit: neque id credo prohibet ſua Excellentia; cùm non ignoret, & intra, & extra Miſſiones cauſas interdum occur-

occurrere, ob quas Baptiſmus ſit privatim conferendus, omiſſis Sacramentalibus poſtea ſupplendis: Unde forte non abs re fuiſſet, generalem illam prohibitionem ad Baptiſmum ſolemnem reſtringere: Verum vel ſic minus neceſſaria videbatur tam late patens prohibitio Sacramentalia omittendi, cùm unum tantùm in ſolemni Baptiſmo omittamus, nempe Salivam, ob graviſsimas cauſas Sanctitati Veſtræ poſtea referendas.

Saliva tantum omittitur; ſolæ inſufflationes clam adhibentur.

Secundo loco jubet D. Viſitator, ut omnia Sacramentalia palam adhibeantur: Palam omnia adhibuimus, inſufflationibus exceptis, quas palam adhiberi non poſſe judicatum eſt, eaſdem ob cauſas, ob quas Saliva prætermiſsa fuit.

Satis videri poterant duo illa præcepta generalia, quibus ritus omnes ſingulares comprehenduntur: Sed placuit Illuſtriſs. Patriarchæ de aliquibus ſignanter loqui, nempe de Saliva, Sale, & Inſufflationibus; de quibus cùm nominatim agat, nullus non exiſtimabit, peculiari aliqua de cauſa factum fuiſſe. Erunt forte qui exiſtiment, illa tria omiſſa fuiſſe; & tamen unum tantum omiſſum eſt: alii putabunt, nullum fuiſſe ex illis tribus appellatis, quod vel omiſsum non fuerit, vel ſaltem occultatum;

&

& tamen Salem ſemper adhibuimus; & palam omnibus ſpectantibus, ac ſcientibus adhibuimus.

Sal, cæteraque Sacramentalia nunquam omiſſa fuere.

Placuit etiam ſuæ Excellentiæ ſpeciatim præcipere, ne in baptizandis tàm pueris, quàm adultis cujuſcumque Sexùs, & conditionis Sacramentalia omitterentur. Non videmus quid opus fuerit hæc omnia ſpeciatim commemorare, cùm Sacramentalia Baptiſmum comitantia non magis in una, quam in altera ætate, non magis in uno, quam in altero Sexu, non magis in una, quam in altera conditione prætermittantur, vel occultentur: niſi forte facta Miſsionum Indicarum ex Sinenſibus æſtimavit Illuſtriſs. Patriarcha; id quod iſte locus mihi videtur non obſcurè denotare. Sciebat Illuſtriſs. Patriarcha Miſsionarios Sinenſes petiiſse olim, utrum poſſent abſtinere ab imponendo mulieribus S. Oleum Catechumenorum, Sputum in auribus, Sal in ore; & utrum omnia Sacramentalia in Baptiſmate fæminarum adultarum adhibenda eſſent? Cùm cognoviſset ſua Excellentia Salivam in noſtris Miſsionibus omitti, exiſtimavit forte omitti etiam alia Sacramentalia, præſertim in mulieribus adultis: ideo fortaſſe generalibus verbis præcipit, ut omnia Sacramentalia adhibeantur; ideo videtur

Quod exiſtimaſſe videtur Illuſtriſs. Patriarcha ex Sinẽſi Miſſione?

tur

tur ætatum, Sexuumque mentionem feciſse. Certe cur de Sale ſignanter loquatur, nullam poſsum excogitare rationem, niſi quod ſciret in Sinis de eo fuiſse dubitatum: nam in eo adhibendo tam nullam patiuntur difficultatem Miſsionarii Indiarum, ut à nullo credam optatam fuiſse illius omittendi facultatem. Non multus ero, Sanctiſsime Pater, in eliciendis conſectariis, quæ inde poſsem inferre; Sed me tacente colliget Sanctitas Veſtra, quam Illuſtriſ. Patriarcha à præjudiciis liber non fuerit; quàm non omnia à Miſsionariis cognoverit; quàm parùm fidi fuerint alii teſtes, quàm denique neceſsarium non foret iſtud de Sale præceptum, ut oblatio Gentium fieret accepta.

In duobus igitur fatemur à nobis aliter factum fuiſse, quam Illuſtriſ. Patriarcha jubee; nempe Salivam omiſiſse, deinde Inſufflationes non palam adhibuiſse; atque ut ita fieri deinceps liceat, peto ſupplex à Sanctitate Veſtra trium Miſsionum Tamulicarum nomine, & omnium qui in iis ſunt Chriſtianorum.

§. II.

§. II.

QVam id in illis terris ad bonam Religionis noſtræ exiſtimationem, & populorum ſalutem ſit neceſſarium, cognoſcat Sanctitas Veſtra ex iis, quæ ſuper ea re dicunt Indiarum Epiſcopi: Sic loquitur Illuſtriſs. Indiæ Primas: *Secundum vulnus eſt in Sacramento Baptiſmi Salivam pueris applicare: Sanctiſſime Pater, quo me vertam neſcio; Scio enim hanc Ceremoniam non eſſe de jure Divino; ſciens tamen ſalutem animarum ad jus Divinum in Sanctis Evangeliis proclamatum pertinere: applicatio Sputi impedit converſionem, & ſalutem; eſt enim Sputum apud has Gentes materia immundiſſima, talique horrore, ut Sacramentum illà applicatà deteſtarentur; neque adulti Baptiſmum reciperent; nec patres pueros ad aquam adducerent baptiſmalem: Igitur non ſuppoſita diſpenſatione pro Sinis, debebant Prælati Ordinarii habito conſilio piiſſimam Sanctitatis Veſtræ interpretari voluntatem: hoc fecerunt, ut experientia nobis oſtendit.*

Cur videatur concedenda diſpenſatio quoad Salivam, & inſufflationes.

Rationes exponũt ipſimet Illuſtriſſimi Indiarũ Epiſcopi.

In eandem ſententiam loquitur Illuſtriſs. Cranganorenſis: *Item judicamus inunctionem Sputi non poſſe adhiberi in his Miſſionibus, quan-*

do Baptiſmi Sacramentum ſolemniter admini-ſtratur: Cum enim Orientales Ethnici habeant Sputum tanquam materiam immundiſſimam, adeo ut, ſi Sputo manus tangatur, ad lotionem uſque maneat immunda, & coinquinata; Si hoc Sacramentale adhibeatur, cedet Ceremonia hæc in contemptum Sacramenti; horrore, & nauſea retrahentur Catechumeni, & Infideles nomen auctoris Sacramenti blaſphemabunt. Unde cùm in hoc Sacramentali ſit jam diſpenſatum pro Miſſione Sinica, & in Miſſione Madurenſi appareant non minora fundamenta, judicamus Sacramentale hoc non eſſe adhibendum in hac Miſſione.

Idem viſum eſt Illuſtriſs. Maliapurenſi: *Saliva, inquit, ab iſta gente res viliſſima cenſetur, magis abominanda, ac fœda quam hominis ſtercus; ideo non ſpuunt in Templis, nec in domibus, nec manu Salivam tangunt; & ſi forte tetigerint, ſtatim manus lavant, non ſecus ac ſi rem immundam tetigiſſent. Hinc judicarunt Patres, & Miſſionarii antiqui, fore ut ſi Saliva uterentur in Baptiſmo, vile redderent illud Sacramentum, & nauſeoſum Neophytis, Gentilibus verò ſcandaloſum. Et quia Summus Pontifex jam ab iſto Sacramentali diſpenſarat in Miſſione Sinenſi, cum magis neceſſariæ ſint ratio-*

Nempe quod Saliva cenſeatur apud Indos quibuſvis excrementis ſordidior.

nes in Miſſione Madurenſi, uſi ſunt Miſſionarii eàdem diſpenſatione à pari ratione.

De Saliva ſolum loquuntur Illuſtriſs. Præſules; idem tamen ob eaſdem cauſas de Inſufflationibus dicendum: Nempe illi populi neſcio quo pacto ſibi perſuaſere, os hominis rem eſſe immundiſſimam; à quo quidquid prodit, ſive Saliva ſit, ſive halitus, apud ipſos ſpurcum quid reputatur: Hinc non ſolum vas ori admotum, ut ſupra meminimus, contaminari putant, ſed etiam ſordidam remanere manum quæ illud ad os detulit: ita ut poſtquam aliquid biberunt ſcypho ori admoto, manus cum ſcypho lavanda ſit. Hinc tantà curà Os, & Linguam ſummo mane purgant, & abluunt; hinc omnis munditiei expertes Europæos eſſe judicant, quod in ea parte ſint minus accurati; præſertim vero quod ſpuant in domibus; & parum abeſt quin eos exiſtiment impios eſſe rerum Sacrarum prophanatores, quod idem in Templis faciant: Quod verò ad anhelitum ſpectat, aſſerere poſſum Sanctitati Veſtræ, ita apud illos immundum cenſeri, ut inter agendum cum viro aliquo gravi diligentiſſime caveant, ne eum anhelitu contingant. Teſtis hujuſce rei locuplex eſſe poterit ipſemet D. Viſitator, quicum Indi nunquam certe locuti fuerunt ex medio-

Nec minus ſordidus oris humani halitus.

cri

cri intervallo, quin manu Ori admotâ reſpirationem alio diverterent: nec deſunt exempla quæ demonſtrent adhuc evidentius, quod nunc oſtendere ſatago; ſed ea honeſtas commemorari non ſinit.

A qua opinione inolita deduci nequeunt Indi.

Dedoceri poſſunt illi populi, inquiebat aliquis, & ab ineptis illis opinionibus revocari: Næ parum attendunt qui ita ratiocinantur, quam difficile ſit inolitas opiniones ex hominum, & præſertim Indorum mentibus eripere: Suſciperet aliquis probandum homini Europæo minime ſordida eſſe ea excrementa, quæ Illuſtriſs. Maliapurenſis dicit apud illas Gentes Salivà non æſtimari immundiora? Id ſi homini Europæo perſuaderi poterit, poterit & Indo edoceri Salivam, & anhelitum in Sacris rebus locum habere poſſe.

Nec valet paritas petita ex eo, quod in Oris maritimis evenit.

Nec eſt quod urgeatur, poſse in mediterraneis terris duos illos ritus adhiberi, cùm in Ora maritima adhibeantur: adhibentur fateor, in Oris maritimis: at utinam nunquam ibi adhibita fuiſsent omnia, quæ mores Europæos redolent: Non eo ſe redactos viderent Oræ maritimæ Operarii, ut antiquos Chriſtianos excolant, quin fere ulla fiat novorum acceſſio; infames enim habentur in India, qui Chriſtianam Religionem in Oris maritimis profitentur: Sed

nimirum id non prævidebant, nec verò prævidere poterant primi illarum Orarum Operarii. Uſi ſunt igitur facultate, quam illis dabat Luſitanorum ibi dominantium authoritas ad Evangelium propagandum, Indos noſtris uſibus accommodando. Unde obſervandum eſt, eos ferè ſolos amplexos eſse Fidem, qui morabantur in locis Europæorum ditioni ſubditis; ita ut qui vel una leuca à litore diſtarent, Fidem Europæis uſibus, uti putabant, commaculatam abhorrerent; & Indos eam amplexos tanquam degeneres averſarentur, & deſpicerent; qui deſpectus ad uſque noſtra tempora perſeveravit. Addo facilius etiam fuiſse ad noſtras conſuetudines adducere Macuas, alioſque maris accolas, utpote qui ex Tribubus infimis plerumque nati, multo minus munditia illa Indica gloriantur: At verò in interioribus terris, ubi India, ut ita loquar, adhuc India eſt, ubi nulli Europæi vivunt, ubi conſuetudines noſtræ ſunt horrori; ubi flos Europeæ nobilitatis vilior eſt fæce plebis abjectiſſimà; ubi maius convicium honeſto viro fieri nequit, quam ſi Europæus appelletur; ubi dominantur proſapiæ, quæ maiori ſe munditia jactant; in intimis, inquam, terris, ſi quis aggrediatur probare, Salivam, & anhelitum eſse poſse alicujus rei bonæ, &

Quantum diſcrepent Indi mediterranei ab Indis maritimis inter Europæos degentibus.

ſacræ

ſacræ ſymbolum, hominum dementiſſimus haberetur.

Sed fac obtineri ab illis Indis, ut Miſſionarium eà de re verba facientem audiant; fac id Chriſtianis poſt multas diſputationes utcumque perſuaderi: Cùm ad Idololatrarum aures pervenerit, quæ futura eſt eorum opinio de Catholica Religione? Et ſi Salivam omiſerimus, dixere tamen, & tanquam maximum probrum prædicavere, Chriſtianos Saliva à nobis inungi; quod cùm in vulgus ſpargerent, putabant à ſe non minus Chriſtianam Legem infamari, quam cùm addebant, nos ex humanorum Cadaverum adipe linimenta facere, quibus Catechumenos, & morientes inungamus; atque illis, ſimilibuſque probris, quibus Religionem noſtram proſcindunt, quam multos ab amplectenda Fide deterrent? Quod ſi jam non fictis rebus pugnent, non incertis rumoribus, ſed conſtantibus teſtimoniis exploratum habeant, à nobis Salivà inungi Neophytos, nihil opus illis erit calumnias fabricari. Erit illa veritas in Indorum mentibus cuivis calumniæ æqualis: id nos ipſi negare non poterimus; eritque ſatis illa confeſſio, ut Sacramenta eſse videantur myſteria horrore plena; ut Præcones Evangelii ab omni hominum conſortio, velut immunda

Quam probroſus foret Religioni Salivæ uſus

anima-

animalia arceantur; ut multi Catechumeni ſtatim pedem referant, & plerique à Fide amplectenda revocentur.

Et quam ſaluti animarum Gẽtiliumq; converſioni perniciosſus.

Neque exiſtimandum eſt, illud ſcandalum Phariſaicum fore, & erit ſaltem in pleriſque ſcandalum, ut vocant, Puſilorum, non ex malignitate, ſed ex ignorantia, eaque inſuperabili ortum; infelicitati educationis potius, quam malæ voluntati tribuendum; quodque proinde commiſerationem magis, quam indignationem meretur: Novit enim Sanctitas Veſtra difficillimum eſse, & ſæpe non liberum, deponere opiniones, quas noſtris mentibus educatio, quæ eſt altera natura, impreſſit.

Vſus Salivæ iuris humani tantũ eſt; converſio animarum iuris Divini.

Quæ cum ita ſint, videt Sanctitas Veſtra; quam neceſsaria ſit hujus, quam petimus, facultatis conceſſio; primo ne vileſcat in Indorum animis noſtrorum myſteriorum, totiuſque adeo Religionis maieſtas; tùm ne animarum ſalus grave detrimentum patiatur. Auguſtiſſimæ ſunt quidem Sacræ illæ Ceremoniæ, meritoque ab Illuſtriſs. Patriarcha con mendantur. Verum ſtat nihilominus, id quod obſervat illuſtriſs. Indiæ Primas, Eccleſiaſtici tantum juris eſse uſum Salivæ inungendæ; curam vero ſalutis animarum, idemque dici debet de retinendo Divini Cultùs decore, ad jus Divinum perti-

pertinere. Porro ſiqua eſt occaſio, in qua jus Eccleſiaſticum cedat Divino, in hac certe occaſione videtur poſse cedere: cùm in aliis rebus omittantur præcepta multo graviora ob cauſas minus urgentes: Sicque ex Doctrina D. Thomæ, aliorumq; graviſſimorum Doctorum, prætermittenda eſt Confeſsio, quæ eſt in præcepto, propter ſcandalum Confeſsarii, ſi alia via vitari non poteſt. Quod ſi tam grave præceptum, quale eſt Confeſsionis, omittendum eſt, ut unius Confeſsoris ſcandalum, quod vulgo Pharifaicum foret, vitetur; quanto magis ritus de Saliva adhibenda omitti poterit, ne Baptiſmus propudioſus æſtimetur, & ne tot animæ à Fidè ampleċtenda revocentur.

Apud Voſq. Op. de ſcand. art. 8. dub. 1.

In rebus multo gravioribus cedit Divino ius humanum.

Sacramentalia omnia tùm Baptiſmum, tùm Extremam Unctionem comitantia omitti debent, ſi magnæ ſint temporis anguſtiæ; eadem Sacramentalia Baptiſmi ob baptizandorum multitudinem, ſi urget neceſsitas, omitti poſse concedit Rituale Romanum; in Extrema Unctione mulieribus adminiſtranda, non aliquis ritus accidentalis, ſed una ex Unctionibus, quæ pars integralis eſt Sacramenti, omittitur ſemper honeſtatis cauſa, ideſt, ne aliquis inde ſcandalum ſumat ex malignitate: Ad petitionem Miſsionariorum Sinenſium, reſpondit

Sacramentalia leviores ob cauſas omittuntur.

dit Alexande VII. ex gravi neceſsitate proportionata poſse omitti quædam Sacramentalia in Baptiſmate fæminarum; ac etiam poſse omitti ipſum Sacramentum Extremæ Unctionis. Ait quidem D. Viſitator, iſtud Decretum pro Sinis factum fuiſse ob diverſas rationes, & circunſtantias; id quod nemo negat: at conſtat pariter rationes quas afferimus, & circunſtantias in quibus reperimur, licet diverſas, non tamen minus urgere, minuſque habere ponderis. Enim verò rationes à Miſsionariis Sinenſibus allatæ, iſtæ ſunt: *Incredibilis apud Sinas fæminarum modeſtia, zelus, & laudabilis ab omni virorum non ſolum congreſſu, ſed & aſpectu, fuga; qua in re niſi magna adhibeatur à Miſſionariis cautèla, ſcandalum ingens Sinis datur, totaque Chriſtianitas evidentiſſimo periculo poſſet exponi.* Rationes quas afferimus, eæ ſunt, quas ſupra Sanctitati Veſtræ memorarunt Indiæ Præſules; Incredibilis horror quo Indi Salivam, & Oris halitum proſequuntur; inolita apud ipſos opinio duas illas res non minus immundas eſse, quam quævis excrementa: ex quo ſequeretur primo quidem ingens contemptus Baptiſmi, totiuſque Religionis, quam ſordidiſſimam eſse putarent: deinde ingens ſcandalum, quo multi ab amplectenda Fide averterentur; &

Non graviores ob cauſas diſpenſatum eſt cum Sinenſibus Miſſionariis, ut quædam Sacramentalia ipſaque Extrema Unctio omitti poſſent.

Infide-

Infideles excitarentur ad Miſsionarios è ſuis terris eliminandos, totamque Religionem in illis regionibus evertendam. Nulla ex parte inferiores ſunt iſtæ rationes illis, quas propoſuerunt Miſſionarii Sinenſes: Unde confidimus S. Sedem conceſſuram Indis, quantum Sinis conceſſum eſt, ſi neceſſarium eſſet: At non petimus Sanctiſſime Pater, nobis concedi, ut liceat Sacramentum Extremæ Unctionis omittere, quod certis occaſionibus poſſet eſſe ſaluti perneceſſarium; nec poſtulamus ut plura Sacramentalia omitti queant; hoc unum petimus, ut liceat nobis Salivam omittere; & ut non teneamur admonere Circunſtantes de Inſufflationibus, ſed ita illas facere, ut non animadvertant.

Neque hujus facultatis conceſſioni obſtabit Illuſtriſs. Patriarcha; nam quamvis de ea concedenda eum fuiſſe maxime alienum Decreti verba indicare videantur; cum tamen ei rationes præcipuæ ex iis, quas ſupra retuli, exponerentur; adeo graves ipſi viſæ ſunt, ut promiſerit ſe illam facultatem ad tres annos eſſe conceſſurum, donec poſſemus ampliorem à Sanctitate Veſtra conſequi: immo dubito, num nocte profectionem antecedente, cum ſuæ Excellentiæ in memoriam revocavimus, quid pro-

Et ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha diſpenſaturum ſe promiſerat: imo dubito an re ipſa ultima nocte diſpenſarit.

miſiſſet; dubito, inquam, num eam facultatem verbo conceſſerit: Ut ut eſt, cum eam promitteret, ſatis declaravit, magnam eſſe illius concedendæ neceſſitatem; ita ut ſic decreviſſe videatur potius ad res in communi Eccleſiæ ſtatu componendas, donec facultas obtineretur, quam ad diffiniendum, illam facultatem neceſſariam non eſſe. Sic liceat promiſſionem memoratam cum Decreti prohibitione componere. Miſſionarii igitur trium Indicarum Miſſionum ad Sanctitatis Veſtræ pedes proſtrati iterum atque iterum rogamus pro ardentiſſimo zelo, quo Sanctitas Veſtra flagrat, ſalutis animarum, & Divini Cultus in ſua maieſtate retinendi deſiderio, ut facultatem tantopere neceſſariam ad Divinæ Gloriæ augmentum, novis illis Miſſionibus non deneget.

§. III.

SEd quia Sanctitas Veſtra & ſi videat ſummam fuiſſe neceſſitatem in illis Miſſionibus eo modo agendi, quo actum eſt, ægre tamen ferre poſſet, quod inconſulta S. Sede Miſſionarii ita egerint, referam hìc paucis, quæ ad illos excuſandos facere poſſe videntur.

Ac primo quidem quod ad Inſuflationes attinet,

tinet, cum nunquam omiſsæ fuerint, credo non opus eſſe Miſſionariorum apologiam ea de re ſcribere: Nam quo Eccleſiæ præcepto cautum eſt, ut palam ille ritus adhibeatur? Vel quonam prohibitum, ne ita fiant illæ Inſufflationes, ut adſtantes non advertant? Præſcribit quidem Rituale Romanum, ut in Sacramentorum adminiſtratione eorum Virtutem, uſum, ac utilitatem, & Ceremoniarum ſignificationes, ut S. Concilium Tridentinum præcipit, ex SS. Patrum, & Catechiſmi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, Parochus diligenter explicet; in quo per Dei gratiam negligentes non fuerunt Indiarum Miſſionarii, qui licet baptizandorum multitudine ſæpius obruti, non modo ea non omiſere, quæ Romanum Rituale omitti permittebat; ſed ſuo ſæpe maximo incommodo Ceremoniarum explicuere ſignificationes; earum dico de quibus edoceri Indi poterant; non vero duarum iſtarum, quas non ſolum non poterant commode edoceri, ſed quarum mentio ipſis ſcandalum graviſſimum fuiſſet. Cum igitur de adhibendis palam Inſufflationibus nullus extet Eccleſiæ Canon, non videbatur nobis necesſarium, ut de eo S. Sedes conſuleretur; ac proinde Miſſionarii videntur eſse prorſus extra culpam; immo putant

Miſſionarii nulla lege tenebantur inſufflationes palam adhibere.

habere aliquem conquerendi locum, quod novum illud præceptum Illuſtriſs. Patriarcha illis imponat, & quidem ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda; quam tamen poſtea ſuſtulit; & qua Cenſuræ adjunctione ſatis ſua Excellentia declarabat, contra hoc ſui Decreti Statutum non poſse fieri à Miſſionariis ſine peccato mortali. Præceptum illud rigidius videri poſset, ſi nulla foret iſtius ritus abſcondendi neceſsitas: At vero cum iſta tanta ſit, ut dubitare Miſsionarii jure poſsint, an non peccatum mortale ſit, ritum illum palam adhibere, quo Baptiſmus Infidelium horrori, ac ludibrio exponeretur; videt profecto Sanctitas Veſtra quantas in anguſtias nos conjiciat pars iſta Decreti.

Mirum eſt de palam adhibendis inſufflationibus legem ſub gravibus cenſuris ab Illuſtriſs.

Salivæ omittendæ facultatem ab Indiarum Epiſcopis fuiſse conceſsam, teſtatur Illuſtriſs. Indiæ Primas: & confirmari poteſt ex eo quod legitur in Tractatu manuſcripto à Reverendiſs. D. Franciſco Roz Archì-Epiſcopo quondam Cranganorenſi elucubrato; cujus initio teſtatur, Madurenſis Miſsionis inſtitutum ſua authoritate, quamplurimorumque Theologorum aſsenſu cæptum fuiſse: & ex alio Tractatu pariter manuſcripto, cujus Auctor P. Robertus de Nobilibus reſpondens cenſuris duabus contra

Salivæ omittendæ facultas ab Epiſcopis data fuerat, teſte Illuſtriſs. Primate Goano,

ſe

ſe Goæ latis, ſic habet: *Si quid ad bonum Converſionis peractum eſt in Miſſione Madurenſi, quod in Ora Piſcariæ, & in aliis partibus non ſit; illud non ego, ſed hujus Eccleſiæ Paſtor, & Ordinarius inſtituit.*

Quod ſi à me petatur probatio alia evidentior, qua authentice conſtet, talem ab Illuſtriſs. Epiſcopis datam fuiſse poteſtatem, ut in ſimili argumento petebat Illuſtriſs. Patriarcha, exponam ſemel quam parum æqua ſit ejuſmodi poſtulatio; & occaſione ea referam, quæ aliquam forte Sanctitati Veſtræ movebunt commiſerationem erga afflictiſsimam conditionem Miſsionariorum tum in intimis terris, tum in Oris maritimis commorantium. Qui in terris interioribus verſantur, tam continuis inſectationibus, ſpoliationibus, incendiiſque obnoxii ſunt, ut nulla omnino acta poſsint ſervare; nihilque omnino ibi habere, niſi quo carere non poſsunt, veluti Sacrificii, & Sacramentorum Supellectilem, Breviarium, aliaque ſimilia, quorum ſæpe jacturam patiuntur: Itaque ſiquæ ſint, quæ nolint amittere, ea neceſse eſt ad Oras maritimas amandare.

Nihil immutatū fuit in Miſſionibus ſine facultate Ordinariorum.

Iniquum eſt petere facultates illas authenticas, cum in Miſſionibus ſervari nequeant.

Antequam Holandorum potentia tantum creſceret in Indiis, quantum ſummo Religionis Catholicæ damno excrevit, habebat Pro-

vincia

vincia Malabarica Societatis JESU archivium tutum Cocini, quæ Urbs eſt Oræ Malabaricæ: obſeſſo ab Holandis Cocino, cum non fuiſſet data poteſtas aſportandi, niſi quæ ferre ſecum quiſque poſſet, Imagines, reſque aliæ Sacræ, quæ auferri non poterant ingenti omnium comploratione combuſtæ ſunt: ea ipſa quæ quiſque geſtabat, quæque ex pactis rite conſtitutis auferre poterat, ſolita hæreticorum fide, in litore ſublata ſunt: Sicque perière præcipua, ac fere omnia illius Provinciæ monumenta. Ex eo tempore nullum habuimus in Oris locum, qui Gentilium, Mahometanorum, Hæreticorum ſpoliationibus non pateret: Selectum tamen eſt Oppidum quoddam in Orà Piſcaria, Corquenium dictum; in quo Societas tugurium habebat veriùs, quam domum: Ibi velut in præcipua Provinciæ domo Oræ Piſcariæ Rector commorabatur; ſervabatque iterum Acta aliqua, ſive antiqua, ſive nova: Cum ecce adſunt Mauri armata manu, domum ſpoliant, & ſpoliatam flammis abolent, unaque cum domo quidquid ibi rerum ſcriptarum erat. Anno 1704. cum convocata fuiſſent Provinciæ Comitia ad eligendum qui Romam ſolito de more mitteretur, cum conveniſſemus in Oppidum dictum *Toppo* in quo ædificiolum paulo

Nec in Oris maritimis, ubi ter archivia exuſta, aut diruta fuere Infidelium furore.

paulo commodius exiguo ante tempore cæptum fuerat, in illud impetum fecere Ethnici, & eodem modo vaſtavere, quo altera Corquenii domus à Mahometanis vaſtata fuerat: illic multa ſcripta abſumpta fuere, quæ pertinebant ad Miſſionum Indicarum uſus: Nam cum ſciremus de illis quæſtionem inſtitui à D. Viſitatore, admoniti ſinguli Patres fuerant, ut ſecum adferrent, ſi quid haberent, quod ad illam cauſam ſpectaret. Periere illìc multa Thologorum etiam Romanorum reſponſa, quæ ad cauſam hanc defendendam me plurimum juvare potuiſſent. Si extarent ea omnia, tum quæ Cocini, tum quæ Corqueni, tum quæ Toppi deflagrarunt; non dubito equidem quin evidentius probari poſſet, datam fuiſſe ab Epiſcopis facultatem Salivæ omittendæ: Nunc cum pleraque Acta Miſſionum illarum perierint, inſtar Actorum omnium nobis erit Illuſtriſs. Indiæ Primatis teſtimonium aſſerentis, illam facultatem ab Epiſcopis datam fuiſſe: qua conceſſa, Miſſionariorum non erat expendere, utrum ex ſua dignitate, & officio, utrum ex S. Sedis reſponſis ſatis ad id authoritatis haberent.

Primo Cocini, deinde in Oppido Corquenio, noviſſimeq; in Oppido Toppo.

Vbi egomet multa perdidi ad hanc cauſam utilia.

Hanc puto veram fuiſſe cauſam cur primi Miſſionis Fundatores Salivam prætermiſerint: nam

nam quod ſpectat ad Decretum S. Univerſ. Inquiſitionis latum an. 1656. quo non obſtante vult Illuſtriſs. Patriarcha Salivam adhiberi; Si illud conſideretur ut privilegium ab Alexandro VII. Sinis conceſſum, nunquam exiſtimarunt Miſſionarii, licere ſibi privilegio aliis Miſſionibus conceſſo uti: at vero ſi ſpectetur tanquam reſponſum à S. Inquiſitione profectum, & à Sum. Pontifice approbatum, quo generatim pronuntiatur: *Ex proportionata neceſſitate poſſe aliqua Sacramentalia omitti*; non nego, quin illo Decreto Indiæ Miſſionarii in antiquo uſu ab Epiſcopis conceſſo confirmati fuerint; cum perſpicuum foret, pluſquam proportionatam cauſam, & neceſſitatem eſſe Salivæ omittendæ. Uſi ſumus etiam illo Decreto ad movendum hoc exemplo D. Viſitatorem, ut cum ſaltem tanta ſit in noſtris Miſsionibus neceſſitas Salivæ omittendæ, quanta in Sinis omittendi quædam Sacramentalia, ipſumque Extremæ Unctionis Sacramentum, facultatem illam nobis concedere dignaretur: quam cum ſua Excellentia promiſiſſet, tale Statutum ſuper Saliva adhibenda non ſperabamus.

Decreto ab Alexandro VII. lato, qua privilegium eſt, uſi non ſunt Miſſionarii; Sed qua eſt generalis definitio?

Præterea ſi verum rerum ſtatum ſua Excellentia cognovit, ignorare non potuit, quantus

ex illius Ceremoniæ aſpectu Baptiſmi horror eſſet conſecuturus, quanta animarum ruina: Id ſi ſua Excellentia cognovit, qua ratione fieri potuit; ut id præciperet, quod tam damnoſum eſſe perſpiciebat? Sed quamquam adeo damnoſum non foret; illud certe conſtat, potuiſſe ſine peccato lethali Miſſionarios, interea dum expectaretur S. Sedis facultas, Salivam ex epicheia omittere. Vix, ac ne vix quidem peccati lethalis damnaretur Parochus, qui illum ritum ob multitudinem baptizandorum præteriret: & tamen ſub gravi Cenſura vetabat Illuſtriſs. Patriarcha multo graviores ob cauſas præteriri; quamvis non ſoleat Eccleſia ſub illa gravi Cenſura vetare, aut præcipere, niſi quæ ſine lethali peccato fieri, aut omitti nequeunt. Denique ſciebat Illuſtriſs. Patriarcha Miſſionarios coram Deo judicare, non poſſe Salivam adhiberi ſine peccato gravi ob ſcandalum ſecuturum, & ob reverentiam Sacris Myſteriis conciliandam; & tamen eam adhiberi diſtricte præcipit. Quo ſe Miſſionarii vertent in tantis anguſtiis, niſi ad Sanctam Sedem Apoſtolicam; quæ conceſſa illius ritus omittendi facultate, & Miſſionariorum perplexitatibus, & Sacrorum Myſteriorum maieſtati, & animarum ſaluti providebit.

Si verum rerum ſtatum novit Illuſtriſs. Patriarcha, mirum eſt, eum ſic decreviſſe de Saliva.

Non videbatur peccatum Cenſurà dignum Salivam omittere.

Immo putabant Miſſionarii à ſe non poſſe adhiberi ſine peccato mortali.

CAPVT II.

Verba Decreti.

Statutum de nomine baptizandis imponendo.

ITem præcipimus ut juxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſemper imponatur baptizando à baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano deſcripti; omnino interdictis nominibus Idolorum vel falſæ Religionis Pænitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophyti hactenus appellari conſueverant, antequam per Baptiſmum eſſent Divinæ Gratiæ renati.

Obſervationes.

DVO hìc præcipit D. Viſitator, primò quidem ut ſemper imponatur baptizandis nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano deſcripti; alterum, ut ne imponantur Idolorum, aut falſorum Indiæ Pænitentium nomina: de utroque ſeorſim paucis agam.

§. I.

§. I.

QVantum ad primam articuli partem attinet, rurſus duo in eà diſtingui poſſunt: Uult enim Illuſtriſ. Patriarcha ſemper alicujus Sancti nomen imponi; deinde alicujus Sancti, cujus nomen in Martyrologio Rom. deſcriptum ſit; ita ut iſti præcepto nequaquam ſatisfeciſſe cenſendus foret, qui alicujus Sancti nomen imponeret, ſi illud in Martyrologio Rom. non legeretur.

Hoc primum, teſtor Sanctitati Veſtræ Miſſionarios obſervaſſe ſemper id, quod Rituali Rom. præſcribitur; ut quatenus fieri poteſt, baptizandis imponantur nomina Sanctorum; quorum exemplis Fideles ad bene vivendum excitentur, & patrociniis protegantur: Non diſſimulabo tamen relicta fuiſse interdum alia: Eſt qui vocetur *Alangàram*, ideſt, ornatus; *Maduràm*, id eſt, dulcedo; *Pragàjam*, ideſt, Lux, *Mànicam*, ideſt, Lapis pretioſus; aliaque ſimilia nomina inducta fuere; nonnunquam Virtutum, aut ſumptorum ex Virtutibus epithetorum nomina, quibus veluti admonentur, ad illarum virtutum conſecutionem anhelare. Videri poterat hanc Ritualis Rom. regulam ſa-

Miſſionarii ſecuti ſunt Rituale Romanum, & nomina Sāctorum quatenus fieri potuit, impoſuere.

tis eſſe Miſſionariis: at D. Viſitator eam in diſtrictum præceptum immutavit, ſublato etiam illo temperamento, quod in Rituali Rom. legitur; *quatenus fieri poteſt*; quodque maius eſt, illi præcepto Cenſuras Eccleſiaſticas adjunxerat: qua adjunctione declaravit, ſine peccato lethali non poſse Miſſionarios alia, quam Sanctorum nomina imponere: illud tamen meo quidem judicio non exiguam difficultatem patitur; nam vel exiſtimandum eſt ante Decretum latum id fuiſse peccatum, vel licet antea non foret, per Decretum ſub gravi peccato præcipi.

Ante Decretum Illuſtriſs. Patriarchę peccatũ lethale nõ erat alia nomina imponere, quã Sanctorum.

Cenſebimus ne ante Decretum peccatum lethale id fuiſse? Quis Theologus adeo ultra modum ſeverus id aſseret? Quæ lex, quæ conſuetudo tam graviter obligans eà de re exiſtit? Europa plena eſt nominibus, quæ in Sanctorum albo nunquam reperiuntur, quin Eccleſiæ Miniſtri ſe peccare exiſtiment; quin Epiſcopi, & ipſa S. Sedes, cui id ignotum eſse nequit, illos Miniſtros peccati lethalis incuſet. In Catalogo Epiſcoporum, qui in Sacro Concilio Tridentino interfuere, legimus fuiſse qui Triſtanus, Horatius, Fabius, Galeatius, Beliſarius, Annibal, Romulus, Spinellus appellarentur: In Eminentiſſ. Cardinalium, ipſorumque Sum.

Ponti-

Pontificum nominibus idem videre eſt: Quam multi præterea Sanchi, Maximiliani, Cæſares, Camilli, Scipiones, Hectores, Vaſci, Giles, Childerici, Federici, Fabricii, Stacii, qui nullos, quod ſciam, habuere ſui nominis Sanctos: Quid loquar de multis Sanctis, qui his ultimis Sæculis in Sanctorum numerũ relati ſunt? Ante S. Tereſiam, nullus Sanctus eo nomine fuit: & ut in ipſo Illuſtriſs. Patriarchæ nomine exemplum ponam, ante S. Carolum Borromæum, nullus Carolus pro Sancto legitime agnitus: Exiſtimandine ſunt peccaſse, & quidem lethaliter, qui ſummos illos Viros baptizarunt? Nemo credo id dixerit: quod ſi in Europa ſine gravi ſaltem peccato Parochi à laudabili illa conſuetudine non raro diſcedunt, eratne peculiaris aliqua ratio in Indiis, ob quam peccare lethaliter in eo cenſendi forent?

Innumera alia in Europa ſine peccato lethali imponuntur.

Jam ſi ante D. Viſitatoris Decretum ſine peccato imponi interdum alia nomina poterant, quam Sanctorum; quæ cauſa haberi potuit ab Illuſtriſs. Patriarcha, cur id in tam grave præceptum tranſire voluerit? Nullam equidem poſsum excogitare. Contra video in novis illis Miſſionibus ſæpius, quam alibi rationes occurrere, cur ab eo uſu diſcedere cogantur Miſſionarii: Nam in Europa ſi Camillorum,

Non videbatur res eiuſmodi ſub cenſuris, ideſt, ſub peccato lethali, Decreto præcipienda.

rum, Hectorum, Scipionum nomina expetuntur, ideoque vulgo conceduntur, quod illud familiæ, & Patrini enixe poſtulant; in Indicis Miſſionibus eadem cauſa ſæpe occurrit; aliaque convenientior, quod nempe adulti qui baptizantur, jam aliis, iiſque honeſtis nominibus donati reperiuntur, quibus appellari antea conſueverunt, ſub quibus noti ſunt, & quibus etiam poſt Baptiſmum, velint, nolint, appellabuntur. Si ob eas, ſimileſque cauſas nomen aliquod honeſtum Neophyto relinquatur, vel imponatur, fatendum eſt, rem eſse minime malam neque ex ſe, neque ex circunſtantiis, ac proinde minimè ſub gravi præcepto, & multo minus ſub Cenſuris prohibendam.

Multo minus ut omnia nomina ex Martyrologio Romano peterent.

Hìc tamen non hæſit Illuſtriſs. Patriarcha, præcipit præterea, ut ſemper imponatur nomen alicujus Sancti in Romano Martyrologio deſcripti: Non omnes Sanctos in Martyrologio deſcriptos eſse, ſatis conſtat, vel ex ipſa clauſula, quæ ad quotidianam Martyrologii lectionem habetur: Conſtat quoque ex Sanctorum Actis; Conſtat ex eo, quod ibi non legantur eorum omnium nomina, quibus Beatorum titulum Eccleſia conceſsit: Conſtat denique ex eo quod ibi non reperiantur nomina aliqua Patriarcharum, de quorum Sanctitate Sa-

cra

era Scriptura teſtatur. Quid ſi aliquorum ex eo numero Sanctorum nomina Neophytis Miſſionarii imponant, Adami verbi gratia; peccatum commiſiſſe cenſendi erunt, & peccatum, quod ſuſpenſione à Divinis dignum videatur? Vereor ne parum reverenter de Illuſtriſs. Patriarcha loqui videar, ſi talem habuiſſe mentem dixero: at alia ex parte vereor, ne alienos ſenſus illi affingam; cum ipſemet aſſerat, ea omnia, & ſingula, quæ Decreto continentur authoritate Apoſtolica juberi, & prohiberi ſub pænis jam ante memoratis.

§. II.

PAulo gravior videri poterit altera pars hujus articuli, in qua ſua Excellentia omnino interdicit nomina Idolorum, vel falſæ Religionis Pænitentium, quibus ante Baptiſmum Neophyti nuncupabantur: Verum illa Decreti pars & minus neceſsaria erat, & nimium adhuc ſevera videri poterit. Minus neceſſaria fuit, nam nullus unquam Miſſionarius, quem ſciam, tale nomen impoſuit; nullus non mutavit iis, qui jam habebant, ut aliquo meliori donarentur. Id Illuſtriſs. Patriarchæ conteſtatus eſt de ſe ipſo P. Venantius Bouchet;

Miſſionari. nunquam impoſuere aut reliquere baptizatis Idolorū nomina.

cui

cui neſcio, utrum ſua Excellentia fidem in eo negarit; an verò licet crederet, ad maiorem cautelam id aliis præceperit: Quod ultimum ſi verum eſt, optaſſemus, id ſua Excellentia indicaſset, ne quotquot Decretum lecturi ſint, exiſtiment omnes, & ſingulos Decreti articulos totidem remedia eſſe deprehenſarum in illis Miſſionibus neceſſitatum. Fateor equidem poſt nomen novum in Baptiſmo acceptum, Neophyti interdum prioribus nominibus vocitari, præſertim à Gentilibus, qui veteri nomini aſsueti ſunt, & recenter inditum ignorant: at qua ratione Miſſionarii id impedire poſsunt?

Eſto adulti priori nomine ex aſſuetudine vocentur, id impediri nequit.

Addidi nimium ſeverum nonnullis videri poſse iſtud D. Viſitatoris præceptum; nam licet aliquando ea falſorum Deorum nomina non immutaſsent Miſſionarii, nihil in eo feciſsent, quod non ipſi Apoſtoli, Apoſtolorumque Diſcipuli feciſse legantur: Quam multis Dyoniſiis, ſeu Bacchis, Hermetibus, ſeu Mercuriis, Dioſcoris relictum nomen à Gentilium falſis Diis petitum: Id licuiſse aiebat Illuſtriſs. Patriarcha ante Sacros Canones: At quinam ſint illi Sacri Canones quibus talis uſus in nova Chriſtianitate prohibeatur, nondum reperi. Ea de re agens Vaſquez, Author

ſane

ſane eruditus, Canones nullos refert, niſi trigeſimum nonum ex Nicænis Arabicis, quos nemo ignorat, non eſſe indubitatæ authoritatis: Crediderimque nihil aliud ea de re vigere, quam quod in Rituali Romano habetur; curandum eſſe Parocho, ne obſcæna, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur: quod non adeo putem diſtricte præcipi, ut Parochus lethaliter peccaſſe cenſeatur, qui familia magnæ authoritatis petente nomen Dianæ, Phœbi, Herculis, conceſſerit; cum non deſint exempla ejuſmodi nominum, quæ Principes aliqui viri in Europa geſſerunt, & adhuc gerant: ut nihil dicam de nominibus Ethnicorum; quorum prope infinitum eſſe numerum cuique notum eſt. Quod ſi in Europa id juſtis de cauſis interdum permittitur; videtur multo magis in novis Miſſionibus tolerandum; ubi immutatio nominis vulgo non impedit, nec impedire poteſt, quin antiquo nomine baptizati plerumque nuncupentur; & ubi abſconditæ Fidei neceſſitas facit aliquando, ut acceptum in Baptiſmo nomen evulgari nequeat; immo cogit acceptum jam diſſimulare, ſi ejuſmodi ſit, ut ex illo Chriſtianus eſſe dignoſcatur præcipuè cum Indi nulla habeant co-

De Baptiſmo.

Peccatum lethale non erat nec cẽſura dignum Neophytis relinquere ſua nomina licet è falſis Diis petita.

gnomina, quibus vocari poſsint ſaltem perſecutionum tempore. Igitur ante Illuſtriſs. Patriarchæ Decretum potuit interdum Chriſtianis permitti ſine peccato lethali, ut prius nomen, etiam ſi Idoli foret, retinerent; cumque nullæ rationes ſingulares in Miſsionibus occurrant, cur id magis illìc, quam alibi repugnet; immo cur repugnet minus; Sequitur ulterius paulo ſeveriorem fuiſse D. Viſitatorem in iſto præcepto ponendo ſub pæna ſuſpenſionis latæ Sententiæ: Sed cum, ut dixi, à ſolito, magiſque laudando Eccleſiæ uſu non receſserint Miſsionarii, ſuper ea re non fuſius diſputabo.

Similia nomina tempore Apoſtolorũ uſitata, & etiam nunc in Europa nulla lex Eccleſiaſtica vetat id ſub lethali.

CAPUT III.

Verba Decreti.

NEc Parochis, ſeu Miſſionariis ſub quovis prætextu liceat Sanctæ Crucis, Sanctorum, & rerum Sacrarum nomina per translata mutare, nec alio idiomate explicare, niſi Latino, vel ſaltem Indico; quatenus voces ejus regionis latinæ ſignificationi liquido, & adamuſsim reſpondeant.

Statutum de nominibus S. Crucis, Sanctorum, aliarumque rerum Sacrarum.

Ob-

Obſervationes.

VT ordine procedam, primo de S. Crucis nomine agam; tum diſcutiam utrum ſit ſatius latinis vocibus uti, quam Indicis; deinde de nominibus Sanctorum tractabitur; poſtremo de nominibus aliarum rerum Sacrarum.

§. I.

S. Cruc's nomen accuratum, & ab ipſo Apoſtolo S. Thoma inductum in Indias.

SAncta Crux in noſtris Miſſionibus appellatur *Xiluvei* quæ tam propriè, tam unicè Sacrum noſtræ Redemptionis lignum ſignificat, quam ipſa Vox latina Crux, aut Græca Stauros. Eſt illud vocabulum in Indiis conſecratum perpetuo uſu Chriſtianorum S. Thomæ, qui cultum S. Crucis vel in ſuo ſchiſmate retinuerunt; eamque appellationem procul dubio ab ipſo Apoſtolo S. Thoma acceperunt. Vocabulum illud uſu communi receptum cum inveniſſet D. Alexius de Menezes, Illuſtriſs. Primas Goanus, Vir immortali laude dignus ob illam Thomæorum Eccleſiam laboribus, & ſumptibus immenſis ſchiſmate purgatam, & Catholicæ Eccleſiæ reconciliatam; licet alia

aliquot nomina proſcripſerit in Synodo Diamperenſi, iſtud tamen reliquit intactum: immo dubium non eſt, quin adhibitum fuerit in Actis illius Synodi; eoque adhuc utuntur Chriſtiani illi S. Thomæ; & cum iis Miſſionarii qui inter eos verſantur à S. Cong. de propaganda Fide miſi. Unde, ni fallor, nihil eſt, quod in illius vocis uſu Cenſores ſeveriſſimi poſſint reprehendere; cum imperatis ab Illuſtriſs. Patriarcha regulis omni ex parte conveniat.

Vetat ſua Excellentia ne S. Crucis nomen per translata mutetur; nulla hic mutatio, nulla translatio; vetat, ne alio nomine explicetur niſi latino, vel ſaltem Indico: Vox *Xiluvei* Indica eſt, ſi non prima origine, quæ incerta eſt, ſaltem perenni ſeptemdecim ſæculorum adoptatione. Uult Illuſtriſs. Patriarcha vocem Indicam non admitti ad S. Crucem deſignandam, niſi latinæ ſignificationi liquido, & adamuſsim reſpondeat: Vox Indica *Xiluvei* voci latinæ Cruci tam liquido reſpondet, ut omnes, & ſinguli ſive trium Miſsionum, ſive S. Thomæ Chriſtiani interrogati, quid ſignificet vox *Xiluvei*, abſque ulla dubitatione reſponſuri ſunt, ſignificare Crucem: ita denique adamuſsim duæ illæ voces quadrant, ut neutra ſignificationem habeat lato ungue maiorem, vel minorem.

De

De hac accepta S. Crucis appellatione cum plene cognoverit Illuſtriſs. Patriarcha, non poſſum conjicere cujus neceſsitatis, cujuſve utilitatis fuerit iſtud præcipere.

§. II.

Videtur optaſse Illuſtriſs. Patriarcha, ut tum S. Crucis nomen, tum alia ad Religionem pertinentia è Latina lingua ſumpta fuiſſent; idque non obſcure indicat, cum ait; & ne alio idiomate, quam latino, vel ſaltem Indico nomina Sanctorum, rerumque Sacrarum efferantur: quod tamen ſua habet, eaque graviſsima incommoda: Nam primo cum latinæ voces apud Indos nihil omnino ſignificent, minime idoneæ ſunt ad rerum Sacrarum cognitionem ingerendam; niſi poſtquam multoties diffinitæ, & explicatæ longo uſu innotuere, & veluti Indicæ factæ ſunt; quod in paucis aliquot vocibus fieri quidem poteſt, & re ipſa in Indicis Miſſionibus factum eſt; in multis vero fieri nequit: tunc enim impoſſibile foret Miſſionarium de rebus Divinis agentem à Neophytis, & multo minus ab Infidelibus tali linguæ inaſſuetis intelligi; niſi ſermo aſſiduis, importuniſque vocum difinitionibus interpolaretur.

Non expedit uti latinis vocibus, quia apud Indos nihil ſignificant.

Se-

Secundo quemadmodum multæ ſunt voces Indicæ, quæ ab Europæis nunquam fere pronuntiabuntur; ita multæ ſunt latinæ, quæ nequeunt proferri ab Indis: aliæ vero ita miſere deformantur, ut vix aliquod retineant latinæ originis veſtigium: id quod Puducherii experti ſunt aliqui, tempore, quo ibi aderat Illuſtriſs. Patriarcha: nam cum ex Catechiſta quodam, qui Paulus dicebatur, percontati eſſent, quo modo vocaretur; ille ita nomen ſuum protulit, ut divinari non poſſet, utrum latinam haberet originem. Ob hanc pronuntiationis vitiatæ rationem legimus Miſſionarios Sinenſes, licet aliis in rebus plurimum diſcordes, in eo tamen convenire, ut à Dei Optimi, Maximi nuncupatione excludantur Europæa nomina; quæ non niſi barbaro quodam modo Sinicis litteris, & vocibus exprimi poſſunt.

Et quia ab Indis proferri vix poſſunt.

Tertio accedit quod ſi Sanctorum nomina latina inducantur, vix poterunt baptizatis imponi, tum ob multas alias cauſas, tum quod ex iis nominibus agnoſceretur, eos qui ita nominarentur eſſe Chriſtianos, & ab Europæis ea nomina recepiſſe: Cognoſceretur eſſe Chriſtianos, eo quod ſoli Chriſtiani ea nomina gererent: unde illud latinum nomen habere, idem eſſet, ac publicum ſignum geſtare ſuæ Fidei;

Et quia ex latinis nominibus Chriſtiani in perſecutione noſcerentur.

Fidei; idque omni occaſione, & loco, ipſoque tempore perſecutionis; quo ſæpe licitum, aliquando vero conſultum eſt, Fidem ſuam occultare: tunc tamen non magis poſſet à Chriſtiano occultari, quam ipſum nomen, quo eſſet omnibus notus. Cognoſceretur ab Europæis impoſitum ei fuiſſe illud nomen: Nam Gentiles non ignorant, quæ nomina imponere ſoleant Parochi in Ora maritima Indis Neophytis: Si nos eadem imponamus, inferent, Chriſtianorum Magiſtros ex eadem eſſe gente: quod ubi intulerint, publicus in nos, noſtramque Religionem horror excitabitur; expellemur à Principibus; & damno non reparabili Religio Chriſtiana expulſis Paſtoribus paulatim interibit.

Et Miſſionarii Europæi eſſe convincerentur.

Quarto at incommodum longe graviſſimum eſt, quod latinæ Voces, aut nihil, aut parumper, ut fit, immutaræ in ore Indorum coincidant ſæpe cum Indicis vocabulis res impias, ridiculas, ſordidaſque ſignificantibus: quod memoriæ proditum contigiſſe etiam in Japonia temporibus S. Franciſci Xaverii, qui ideo hanc vocem, Sancte, in Litaniis mutare coactus eſt, quod lingua Japonica rem turpem ſignificaret. In India vero ſæpe fit, ut Sanctorum nomina prorſus conſona ſint Idolorum nominibus; tan-

Et quia latinæ voces nominibus Idolorum ſæpe conſonæ ſunt.

toque

toque difficilius id cavetur, quod innumera prope ſint Idola, & Idolorum nomina: Sacrum ipſum Mariæ Nomen à cujuſdam fictæ Deæ nomine uno tantum accentu differt: Vocatur illud Idolum communiter *Màriamey*; in quo Mària eſt ipſum Idolum; *Amey* particula eſt, quæ in fæminarum nominibus ſubjungitur: Itaque mulier Chriſtiana cui impoſitum fuerit Mariæ nomen, *Màriamey* ſæpe appellabitur; perinde fere ac ſi à nomine Idoli ſumptum eſſet ejus nomen. Simile quid evenit in nomine S. Apoſtoli Thomæ, quodque noſtris in Miſſionibus latine, ſed luſitanica inflexione profertur, quod indebito ſono tantiſper immutatum rem ſordidam Indicè ſignificat, nempe ſecundinas, aliaſque ſordes, quas in partu mulieres ejiciunt. Ob eas cauſas factum eſt, Sanctiſſime Pater, ut non niſi pauca latina nomina in Miſſionibus mediterraneis adhibendæ judicarint antiqui Miſſionarii; atque utinam pauciora inducta fuiſſent. Certe ſi hæc quæ modo Sanctitati Veſtræ retuli, Illuſtriſs. Patriarchæ nota fuiſſent, credo eum potius prohibiturum fuiſſe, ne latina nomina niſi magna cautione, & neceſſitate adhiberentur.

Cum magis propenderet Illuſtriſs. Patriarcha in latinarum, quam in Indicarum vocum

uſum, illud primo ſtatuit, ut ne alio, quàm latino, vel ſaltem Indico Idiomate voces ad Religionem pertinentes exprimerentur: Quaſi verò periculum eſſet, ne Miſſionarii volentes ab Indis intelligi ex Græco, Hebræo, vel Sinico voces inducerent: Nullas alias induxère unquam, niſi Indicas, vel latinas, aut ad ſummum Europæas è latinis ortas; quod non credo à ſua Excellentia prohiberi; cum optime ſciat, vix, acne vix quidem voces rigide latinas ab exteris poſſe pronuntiari. Tum ut magis adhuc cogerentur Miſſionarii latinas adhibere voces regulas propoſuit ſua Excellentia tam ſtrictas, & ſub tantis pænis obſervandas, ut inde ſequatur ad latinum idioma ſæpe ſæpius eſſe confugiendum. Cavetur enim Decreto primò, ut ne voces per translata mutentur; deinde ut Indicæ voces liquidò, & adamuſſim latinis reſpondeant; Sin minus adhibeantur latinæ. Non ignorat Illuſtriſs. Patriarcha, qui plurimas linguas novit, quam difficillimum ſit, ne dicam impoſſibile, ita unius Linguæ voces alterius Linguæ vocibus exprimere, ut ſibi liquido, & adamuſſim reſpondeant; facileque conjicere potuit, id tunc multo difficilius eſſe, cum latinum idioma reddendum eſt barbaris linguis, quæ nullam habent cum latina affinitatem, &

Præfert tamen Illuſtriſs. Patriarcha voces latinas Indicis.

Primò enim vult ſua Excellentia latinas tãtum, aut Indicas adhiberi,

Et Indicas non admitti niſi ſub conditionibus difficillimis;

quæ ut multas habent voces rerum in ſolis Indis notarum, quibus noſtræ linguæ carent; ita viciſſim carent multis nominibus rerum, quæ ſunt tantum in Europa notæ.

Quātæ hinc Miſſionariorum anguſtiæ. Videt igitur Sanctitas Veſtra quam anguſtos nobis terminos poſuerit D. Viſitator, cum ſub Cenſuris tam ſtrictam disjunctionem præcipit: Quid enim ſi nequeant inveniri Indicæ voces, quæ latinarum ſignificationem adamuſſim exæquent, idque in multis vocibus eveniat? Erit igitur tertia quædam lingua facienda ex Latinæ, & Indicæ admixtione, aut, ut verius dicam, confuſione barbara, quam Indi neque loqui, nec ſcribere, nec intelligere poterunt. Si vero ſuccedat, ut in rebus neceſſario edocendis Indica lingua tam accuratas voces non ſuppetat, nec latinæ voces poſſint ab Indis pronuntiari, erunt ne ſilendæ illæ res Sacræ, an verò turpia, aut impia æquivocatione ita proponendæ, ut Fidelibus offenſioni, Idololatris verò ludibrio ſint?

§. III.

CÆterum in reddendis Indica lingua rerum Sacrarum, Sanctorumque nominibus, video maiores noſtros id obſervaſſe, quam fide-

fideliſſime potuerunt, quod ab Illuſtriſs. Patriarcha præcipitur. Sed de illorum nominum, quæ Sanctis tribuuntur, & Chriſtianis imponuntur, ſignificatione, & Ethymologia non omnibus facile credere debuit ſua Excellentia: nam quemadmodum non quivis etiam in lingua latina peritus reddere rationem poteſt omnium nominum quæ in Martyrologio Rom. reperiuntur, eo quòd alia ex Græco petantur, alia ex Hebræo; Sic in India non quicumque Tamulicam linguam norunt, poſſunt veram nominum omnium notionem aperire. Erat P. Robertus de Nobilibus noſtræ Miſſionis Fundator verſatiſſimus in lingua Tamulica, & Telunga, quæ communes ſunt in illis Miſsionibus; Sciebat etiam quantum doctiſsimi ſolent linguam Grandonicam, quæ in Indiis reconditior eſt, quam inter Europæos latina: Ex illis linguis multas aſſumpſit voces ad res Sacras adamuſſim efferendas, quando non adeo apta Tamulica lingua, quæ eſt omnium pervagatiſſima, ſuppeditabat: Quam ob rem cui illæ linguæ cognitæ non ſunt, is facile poteſt aberrare in afferenda nominum jam uſitatorum ſignificatione.

Fundator Miſſionis in Linguis doctiſſimus ex variis Indiç Idiomatibus voces mutuatus eſt.

Id Puducherii evenit: Nam cum D. Viſitator percontatus eſſet de voce illa *Malcien*, reſ-

Non quiſquis unam Indicā linguam novit, vocum illarum ratione͂ reddere poteſt: id exemplo declaratur.

ponſum eſt, & vere, originem trahere à voce *Malci*, quæ montem ſignificat; ſed minus bene additum eſt, illo nomine ſignificari D. Thomam, eo quod ille S. Apoſtolus martyrio affectus fuerit, & religioſiſſime colatur in monte quodam tota India celeberrimo: Quæ reſponſio occaſionem forte dedit, præcipiendi, ne Sanctorum nomina per translata mutentur: Sed inde apparet, quam non ſatis ſit, unum teſtem, licet linguæ peritum in rebus illis conſulere: Nam tali voce nuſquam S. Thomas appellatus eſt, ſed S. Montanus, cujus nomen in Martyrologio legitur; vel Aaron, quæ vox ex Ethymologia Hebræa montem ſignificat.

Qua ratione expreſſa fuerint Indicè nomina SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli

Infinitum foret, Sanctiſsime Pater de omnibus Sanctorum nominibus in Indicam linguam mutatis rationem reddere Sanctitati Veſtræ; nec exiguæ operæ foret ea omnia ad examen revocare; Satis habebo hìc exponere, quid factum fuerit in nominibus Principum Apoſtolorum SS. Petri, & Pauli, quoniam de illis Illuſtriſs. Patriarcha interrogavit. Indicum S. Petri nomen eſt *Ràyen*, quod idem ſignificat ac vox Græca *Petròs*, non ita quidem adamuſſim, ut non plus aliquid dicat, quam petram qualemcunque; Significat enim ea vox Indica petram fundamentalem, qualis eſt, ver-

bi

bi gratia, Summus Imperator, in quem totius imperii moles recumbit, quique multis aliis inferioribus Principibus dominatur; ideoque Aſiaticus Imperator *Rayen* denominatur. Non ſemper potuerunt voces adeo feliciter inveniri, quæ ſimul & latinæ vocis vim, & perſonæ dignitatem complecterentur, verbi gratia, in voce *Xinen* quæ S. Paulo tribuitur: quamquam enim facile defendere queam, vocem illam ab alia derivari, quæ Magnum ſignificat, ita ut idem ſit *Xinen*, ac Magnus, & expreſſa Apoſtoli voce, ut ſemper fit, cum de S. Paulo agitur, idem ſit Apoſtolus Xinen, ac Apoſtolus Magnus; tamen ſi verum eſt, id quod communiùs exiſtimatur, eà voce Parvum, ſive Modicum ſignificari, habent Miſsionarii, quo id recte factum fuiſſe propugnent; nempe illa vox Paulus teſte Ambroſio Calepino, idem ſignificat, quod Parvus, ſive Modicus à voce Græca *Paulin*, vel latina Paulum. Conquerebatur Illuſtriſs. Patriarcha, quod vox Tamulica parum digna eſſet tanti Apoſtoli appellatio: Sed quà alia ratione potuiſſent nomen illud vertere primi Miſsionarii, ſi regulas ab Illuſtriſs. Patriarcha datas præ oculis habuiſſent? Uult ſua Excellentia nullam adhiberi translationem, aliter vertere nequibant, quin aliqua translatione

Quæ & forte nimium conveniunt regulis ab Illuſtriſs. Patriarcha aſſignatis.

tione uterentur: Uult liquido vocem Indicam, ſiquidem ea adhibeatur, latinæ reſpondere; nulla excogitari poteſt, quæ latinæ liquidius reſpondeat: Uult adamuſsim unam alteri quadrare; quævis altera ſi plus, vel minus diceret, jam non adamuſſim exacta foret. Caſu evenit, ut non ſatis nobilis illa appellatio ſit; at neque latina, ſi in ſe ſpectetur, erit nobilior: Et quoties contingit, tum inter Europæos, tum inter Indos, ut non ex nomine Viri, ſed ex Viris nomina nobilitentur: Illa nominis tenuitas in latino ſermone prorſus emendata eſt ex notitia rerum à Magno Gentium Apoſtolo geſtarum, & ex variis honoris titulis, qui ei adjiciuntur; Quo factum eſt, ut Pauli nomen, quamvis in ſe tenue, nihil niſi magnum ſonet: Idem in Tamulica lingua uſu venit: Sciunt Chriſtiani fuiſſe S. Paulum Vas Electionis, ut portaret nomen JESU Chriſti coram gentibus, & Regibus, & quanta pro illo nomine ſit paſſus; nunquam illius Indicum nomen à Miſſionariis inter loquendum profertur, vel à Chriſtianis cum de S. Paulo agitur, quin Sanctus Apoſtolus Paulus appelletur; aliique ſæpe adjiciuntur tituli honorificentiſſimi; quibus cautionibus factum eſt, ut illa vox *Xinen* à nativa ſua tenuitate ita emerſerit, ut ipſa ſola egregium præ-

conium

conium contineat. Quidni latina vox uſurpata eſt, inquiebat Illuſtriſs. Patriarcha? Adhibita eſt quoque Sanctiſſime Pater; eſt enim iſtud nomen ex iis, quæ dixi, & Tamulice, & Latine proferri; idque mecum tota Miſſio teſtabitur: Verum ob ea incommoda quæ ſuperius memoravi in latinarum vocum uſu occurrerere, præter illud nomen Latinum, Tamulenſe quoque uſurpari expediebat.

§. IV.

QVod de Sanctorum nominibus dixi, idem proportione de aliarum rerum Sacrarum nominibus dictum putet: Sanctitas Veſtra; ſcilicet pleraque Indicis vocabulis reddita fuere, quam accuratiſſime fieri potuit: quæ verò minus proprie peregrinis illis linguis exponi poſſe viſæ ſunt, ea latinis vocibus enuntianda putavere primi illarum Miſſionum Inſtitutores. Dei nomen neceſſe non fuit latine proferre; propterea quod reperta vox Indica fuerit, quæ Dominum Supremum Omnipotentem clare ſignificaret; tantoque ſecurius adhiberi poſſe judicatum eſt, quod diverſa ſit ab illis nominibus, quibus Indi ſuos Deos appellant; & ab eo quod tribuunt Numini, quod admittunt,

De nomine Tamulico Dei, & trium Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonarum.

infe-

inferiorum Deorum Domino. Neque defuere voces Indicæ, quibus duæ primæ Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ feliciſſime appellarentur; Sed quia defuit quæ latino Spiritùs Sancti nomini liquido, & adamuſsim reſponderet, ideo retenta eſt vox latina ab Indis magno labore, & tamen parum admodum rectè pronuntiata.

Loco nominis ipſa aliquando definitio uſurpata; ut in Sacramenti nomine.

Cum ad res Sacras enuntiandas non ſuppetiit vox una, quæ latinam accurate redderet, duæ interdum treſve adhibitæ ſunt: immo etiam ſi forte potuiſſet unica vox reperiri, tutius tamen viſum eſt, ut integra nominis diffinitio loco nominis uſurparetur. Sic Sacramentum non aliter appellatur, quam ſignum Cæleſtium Divitiarum; ita ut de Sacramentis non prius audiant Indi, quam ea percipiant, quæ altam Sacrorum illorum myſteriorum exiſtimationem gignere queunt. Et quamvis in illo loquendi modo voces Indicæ plus dicant, quam nuda, & non explicata vox Sacramenti, ac proinde non omnino, & adamuſsim reſpondeant, id procul dubio Sanctitas Veſtra non improbabit; neque ſuis præceptis contrarium judicabit D. Viſitator: Sicut nec puto etiam improbatum iri illam metaphoram ex divitiis petitam; cum nihil obſcuritatis, nihil ambi-

guita-

guitatis habeat; peridoneaque ſit ad veram notionem Sacramentorum Fidelium mentibus ingerendam, & ad inflammandum ea percipiendi deſiderium.

Plura exempla hìc non congeram, Sanctiſsime Pater, paratus de omnibus reſpondere, de quibus Sanctitas Veſtra velit forte cognoſcere. Id unum dicam, doctiſſimos quoſque Miſſionariorum in linguis Indicis verſatiſſimos, ſæpe mecum admiratos eſſe, quam proprie, quam dilucide nomina rerum ad Religionem noſtram pertinentium Indicè efferantur, & explicentur; nempe in earum Miſſionum Fundatore P. Roberto de Nobilibus eminebant illæ dotes, quæ ad apta vocabula ſeligenda neceſſariæ erant: apprime Theologus erat; in linguarum cognitione parem nondum habuit; & utrum habiturus ſit, dubito: Nec mirum cum ipſos quadraginta annos in illis Miſſionibus verſatus ſit. Non falſo à me extolli authoritatem P. Roberti de Nobilibus in iis quæ ad linguarum notitiam pertinent, fidem faciunt, quæ Miſſionariorum, ac Chriſtianorum manibus teruntur ejus opera Tamulicè ſcripta; in quibus de rebus Religionis tam proprie diſserit, ut ipſis Indigenis Indigena eſſe videatur; ac præterea tam plenè, tam eloquenter, ut inter Indorum

Non facile reperietur, quid emendare poſſit P. Robertũ de Nobilibus in vocũ delectu.

Tt elo-

eloquentiſſimos cenſeatur. Illum hactenus tanquam magiſtrum noſtrum ſuſpeximus; putavimus plurimum profeciſſe, qui ad eum accederent: At non facile credo repertum iri quemquam, qui ſibi videatur plus illo videre, & ſapere. Igitur quantum linguâ illâ novi, nomina rerum Sacrarum, ita ſelecta ſunt, ut nulla in re à regulis, quas Illuſtriſs. Patriarcha tradidit, diſceſſum fuerit.

Periculoſum non eſt, voces aliquas minus forte proprias ſed iam explicatas relinquere.

Sed & ſi aliqua in re, modo non gravi, & periculoſa diſceſſum fuiſſet; licet in aliquibus vocibus Sacris translatum aliquod reperiretur; licet aliquæ voces occurrerent, quæ non ita liquido, & adamuſſim latinis nominibus reſponderent; videtur tamen multa fore conſideranda, antequam novæ voces Indicæ, aut Latinæ introducerentur. Magnum incommodum non eſt aliquas voces retinere, poſtquam jam ſunt diuturno uſu conſecratæ, & de vera eorum acceptione conſtat; & ſi ſint aliquæ cauſæ dubitandi, an debuerint initio uſurpari. Id Eccleſiæ & authoritas, & exemplum docet: Nemo Catholicus dixerit nunc incommodum eſſe, ſi retineatur illa vox, Hypoſtaſis, ad ſignificandas Sanctiſsimæ Trinitatis Perſonas, licet de illa voce maximæ fuerint contentiones, eamque parum idoneam aliqua Concilia judicarint.

Contra

Contra verò longe maximum foret incommodum; ſi receptæ jam voces antiquarentur, veluti illa Hypoſtaſeos; magiſque adhuc ſi abrogarentur illæ, quæ in populo fideli communiter notæ ſunt, & quas in Catechiſmo didicit; quæ ſi ipſi interdicerentur, prope exiſtimaret, ſe una cum vocibus Religionem mutare. Illud quidem incommodum non ſequeretur, ſi ſolum juberet Illuſtriſs. Patriarcha, ne in adoptandis novis vocibus leges à ſe datæ violarentur: verum plus aliquid, opinor, præcipit; nempe ne Miſſionarii, & conſequenter Chriſtiani etiam adoptatis vocabulis utantur, niſi cum illis regulis conveniant: Incidimus igitur in illud incommodum, quod ſupra retuli, quodque maximum eſt; præcipuè ſi non una, aut altera vox, ſed plures adrogandæ forent: dedocendi eſſent Senes quod à pueris accepere; immutandi libri in quibus illæ voces leguntur; alia denique lingua loquendum eſſet.

Multo periculoſius receptas iam voces in uſu communi expungere, & novas inducere.

Aliud ſequetur malum non minus noxium, & quo Sanctitas Veſtra tantopere cupit Miſſiones immunes eſſe, nempe diſſenſio inter Miſſionarios; qui magna hactenus concordia Evangelium annuntiarant. Id ſatis ſuperque comprobatur ex diſsidiis, quæ extiterunt inter Miſsionarios Sinenſes occaſione famoſæ vocis *Xam ti*:

Multis dubitationibus & contentionibus locum daret immutatio illa.

Illa una vox ſi tot Zizaniorum ſemen fuit; quantas diſſenſiones procreabunt tot voces de quibus D. Viſitator nos deliberare jubet? Cum vero diſſenſiones illæ ortæ fuerint, quis earum arbiter, & judex erit? Si dubitandum eſt de eo quod quadraginta annorum Miſsionarius judicavit: Quid ergo? Quilibet id ſequetur, quod ſibi viſum fuerit optimum: hi populum uno modo, alii alio docebunt: an non peius foret illud malum, quam cui remedium parabatur?

CAPVT IV.

Verba Decreti.

Statutum de non differẽdo Infantium Baptiſmate.

ET quia audivimus Baptiſmum Infantium à Chriſtianis parentibus ortorum, eorundem incuria ſæpe ſæpius diu protrahi, non ſine maximo dictorum Infantium ſalutis diſcrimine; monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri poſsit, attentis circunſtantiis Genitoribus præfigant; graviter eorum conſcientiam onerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant, Sacro fonte abluendos.

Ob-

Obſervationes.

DIgnum erat Viſitatoris Apoſtolici pietate, & zelo Parentes Miſsionarioſque adhortari, ut Infantibus, quorum vita adeo fluxa eſt, & labilis, quam citiſsime fieri poteſt, per Baptiſmum provideatur: Verum ne de Chriſtianis Indis Sanctitas Veſtra ſecus exiſtimet, quam merentur, dicere teneor, non tantam eſſe eorum in hac parte incuriam, nec tantum Infantium periculum, quantum Decreto indicatur. Deinde, & ſi non recuſemus, quin uti Illuſtriſs. Patriarcha nos admonet, certum tempus parentibus præfigamus, intra quod filios ſuos ad Baptiſmum deferant; obiter obſervabo; vix poſſe in eo regulam præfigi.

§. I.

Male expoſitum fuit Illuſtriſs. Patriarchæ, parentes eſſe ſæpe ſæpius negligentes in procurando filiis baptiſmo.

OPortet ſane Chriſtianos exigua admodum Fide eſſe, aut ſumma in filios crudelitate, ſi ſua negligentia paterentur, ſæpe ſæpius ipſorum Baptiſmum diu protrahi, & illa dilatione maximum adire ſalutis diſcrimen. Ab illo utroque crimine longiſsimè abſunt: Credunt, perſuaſiſsimumque habent, Infantes

ſine

ſine Baptiſmo morientes ſalute excidere; & pro tenerrima charitate, qua eos complectuntur, nihil illis, univerſim loquendo, timent magis. Fatemur equidem evenire interdum, ut pluſquam optandum foret Infantium Baptiſmus differatur; nec negamus quin aliquando forte interveniat aliqua parentum negligentia; neque enim Chriſtiani omnes æqualem adhibent in ſuis officiis adimplendis diligentiam; at ſæpe ſæpius parentum incuria id contingere, nequaquam aſſentiri poſſum, probè ſciens, id vulgo non niſi ex ſumma neceſsitate evenire.

Cum differunt non niſi magna vulgò neceſſitate differunt.

Enim verò cùm ob perſecutiones prope quotidianas, quibus nunc iſti, nunc illi Principes Chriſtianos affligunt, ſæpe fiat, ut in certis Provinciis fixam ſedem habere nequeant Miſſionariorum plerique, tunc, aliaſque interdum ob cauſas, deferri ad Eccleſiam Infantes non poſsint, quin iter longum ſuſcipiatur; expectandum igitur dum convaleſcat mater, ſine qua, utpote matre ſimul & nutrice deferri Infans non poteſt; expectandum donec ita convaleſcat, ut ſatis virium habeat non modo ad puerum geſtandum, ſed etiam ad deferendam Orizam ſibi, ſuiſque in itinere neceſſariam; expectandum donec ſciatur utrum in ſua Eccleſia tunc adſit Miſsionarius, qui Oppida ſuæ curæ commiſſa

commiſſa ſæpe circumcurſat; expectandum donec tempus ſementis, aut meſsis præterierit, quo tempore ſi abſuerint ad mendicitatem redigentur; expectandum donec eundi copiam faciant heri; vel parentes, qui ſæpe Ethnici ſunt; expectandum donec in alveum redierint rivi; expectandum denique multis aliis de cauſis, quæ illic ſæpius occurrunt, quam hìc in Europa, ubi ſingulis viculis ſuus eſt Parochus, ſumma pax, ſumma facilitas. Si vidiſſet Illuſtriſs. Patriarcha id, quod ego centies vidi, mulieres à partu recentes capite Ciſtam geſtantes, duobus præterea pueris onuſtas Sole fervido ad Eccleſiam venientes duorum, triumve dierum itinere, earum potius laudaret diligentiam, & fortitudinem admiraretur, quam ſocordiam increparet: Sed hæc fuit illorum Chriſtianorum infelicitas, quod non niſi ex auditu ſuæ Excellentiæ innotuerint.

Quartis laboribus Chriſtiani liberos ſuos ad Baptiſmum ſæpe deferant.

Quod addit Illuſtriſs. Patriarcha, Infantium Baptiſmum protrahi, non ſine maximo eorum ſalutis diſcrimine; ideo dicit, vel quod ipſi relatum non fuerit, vel quod credere noluerit, quà ſolicitudine huic incommodo provideatur: Unum è præcipuis Capitibus Doctrinæ Chriſtianæ, quæ Neophytis traditur, eſt modus, quo pueris incidente neceſſitate ſuccurrendum

eſt:

eſt: illum modum pueri edocentur; illum inſeruère Miſſionarii precibus, quæ mane, ſeròque in Eccleſiis fiunt: Nullus adultus ad Baptiſmum, nullus ad Pænitentiæ Sacramentum admittitur, quin tum de aliis Chriſtianæ Doctrinæ partibus, tum de iſta præſertim examen ſubierit: denique toties illis inculcatur, quantam rationem Deo ſint reddituri, ſi in procurando filiis Baptiſmo fuerint negligentes; ut certum ſit, non ſæpius in noſtris Miſſionibus, quam media in Europa Infantes ſine Baptiſmo de hac vita migràre. Apparet igitur non tantam eſſe parentum Chriſtianorum negligentiam, quantam Illuſtriſs. Patriarcha putavit; nec adeo ingens adire periculũ Infantes. Nunc de remedio quod illi malo Decretum affert, pauca ſubjungam.

Accurate edocentur Chriſtiani modũ baptizandi Infantes periclitantes.

§. II.

ADmonet Illuſtriſs. Patriarcha Miſſionarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminus quam fieri poteſt breviſsimus Genitoribus præfigatur, intra quem teneantur ad Baptiſmum liberos ſuos deferre. Non mihi eſt animus de Sacrorum Canonum notitia contendere, nec fas: hoc unum dicam, reperiri quoſ-

dam

dam ex quibus ſatis apparet, Veterem Eccleſiam certis locis ipſorum Infantium Baptiſmum diutius diſtuliſſe, cum aberat periculum: Teſtis eſt Canon tertius Concilii Matiſconenſis, quo Infantes extra Paſcha Baptizati, declarantur inhabiles ad Sacros Ordines. Magis communis, meliorque fuit diſciplina à Syricio Papa præſcripta; quà Infantes excipiens à ſolemnis Baptiſmi temporibus, jubet ut eis omni celeritate ſuccurratur: Qua de re admoneri à Parochis parentes præcipit Rituale Rom; quod Miſſionarii, ut excellentem Canonum ſummam ſpectant: An vero præterea Sacro aliquo Canone recenti, vel antiquo jubeatur parentibus certum præfigi terminum, fateor mihi non eſſe compertum: Si id aſſerere voluit D. Viſitator, non dubito, quin verum ſit. Sed forte ſenſus Decreti eſt, ut memores Sacrorum Canonum jubentium Infantibus omni celeritate ſuccurri; ad eos Canones melius obſervandos, certum terminum parentibus aſſignemus; ita ut illa aſſignatio facienda ſit, non vi priorum Canonum, ſed juſſu Illuſtriſs. Patriarchæ; qui tamen hoc uno articulo, non tam jubere, quam admonere voluit. Ante Decretum ſuæ Excellentiæ hoc præſcripſerat unus Miſſionariorum: at tot adjuncta locorum, temporum, negotiorum

Miſſionarii immemores non fuere Canonum; quorũ nulli iubent præfigi terminũ certum parentibus.

Apud Vaſq. de Bapt.

Quem aliqui Miſſionarii præfixere, non magno operæ pretio ob multitudinẽ exceptionũ faciendarũ.

rum cum maxima varietate incidunt, ut vix regula cenſeri poſsit, quæ tot exceptiones patiatur: Verum cùm iſtud D. Viſitatoris Decretum ſervatis ſervandis poſst obſervari, ſuamque utilitatem habeat ad incitandam adhuc magis Neophytorum diligentiam, faciemus quantum fieri poteſt, quod ſua Excellentia admonet; Atque utinam iſtius Statuti ſimilia omnia fuiſſent, nunquam de illis apud Sanctitatem Veſtram conqueſtum veniſſemus.

CAPUT V.

Verba Decreti.

Statutum de validitate, & ſolemnitate Matrimonii.

PRæterea cum moris hujus regionis ſit, ut Infantes ſex, vel ſeptem annorum, interdum etiam in teneriori ætate ex Genitorum conſenſu matrimonium indiſſolubile contrahant per impoſitionem *Tali*, ſeu Aureæ teſſeræ nuptialis uxoris collo penſilis; Miſsionariis mandamus, ne ejuſmodi irrita matrimonia inter Chriſtianos fieri permittant; nec Sponſos ſic conjunctos cohabitare ſinant; donec completa legitima ætate, & explorato eorum conſenſu in facie Eccleſiæ juxta formam à S. Concilio Tridentino præſcriptam,

verum,

verum, & Canonicum matrimonium contraxerint.

Obſervationes.

VErbis iſtis duo præcepta Illuſtriſs. Patriarcha comprehendit; primum ad validitatem matrimonii pertinet, ſecundum ad ſolemnitatem.

§. I.

Optimates aliqui in India contractum indiſſolubilis matrimonii nomine filiorum adhuc puellulorum ineũt.

PRæcipit D. Viſitator ne Miſsionarii permittant matrimonium inter Chriſtianos fieri ante legitimam ætatem; & priuſquam id ſua Excellentia præcipiat, exponit, morem illius regionis eſſe, ut pueri ſex, vel ſeptem annorum, atque etiam in teneriori ætate, ex Genitorum conſenſu matrimonium indiſſolubile contrahant. Ita re ipſa faciunt, non quidem omnes Indi, ſed aliqui tantum Optimates, & divitiis præpotentes; qui putant ſatis parentibus in filios juris eſſe, ut ipſos adhuc rationis expertes vero matrimonio alligare poſsint: at præterquam quod non eſt communior Indiæ uſus, ut Infantes in tam tenera ætate deſponſentur; opus non erat præcipere, ne Miſsionarii

rii permitterent aliquod ejuſmodi irritum matrimonium inter Chriſtianos fieri: Nam quis eſt in legibus Eccleſiæ adeo hoſpes, & peregrinus, qui ſibi perſuadeat matrimonium ſeptimo vel ſexto anno contractum validum eſſe; & ad talem contractum ſatis habere libertatis pueros, quibus tunc rationis lumen vix incipit illuceſcere; vel tantum jus parentes habere in liberos? Nulli unquam Miſſionariorum ea res venit in mentem. Certè Miſſionarios publicæ irriſioni exponere, & non levem nobis injuriam facere cenſendus foret Illuſtriſ. Patriarcha, ſi ſuæ Excellentiæ mens eſſet, ut ex hoc Statuto colligeretur, à Miſſionariis factum fuiſſe, quod illis prohibetur. At vel hic Articulus demonſtrat, ſatis magnam pravæ alicujus rei Chriſtianis, Miſſionariiſque prohibendæ rationem viſam fuiſſe, quod eam à Gentilibus fieri cognoſceret; & hæc Statuta remedia eſſe potius ad mala antevertenda, quam ſananda. Non dubito equidem quin illud conſilium Illuſtriſ. Patriarchæ fuerit: at video paucos fore, qui illud ita ſint interpretaturi; contra vero multos dicturos Miſſionariis eſſe injurioſum, quod timuerit, ne ex illis aliquis permitteret matrimonium ſeptimo ætatis anno contrahi, & contractum cenſeret validum eſſe, & indiſſolubile.

Miſſionarii nunquam credidere ſimilia matrimonia valida eſſe, & nunquam ea permiſere.

Obſer-

Obſervat Illuſtriſs. Patriarcha moris eſſe in illis regionibus, ut irrita illa matrimonia contrahantur per impoſitionem Monilis cujuſdam aurei, quod *Taleum* vocant, quodque Puellæ collo appenſum matrimonii teſſera eſt. Hanc vim inter Infideles habere illius Monilis impoſitionem, extra dubium eſt: At inter Chriſtianos aliter ſe res habet, quando ante impletum veri matrimonii tempus nonnunquam imponitur: tunc enim illius monilis impoſitio, nihil aliud eſt, quam ſignum mutuæ promiſſionis inter parentes factæ de dandis in matrimonium liberis ſuis, ſi ipſi ætatem adepti conſenſerint: idque adeo verum eſt, ut viderim puellas, quæ per illius monilis impoſitionem à Tutoribus, & Parentibus promiſſæ, conſenſum poſtea negantes, matrimonium re ipſa non contraxerint: inde ſatis cernitur, quid de illa monilis impoſitione Miſſionarii cenſeant.

Inter Chriſtianos appenſio monilis, quæ tunc fit, eſt ſignum contractus conditionalis inter parentes facti.

Permittendi vero ut illa inter Parentes promiſſio interdum fiat, multiplex cauſa eſt: prima quidem, quod in eo Parentes jure utantur ſuo, id, quod à ſe pendet, promittentes; ſemetipſos, non vero filios, niſi quantum poſſunt, obligantes; id quod ipſis neque naturali, neque Eccleſiaſtica lege prohibetur. Secunda cauſa eſt, quod ſine evidenti Chriſtianarum

puella-

Experiren-tur evidenti periculo Chriſtianæ puellæ, ni maturè à parentibus ſponderētur.

puellarum periculo aliter fieri nequeat: Nam cum in illis terris, ex conſuetudine quæ vim legis obtinuit, propinqui jus habeant deſpondendi filiis ſuis puellam conſanguineam, niſi jam alteri promiſſa monile collo geſtet; ſæpe eveniret, ut puella Chriſtiana à Conſ.nguineis, iiſq; Ethnicis peteretur: neque foret negandi poteſtas, re enim ad Magiſtratum delata, ei propinquo Ethnico puella, licet invita, repugnantibuſque nequidquam parentibus certo traderetur. Quam ob rem quando ob tale prævidetur periculum, Chriſtiani parentes properant filias ſuas viris etiam Chriſtianis ſpondere; & in ſponſionis illius ſignum, puellæ Collo Monile appendunt; quod cum factum eſt, jam in tuto cenſetur: At cùm abeſt ejuſmodi periculum, non ſinunt Miſſionarii ante legitimum matrimonii tempus illud monile dari.

§. II.

Inter ipſos etiam Gentiles puella non traditur Viro ſuo niſi poſt legitimam ætatem.

MAndat ſecundo loco D. Viſitator ne Miſſionarii Sponſos ſic conjunctos cohabitare ſinant, donec completà legitima ætate, & explorato eorum conſenſu in facie Eccleſiæ, juxta formam à S. Concilio Trid. præſcriptam verum, & Canonicum Matrimonium contraxerint.

xerint. Quod nunquam niſi legitima ætate matrimonium conſumetur, res eſt certiſſima: neque ſuſpicari quiſquam debet, ſtatim poſt datum monile in illa tenerrima ſex, ſeptemve annorum ætate, puellam Viro tradi: Si qua ſub Sole gens eſt adeo barbara, quæ hoc conſuetudinis monſtrum habeat, non habent certe Indi etiam Infideles; apud quos fixa lex eſt, ut puellas paternà in domo retineant, quandiu ex primis menſtruis non apparet eſſe Viro maturas. Quod ſpectat ad formam à S. Concilio Trid. juſſam, ea quoque obſervatur quantum fieri poteſt: Verum non poſſe ſemper obſervari; agnovit ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha, qui paulo ante diſceſſum, hunc Decreti locum explicans dixit, mentem ſuam non eſſe, ut non poſſint Conjuges privatim conſenſum præſtare, poſteaque cohabitare, quando illæ circunſtantiæ incidunt, ut ad Eccleſiam, niſi multo poſt, venire nequeant: Ut contigit, verbi gratia, his ultimis annis in Regno Maràvæ, in quo à tempore, quo Ven. P. Joannes de Britto perſecutione ſublatus eſt, adeo apertum, ſævumque bellum Religioni indictum eſt, ut aliquot annis eò penetrare nullus Miſſionarius potuerit, nec Neophyti ad Miſſionarios venire: quo toto tempore ſi non potuiſſent Chriſtiani privatim

Solemnitas matrimonii obſervatur ſecundum formã Sac. Conc. Trid. quãtum fieri poteſt ob perſecutiones

Non ſemper obligari Chriſtianos ad illam formam agnovit ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha.

vatim matrimonia celebrare, apparet quanta incommoda, quanta præſertim incontinentię pericula ſubſecuta eſſent.

Quid Sac. Congregatio de propagãda Fide in hac materia ſtatuerit.

Secuti ſumus igitur in ea occaſione reſponſum Theologorum à Sacra Congreg. de propaganda Fide deputatorum, qui ad quæſtionem quorundam Miſſionariorum petentium; utrum durante perſecutione in Japonia, v. g. publicandum eſſet Decretum S. Concilii Trid. de contrahendo matrimonio coram Parocho, & de aliis obligationibus; & quid agendum, ubi publicatum reperitur, durante perſecutionis procella, his verbis, teſte Vericellio, diffinière: *Ubi non eſt publicatum, differendam eſſe publicationem; ubi vero publicatum fuerit, obligare, niſi ubi inevitabilis eſt neceſſitas*: Cæterum id quam rariſſime fieri poteſt; & tunc tantum uſurpatur, cùm inevitabilis eſt neceſſitas; nihilque optamus ardentius, quam ut Deus eam naſcentibus illis Eccleſiis pacem concedat, per quam liceat omnia ad ſolitam Eccleſiæ normam componere.

CAPVT VI.

Verba Decreti.

ET quoniam apud peritiores hujus impiæ Religionis Sectatores *Tali* præ ſe ferat Imaginem, licet informem, Pulleyaris Idoli nuptialibus ceremoniis præpoſiti; Cumque dedeceat Chriſtianas mulieres talem effigiem collo afferre in ſignum Matrimonii; diſtricte prohibemus, ne in poſterum audeant *Tale* cum hac effigie collo appendere: Et ne uxores inuptæ videantur, poterunt uti alio *Tali* vel SS. Crucis, vel D. N. JESU Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis, vel aliâ quàvis religioſâ imagine ornato.

Statutum prohibens formã communem monilis nuptialis, quod Taleum vocant.

Obſervationes.

VT ſtatim Sanctitas Veſtra cognoſcat, & uno intuitu perſcipiat ea, quæ pertinent ad hoc D. Viſitatoris ſtatutum, ſubjiciam quid de eo ſcriptum ſit à Reverendiſs. Indiarum Epiſcopis.

Illuſtriſs. Indiæ Primas de eo ſic loquitur: *Ultimum vulnus eſt Teſſera nuptialis, quæ vul-*

gari lingua dicitur Tali: hoc Monile eſt ſignum contractùs civilis inter Conſortes ſuas admittens varietates cujuſcumque Tribùs ſignificativas; decernendi cujuslibet qualitates; quem uſum cum ſit ſignum Matrimonii, & nobilitatis, niſi vità eradicatà non abjicient; immo ſi cogerentur, Chriſtum deſererent.

Quid de illo Statuto ſentiant tres Indiarum Præſules.

Illuſtriſs. Cranganorenſis de eàdem nuptiali Teſſerà ait: *Si velint, quod fœminæ nuptæ ſecundum ritum ſuum, ac morem ſuæ Tribùs non deferant quoddam Monile nuptiale dictum Tali, quod habet figuram quaſi triangularem in quo Monili eminent aliqua puncta referentia magnitudinem capitis unius acùs ita diſpoſita, ut juxta aliquos Infideles exprimant caput Elephantis, quod dicunt ſymbolum cujuſdam Idoli nomine Pulleyar, aliis ſimiliter peritis Ethnicis hanc ſignificationem negantibus; ſi velint, inquam, quod fœminæ nuptæ non deferant prædictum monile, funditus ruunt Miſſiones Malabaricæ: Cum enim variatio hujus monilis ſit fœminis Chriſtianis impoſſibilis, cùm propter Conſanguineos, & affines Gentiles hanc variationem minime permiſſuros, tum propter aurifices qui fere omnes Ethnici cùm ſint, nullum aliud monile ſunt laboraturi, niſi proprium cujuſque Tribùs; velint, nolint fœminæ Chriſtianæ hoc determinatum monile*

ſunt

ſunt geſtaturæ; & ſi deferre recuſent, à Fide recedere cogentur: Unde licet in tali monili nuptiali emineant illa puncta, quæ juxta aliquos ſymbolice ſignificant Pulleyar, cum etiam in iſtorummet opinione, nullo modo ad cultum, aut venerationem geſtentur à fœminis etiam Infidelibus, ſed ad ſignificandum civilem contractum matrimonii; & in ſpecie omnes ſciant fœminas Chriſtianas ad hunc civilem matrimonii contractum, & non ad finem aliquem ſuperſtitioſum deferre ſuum monile nuptiale; ne ex variatione tot damna ſequantur, dicendum nobis eſt illud minime probibendum.

Illuſtriſs. Maliapurenſis de illo monili ſic teſtatur: *Tali mulierum nuptarum ab initio conceſſum eſt ob difficultatem illius conſuetudinis tollendæ; & nobis videtur poſſe licite geſtari; & in praxi videtur nobis nullum eſſe dubium, quia omnes Neophyti in bona fide vivunt ſine ſcrupuli umbris, nec ſcandalum datur activum, vel paſſivum in tali uſu.*

Nunc ad exponendum paulo fuſius quæ hìc Illuſtriſs. Epiſcopi proponunt, ediſſeram primo quam neceſſarium ſit concedere hujus monilis uſum, ſi in ſe vitioſus non eſt: ſecundo quæ figura in eo ſculpta ſit: tertio an illius geſtatio ſit exteriori Fidei confeſſioni contraria: quarto

 an

an tantopere mulieres Chriſtianas dedeceat: quinto agam de immutatione *Talei* à D. Viſitatore propoſita.

§. I.

Neceſſe eſt hoc monile concedere, ſi non eſt in ſe vitioſus.

ET quidem de Monilis illius permittendi neceſſitate, vix quidquam eſt, quod addam iis, quæ Reverendiſs. Præſules Sanctitati Veſtræ teſtantur; quid enim graviùs dici poteſt, quàm illud monile ab Indis non niſi cum vita abjectum iri, & Chriſtianos ſi cogantur, Chriſtum potius eſſe deſerturos; & Teſſerà prohibità funditus ruituras Miſſiones. Etenim illud ſtatutum non fœminis ſolum nuptis, ſed omnibus Chriſtianis Tamulenſibus fatale erit, paucis Viduis exceptis, quæ mortuo marito monile nuptiale deponunt; nec filios, filiaſve habent ullas in matrimonium collocandas: Nam ſi peccatum eſt Taleum geſtare, in partem illius peccati veniunt mariti, qui illud offerunt, parentes, qui admittunt; itaque ex ducentis viginti hominum millibus, ex quibùs illæ Miſſiones conſtant, vix decem millia ab illo peccato immunia erunt. Illis omnibus proponatur Decretum de ſymbolo nuptiali; Quid fiet? Reclamabunt illi omnes una voce, eaque fere omnia

di-

dicent, quæ poſtmodum ſum allaturus ad oſtendendum, neque contra Fidem, neque contra bonos mores eſſe. Quamvis nullus foret Gentilium metus, non audeo dicere, cunctos huic Decreto obtemperaturos. Dociles ſunt Chriſtiani fateor, non ita tamen ut non attendant, quid ſibi imperetur, quin rationes opponant, & quin cum Miſſionariis aliquando contendant. Si in Europa Chriſtianis nobilitate inſignibus ſtemmatum uſus interdiceretur, cogitet quæſo Sanctitas Veſtra quid futurum eſſet: an non plerique defenderent, ſe non ideo minus Catholicos eſſe, quod illa ſymbola uſurpent; quam multi Sacramentis carere mallent, quam illa ſtemmata deponere? Idem facerent inter Indos multi Neophyti: id non conjecturis adducti, ſed experientia docti aſſerimus. In quodam Oræ maritimæ Oppido dicto *Puncycàiel*, ubi ſub poteſtate Europæorum Indi vivunt, monile nuptiale mutare conatus Parochus unus, non quod in eo aliquid ſuperſtitionis eſſe ſuſpicaretur; ſed ut Chriſtianæ mulieres ab Infidelibus ipſa *Talei* figura ſecernerentur: procuravit ut in eo effingeretur Columbæ figura, quà Spiritus Sanctus adumbratur: Illud quidem admiſere aliqui; at alii non modo renuere, ſed eos qui acceperant è Tribu ſua dejecère, gravissi-

Multi Chriſtiani Religionem potius quàm illud monile diſererent.

Veluti Europæi multi Chriſtiani ſtemmatum ſuorum conſervationem conſervationi Fidei præferrent.

viſſimàque infamiæ notà affecere; ita ut illud conſilium abjiciendum ſtatim fuerit. Oſtendi ſæpius longe minus addictos eſſe Indos maritimos ſuis conſuetudinibus, quam qui mediterranea tenent: Si ergo illi inter Europæos educati adeo retinentes fuere ſuæ Teſſeræ nuptialis, quis ſcit num idem iſtis contingeret?

Sed quorſum de eo loquor, quod forte fieret, ſi ſui juris eſſent Chriſtiani, cum ſub Infidelium Principum, ac Magiſtratuum poteſtate ſint conſtituti; quibus ubi innotuerit tentari aliquam à Chriſtianis in Taleo mutationem, ſtatim Chriſtianos horrendis modis inſectabuntur: primus vindictæ exercerdæ gradus erit, eos tanquam violatores legum Tribubus propriarum ab iiſdem Tribubus arcere: quo fiet, ut cum Chriſtiano non pater, non filius, non conjux, non frater, rem ullam habere velint; non cum eo loqui; non cum eo ſub eodem tecto morori; non ignem, non aquam ei concedere dignentur; denique ut ab omni vitæ civilis commercio reſcindatur; quæ pæna multis Chriſtianis eam ſæpe in odium Fidei expertis acerbior viſa eſt quam ulla alia, quæ eis inflicta fuiſſet, licet Carceres, verbera, candenteſque ferri laminas perpeſſi ſint. Secundus pænæ gradus erit, Miſſionariorum incarceratio primum, deinde mors,

Quantas perſecutiones excitaret illius monilis immutatio in Chriſtianos, ac Miſſionarios

mors, aut exilium abſque ulla ſpe reditûs: Ecqua futura eſt illius gregis diſperſio Paſtoribus viduati, Sacramentis orbati, quantam prædam Lupus Infernus abacturus eſt? Tertius gradus erit generalis in omnibus illis Miſſionibus perſecutio, ei ſimilis, aut etiam crudelior, quam ante paucos annos, ut ſupra memoratum eſt. Tanjaurenſis Rex ſuo in Regno minoribus de cauſis excitavit; quâ Chriſtiani omnes omnia, aut pleraque bona, multi libertatem, aliqui vitam, nonnulli etiam, proh dolor! conſtantiam amiſere. Teſtor Sanctitati Veſtræ mihi pro cognitione quam habeo illarum terrarum evidens eſſe hæc omnia certo certiùs eſſe conſecutura: Idem mecum jurejurando teſtantur Miſſionarii omnes, Catechiſtæ, & Chriſtianorum multi. Ex quo non dubito quin Sanctitas Veſtra inferat, non eſſe prohibendam illam Conjugii Teſſeram, niſi conſtet ejus geſtationem adeo mulierem Chriſtianam dedecere, ut ſine peccato ferri nequeat; de quo, ut melius judicet, venio ad alterum articulum, quem propoſui, quid nempe in Taleo effictum ſit?

Hoc uno ſtatuto tota Religio in tribus Miſſionibus everteretur.

§. II.

§. II.

Quæ figura in Monili expreſſa ſit.

ILlud monile quantumvis attentè inſpiciatur, nullius certæ rei figuram in eo oculi deprehendere poſſunt; ut Sanctitas Veſtra facile cognoſcet, ſi oculos conjicere dignetur in multas ex illis Teſſeris, quas ex Indiis mecum attuli: neque id tribuendum Aurificum inſcitiæ; non enim ſunt ita auri tractandi rudes, ut agnoſci nequeant figuræ, quas aliis occaſionibus jubentur effingere: Verum nefas illis eſt, hìc ſuam ſolertiam oſtendere: hoc unum ab eis petitur, ut Teſſeram nuptialem aliarum ejuſdem Tribùs propriarum ſimilem efficiant, quin unius vel minimi apicis diverſitas appareat: neque quiſquam Taleum admitteret, ſi in eo figura quævis diſtinctior appareret: Cum ergo imago in Taleo cuſa adeo ſit informis, ut viſu cognoſci nequeat, ſupereſt, ut ex Indis cognoſcamus, cujus rei figuram ibi eſse exiſtiment.

Oculi in Taleo nullius certæ rei figuram deprehendunt.

Si populus, ideſt, numeroſiſſima pars Indiæ de eo interrogetur, hærebit, ſeque ignorare, nec de eo uſquam cogitaſſe, reſpondebit; hoc unum ſe ſcire, Taleum collo geſtatum, ſignum eſſe mulieris nuptæ: admirabitur te illud percontari,

Altum ſilentium apud Indos fere omnes de figura Taleo impreſſa

contari, quod omnibus notum eſt; ulterius non progredietur. Hæc populi exiſtimatio ſatis oſtendit, quo animo Taleum geſtetur à populo Chriſtiano; qui in eo nullam aliam ſignificationem ſuſpicatur, quam matrimonii: Et cùm dico hanc eſſe populi communem exiſtimationem, ne putet Sanctitas Veſtra me de ſola plebe ignara loqui: Ita reſpondebunt fere omnes ex omni conditione homines, nobiles pariter, ac ignobiles, divites, inopeſque, Milites, Duces, Principes, & omnes fere Brammanes, etiam docti, quos ego ipſe ſæpius interrogans, nullum alium reſponſum accepi; & tamen illorum officium eſt, res ſuæ Religionis cognoſcere: nempe altum eſt eà de quæſtione tota in India ſilentium, majuſque quam in Europa de figuris, ex quibus ſtemmata gentilitia componuntur, quas cognoſcere pauci admodum ſatagunt. Igitur ſi aliquid præterea de Taleo avemus cognoſcere, interrogandi erunt pauci quidam reconditiorum literarum homines, qui harum rerum cognitione gloriantur.

Litterati pauci aiunt in illo effingi Elephantis caput.

Si quæratur ex iſtis quænam ſit figura Taleo inſculpta, reponent id quod nemo unquam divinaſſet, eſſe Elephantis caput: At quorſum illud Elephantis caput? An quod Idololatræ ibi voluerint depictum falſum Deum Pulleyarem,

cujus Idolum Elephantis capite efformatur? Ait quidem Illuſtriſs. Patriarcha, ita videri peritioribus hujus impiæ religionis Sectatoribus: At illud factum nequaquam poſſumus ſuæ Excellentiæ concedere; nec videmus quà ratione id tanquam rem certam ſupponat, aut unde id hauſerit. Dici non poteſt id cognoviſſe D. Viſitatorem ex reſponſis peritiorum, quos conſuluerit ipſe, cum oſtenſum fuerit ſupra, ne peritos quidem, qui in Oris maritimis nunquam, aut rariſſime inveniuntur, à ſua Excellentia, & ab ipſius Comitibus fuiſſe interrogatos; neque id Miſſionarii duo in Decreti principio citati teſtificati ſunt. Habetur Tractatus à P. Venantio Bouchet ſuæ Excellentiæ oblatus hac de controverſia; in eo non modò non conceditur eſſe peritiores, qui ita ſentiunt, ſed eorum imperitia multis argumentis demonſtratur. Unde idem Pater in Libello ſupplici, quem poſt Decretum latum offerre voluit, quemque ſua Excellentia rejecit, proteſtatur, nequaquam conſtare hactenus potuiſſe Miſſionariis, quamvis diuturnas, ſeriaſque hac ſuper materia feciſſent indagationes, quòd figurà monili impreſſà apud primarios Gentilium Indorum Doctores habeatur Pulleyaris Idolum; voluitque idem Miſſionarius jure jurando affirmare, non plus à ſe

Male expoſitum eſt Illuſtriſs. Patriarchæ peritiores eſſe, qui exiſtimant illud Elephantis caput, eſſe ſimul caput Idoli.

dictum

dictum fuiſſe. P. Carolus Michael Bertoldus neque plus dixit, nec dicere potuit, quam quod Libello continetur: nam triennio quod in Miſſionibus egerat, non adeo potuerat adhuc inquirere, ut poſſet pronuntiare, peritiores impiæ Religionis Sectatores in informi illa figura Pulleyarem agnoſcere: Quod ſi aliqui id ſuæ Excellentiæ retulerunt, fidem merebantur nullam in facto de quo ſoli Miſſionarii in intimis terris verſantes, ubi tantum reperiuntur peritiores teſtimonium ferre poterant: id quod ipſe Dominus Viſitator faſſus eſt, cum dixit, ſe Europæos alios præter Miſſionarios de Taleo, ejuſque figura interrogaſſe; ad ejuſmodi verò interrogationem hæſiſſe omnes, nec verbum quidem hac de re proferre potuiſſe.

Nulli legitimi teſtes id potuerunt exponere. Nec etiam Miſſionarii.

Si diceret Illuſtriſ. Patriarcha aliquos mediocriter peritos in Teſsera nuptiali Pulleyarem depictum ſuſpicari, id utique non inficiaremur: at vero cum aſſerat id dicere peritiores, reclamabit tota Tamulenſis natio, quæ per vaſtiſſimas Indiarum terras ſparſa eo matrimonii ſymbolo utitur, quin aliquando primarii gentis Doctores id aſſeruerint: reclamabit adhuc magis celeberrima Secta Nhanuum, ſeu ſpiritualium Monotheorum, qui ſuperiorem reliquis omnibus humanarum, Divinarumque rerum

Peritiores eſſe paucos illos, qui ita ſentiunt negabit India tota.

ſcientiam profitentes, Idola ſummopere execrantur; & tamen ejus Sectæ homines uxorum ſuarum collo appendunt Taleum nulla in re à reliquis diverſum; facto ipſo declarantes, & verbo declaraturi, ſe Pulleyaris Imaginem, quam horrent, nequaquam appendere: reclamabit minor nunc, quondam numeroſior Atheorum Secta, quæ nihil timet magis, quam ne cultum aliquem ulli ſimulacro deferre videatur: ecquando tamen vel noſtra, vel Patrum memoria auditum eſt, ex ea Secta aliquem extitiſse, qui uxorem ducturus non offerret ſolitam matrimonii Teſseram? Inter ipſos Idololatras Pulleyaris cultores, id quidem dicent aliqui, qui amant ſuas ubique fabulas obtrudere, res maxime communes ſuis commentis illuſtrare, rebus omnibus divinas aſſignare origines: Non dubitamus, quin ſi ea quæſtio nimium diſceptetur, libenter aſsentiantur aliqui ex infenſioribus noſtræ Religionis hoſtibus, qui nobis libenter igni, & aqua interdictum vellent: At peritiores inter ipſos Idololatras, ut res nunc ſunt, nunquam id reſponſuros eſse conſtat. Enim verò quà ratione peritiores illi dici poſſent, qui nulla nec ratione, nec authoritate id probarent, nec reſpondere valerent rationibus quæ contrarium manifeſte evincunt: Nam ſi alicui

Negabunt Sectæ Nhanuum, & Atheorum; quæ Idola licet execrētur, Taleo utuntur.

alicui ex illis, ſi ſuperis placet, peritioribus, negetur Pulleyarem in Taleo eſſe depictum, qua id ratione confirmabit? Non provocabit, credo, ad oculos; novimus quà forma depingi ſoleat Pulleyar, novimus, & quibus notis inſigniri Taleum ſoleat: Pulleyar Idolum eſt immane Elephantis capite, quatuor brachiis inſtructum, obeſo ventre tumidum, exilibus pedibus ſuſtentatum: exhibeantur nobis Talia in monili nuptiali.

Peritiores non ſunt, qui ſuam opinionem probare nequeunt.

Nemo contendit Idolum illum omnibus ſuis partibus conſtans in Taleo adumbrari: ſi ipſi, quos placuit Illuſtriſs. Patriarchæ peritiores appellare, dicunt, caput tantum ibi reperiri: at ne illud quidem ibi poteſt deprehendi; nam oſtendatur Propoſcis, Os, Dentes, Oculi, Aures: oblatæ ſunt Teſſeræ multæ D. Viſitatori, ſimulque oſtenſa eſt Pulleyaris figura; quæ cum inter ſe accuratè contuliſſet, dicere non dubitavit, ſe in illis Taleis nullam cum Idolo ſimilitudinem deprehendere; addiditque ſe triginta, & amplius annos in Indiis verſaturum, quin id ſuſpicaretur.

Nec oculorum experientia, nec librorum authoritate, nec ratione.

Provocabunt ne ad libros? Deſcribunt illi quidem ſatis fuſe, & minutim quæ ad Deos ſpectant: de Idoli figura Taleo imprimenda, vel impreſſa, nec verbum quidem. An ex tra-

ditione

ditione fabuloſa id acceperunt? At traditionem oſtendimus prorſus eſse contrariam; ſi quidem Sectæ Idolorum inimicæ illud monile admiſerunt; quod nunquam fecißent, ſi ſcitum aliquando fuißet, Idoli caput Taleo eſse inſculptum. Valere hìc præſertim debet exemplum Sectæ Spiritualium Monotheorum, quam perantiquam eſse ſatis conſtat ex celeberrimo Bardeſanis apud Euſebium teſtimonio, quo aſserit, multa apud Indos fuiſse hominum millia, qui ex maiorum, ſuæque legis traditione Idolis carebant, Deoque colendo unicè intenti erant: multo enim probabilius eſt, hanc, quæ nunc in nonnullis viget Sectam ab illa antiqua deſcendere abſque ulla interruptione, quam fuiſſe aliquando extinctam, & ſuis ut ita dicam, ex cineribus revixiſse: quod ſi ita eſt, prope demonſtratur, nunquam gentis opinionem fuiſse, Taleo ineſse Idolum: nunquam enim homines tam Idolorum inimici Teſseram figurà illà pollutam recepiſsent.

L.6. c. 1. de Præp. Evang.

Convenientiæ rationem affert Illuſtriſs. Patriarcha, in qua ſupponit rem incertã; nempe Idolum Pulleyarem eſſe nuptiarum Præſidem.

An ratione aliqua oſtendetur ſculptum in Taleo fuiſse Pulleyarem? At facta non rationibus, ſed authoritate probantur: rationibus probatur ad ſummum, rem potuiſse convenienter fieri; at factam re ipsà fuiſse non probatur. Unam ex illis convenientiæ rationibus

affert

afſert Decretum, quod nempe Pulleyar nuptiis præſideat: id tanquam certum Illuſtriſs. Patriacha ſupponit; quod tamen minime certum eſt. Quid cauſæ eſt igitur, inquiet aliquis, cur ad nuptias ejus ſimulachrum deferatur? Reſpondeo eandem ob cauſam id fieri, ob quam ad compita ad Forum, ad Balnea conſtituitur, & ad alios præſertim mulierum cætus defertur: Narrat fabuloſa Indicorum Deorum hiſtoria Pulleyarem formoſiſſimà natum matre Sponſam aliquam quærere ejuſdem formæ; Statuiſseque non ducere minus pulchram; aiunt eum nondum Voti compotem factum eſse; ideo locis illis adſtat, non nuptiarum, non balneorum, non nundinarum præſes, ſed curioſus formarum explorator.

Vera ratio cur eius Idolum ad nuptias afferatur.

Ex quo ſi convenientiæ rationibus alias ſimiles opponere licet, apparet non fuiſse, quòd in nuptiarum præſidem ille deligeretur, qui cælebs vixit hactenus, & illà Uxoris deligendæ cunctatione, homines à nuptiis deterret potius, quam ad eas hortatur. At enim Sponſi Idolo Pulleyaris munera deferunt: deferunt & aliis Diis, quos nuſquam matrimonio præſidere dictum eſt: Quod ſi illud Idolum iis omnibus rebus præſidere dicatur in quibus ejus ſimulachrum apponitur, ſacrificiaque accipit, omnium

nium fere Opificiorum præſes cenſendum erit; Agriculturæ, artis fabrilis, artis lignariæ, ſculpturæ, picturæ, artium denique omnium; in quibus vix ullum opus inchoatur, quin litetur Pulleyari. Denique nulla reperitur hujus tituli mentio in libro *Logapranam*, qui admodum fuſe Deorum, ipſiuſque Pulleyaris titulos refert; & eam habet apud illos populos authoritatem, quam ſolum Dei verbum meretur. Certe ille titulus in eo non foret omiſſus, ſi Idolo illi fuiſſet conceſſus eo tempore quo illa Deorum hiſtoria ſcripta eſt; unde multo recentiorem eſſe liquet titulum hunc, quem nunc aliqui è populo ipſi tribuunt, nato errore ex eo quod ejus Idolum ad nuptias deferatur: Quare veriſimilius eſt, duo illa antiquitati ignota fuiſſe, Pulleyarem eſſe nuptiarum præſidem, ejuſque Imaginem Taleo inſculpi; Suntque, ni fallor, duo illa nova ſuperſtitionis Indicæ perpetuo creſcentis inventa ab aliquo magis ſuperſtitioſo excogitata, & hactenus à pauciſſimis admiſſa.

Nulla mentio huius tituli in libris Indorum.

Sed quanquam conſtaret Pulleyarem haberi ab omnibus, & ſemper habitum fuiſſe nuptiarum præſidem, nihil amplius id probaret, ut jam obſervavi, niſi convenienter potuiſſe illius Idolum Teſſeræ nuptiali apponi, non verò re

ipſa

ipſa appoſitum fuiſſe. Porro in hoc diſputationis genere in quo de factis quæſtio eſt; nempe utrum illud Elephantis caput, quod in Monili exiſtimatur depictum, ſit Idolum Pulleyaris, in illis, inquam, occaſionibus pro infecto haberi merito poteſt, quod factum fuiſſe non probatur: atque ea prima ratio ſit, qua aſſerimus caput illud Elephantis non eſse Pulleyarem, quod Pulleyarem eſſe nulla neque authoritate, neque ratione probari poſſit: hoc argumentum adeo validum eſt, ut unicum ſatis eſse poſset; ſiquidem probandi onus in eos incumbit, qui aſſerunt: Sed in eo non ſtabo; & quamvis forte non tenear, rationes afferam graviſſimas ad probandum effigiem Taleo impreſsam, non eſse Idoli imaginem.

Ratione probatur tamen præterea figuram Taleo inſculptam nō eſſe Idolum.

Exploratum quippe eſt, Sanctiſſime Pater, Idololatras Indos gravi religioni ducere truncos Deorum ſuorum imagines efformare; cum id prorſus contra naturam putent; propterea quod tales formæ illis mendaces quodammodo eſse videantur, parumque idoneæ, quæ nobis ad oculos Deorum maieſtatem ponant: Et vero cum Idololatræ Deos ſuos corporeos putent, plebſque non alios Deos ſuſpicetur, quam quod oculis cernit, manibuſque palpat opus manuum ſuarum; indignum illis videtur, non

quidem ut plura habeant membra, quam homines ſolent, ex quo perfectior Deorum natura, maiorque virtus intelligitur, ſed quod habeant pauciora: hinc illis ſæpe quatuor, ſex, vel plura brachia, multa capita, alioſque portentoſos artus affingunt, & detrahi illis quidquam nunquam patientur.

Caput ſolū Idoli non appoſitum fuiſſet, nec opere, nec anaglypho.

Hinc Chriſtianis ut rem turpiſſimam Idololatræ exprobant, quod Sacras Imagines ſemicorporeas proponamus, quaſi Sanctos mutilemus, ſicque mutilatos veneremur: judicant enim tam contra naturam eſse diminutas ejuſmodi figuras, quam contra naturam forent homines illis figuris ſimiles. Unde quemadmodum optime in Europa probaretur, effigiem quam conſtaret eſse bicipitem, non eſse effigiem Beatiſſimæ Virginis, aut alterius Sancti, eò quod Religio noſtra nullibi hoc portentoſo modo Beatiſſimam Virginem, aliumve Sanctum depingi ſinat; ita optime probatur non eſse Pulleyaris avulſum illud Elephantis caput; eo quod ſeparata Pulleyaris, aliorumque Deorum capita nunquam Indi effingant, ſed ea potius deteſtentur. Eaſdem fere ob cauſas averſantur figuras ſemiextantes, & ex plano metallo ſalientes, eo quod integræ non ſint: Eccur ergo in monili nuptiali Pulleyarem ſemiextan-

tem effinxiſsent, altera parte capitis in metallo latente? Denique cùm Indi Idololatratæ oderint, & repudient eas Deorum Imagines, quæ non ſunt Statuæ propriè dictæ, quid cauſæ eſse dicetur, cur non exiguam, ſed integram Pulleyaris ſtatuam collo appenderint potius, quam illam imaginem, quæ tot de cauſis peccat contra receptos Indiæ uſus?

Nam Indi horrent figuras, quæ non ſunt ſtatua propriè dicta, membris omnibus conſtantes.

Altera lex eſt in illis terris non minus inviolatè obſervata, ut Idola quotquot fiunt ex metallo, fuſione formentur: Qua igitur ratione conſenſere, ut Teſsera nuptialis, ſi Idolum eſſet, maleo duceretur, & impreſsa in eo figura ictibus efformaretur; quod illis perinde eſt, ac ſi ipſa Numina incudi imponerentur: Nec ſatis eſt bene fuſam prodire ſtatuam; volunt præterea depingi ad vivum illius ſimulacri vultus, oculos, & ora; quod ni fiat, nihil habere divinum reputatur: id quoque in Taleo prætermittitur; ita ut, qui aſſeruerit in eo Pulleyarem haberi, fateri ſimul cogatur, hanc unam Teſſeram nuptialem ab Indis fuiſse electam ad omnes Idololatriæ ſuæ leges prætergrediendas. Sed demus eas violaſse; Cur figuram illam ſeu Pulleyaris, ſeu Elephantis tam volunt eſse obſcuram, & informem, ut ne lynceis quidem oculis poſſit detegi? Quidni jubent, ut Auri-

Taleum fuderent, non maleo cuderent; pingerent oculos, & ora de more aliorum ſimulachrorum.

fex quam ſolertiſſime poterit, Elephantis, vel Pulleyaris caput effingat, ut ab omnibus agnoſcatur? Adeo non id jubent, ut ſiquis Aurifex claram, perfectamque Elephantis, illiuſve Idoli figuram expreſſiſset, nulli Idololatræ viſa tali immutatione monile illud admitterent; & è contra Aurificem talia inducere conantem gravibus afficerent pænis. An non inde perſpicuum fit, Tamulenſes nuptialem Teſseram ſuæ Tribùs propriam, non vero Idoli figuram deſiderare?

Elephantis figura convenienter aſſumi potuit, in ſignum boni, pudiciqe matrimonii.

Si tamen Elephantis caput in Teſsera nuptiali cuſum eſſe ſupponatur, omnino afferenda potius erit, quævis alia hujus ſimboli ſignificatio, quam ea quæ ab Indorum conſuetudine tantopere abhorret: Dicendum erit Elephantem v. g. idcirco fuiſſe electum, quod inter illas gentes, ut olim inter Ægyptios, eſſet ſymbolum ſapientiæ, quà in matrimonio tantopere eſt opus: Vel potius dicendum electum fuiſſe, quod Elephas ſit animal in primis pudicum, quod, Plinio teſte, nulla propter fæminas miſcet prælia; nec niſi clam ſolvitur in Venerem quinis tantum cujuſcumque anni diebus; ac nulla novit adulteria. Multa addit idem Author de eorum intellectu, prudentià, docilitate, quæ omnes virtutes in Conjugibus maximè

L. 8. c. 5.

expe-

expetuntur. Sed putem veram cauſam eſſe, quod illud animal ſummo in pretio habeant Indi, unde convenienter aſſumpta eſt ejus imago in matrimonii Teſſeram, quod inter illas gentes matrimonium per antonomaſiam, bonum appelletur: Sed reliquas rationes afferamus, quæ probant in Taleo Idolum nullum eſſe.

Si in Taleo Idolum foret, aliquis ei cultus exhiberetur.

Si mens Inſtitutorum fuiſſet in eo Idolum efformare, certe aliquis ei cultus exhibitus fuiſſet à populis illis omnium populorum ſuperſtitioſiſſimis, qui omnes falſæ Religionis umbras avide conſectantur; præcipuè cum primum illa n Teſſeram collo appendunt; vel cum Conjuges aliquid à Diis ſuis impetrare vehementer optant. Ecquando tamen aliquid ejuſmodi viſum eſt? Cum traditur, traditur non veluti res Sacra, ſed veluti merum Conjugii ſymbolum; unde parentibus, amicis, atque affinibus offertur, ut illud manu ſuperpoſitâ approbent, ad ſignificandum à ſe matrimonium illud approbari: Manum vero imponunt abſque ulla è tot geſticulationibus, quas ſolent uſurpare, cùm ſacrum aliquid ſe facere arbitrantur. Nuptiarum die cuivis alteri Pulleyaris ſtatuæ ſupplicabunt; Taleo ne minima quidem exhibetur reverentia. Ad filios obtinendos longas pere-

peregrinationes ad famoſiſſima quæque Indiæ Templa ſuſcipiunt Conjuges; omnibus ſimulacris vota faciunt, nec omittitur Pulleyar, niſi in una Teſſera nuptiali, ſi in ea reconditus latet.

Traderetur ut res Sacra: ad illud mulieres ſupplicarent ſuis in calamitatibus.

Scimus quantas in anguſtias Sponſorum ſuorum morte mulieres nuptæ conjiciantur, cum dotem nullam afferant, juſque nullum habeant nec ad paterna bona, nec ad bona mariti: Quæ hora ſponſum eis aufert, fortunas omnes rapit; & ni filii, aut parentes miſereantur, ad mendicitatem redigit: Quid? quod earum vita à vita Conjugis ſæpe pendet: Invaluit crudelis illa lex inter Indos, ut Vidua, niſi filios habeat tunc lactandos, aut educandos, nequeat ſine dedecore Marito ſupervivere: Ergo mariti amore, egeſtatis, aut mortis metu quibus Idolis preces non fundunt, ſacrificia non offerunt? Quoties ad pedes ſimulacrorum in viis publicis poſitorum ſe ſe proſternunt: hujuſmodi mulierem ſic libenter compellarem: Quid ni iſti Idolo Pulleyaris, quod collo pendulum geſtas, preces offers? Cur illud unum omittis, quod omnium primum in vota vocare debuiſses? Si alia Idola res humanas generatim curant; Si alia Pulleyaris ſimulachra præſunt matrimoniis, at illud præeſt tuo; ad illud in primis confugere debueras;

ras; & ne quidem poſt alia omnia incaſſum fatigata, ad iſtud venis: Non ita ſane facerent, ſi ſe collo appenſum tale Idolum gerere ſuſpicatæ eſſent; & ſi quando ea invaluiſſet ſuperſtitio, non in tantam oblivionem res tam familiaris usùs ulla temporis diuturnitate incidiſſet. Accedit, quod non ſoli Tamulenſes Pulleyaris figuram in ſuo monili geſtaturi fuiſſent: erga Pulleyarem non minus reverentes ſunt Telungi, Canatenſes, Malabarenſes; & tamen eorum Talea, nullam habent cum Tamulenſi ſimilitudinem.

Taleum ſæpe conculcatur tum à Gentilibus, tum a Chriſtianis.

Sed quid de omiſſo cultu loquor, cum Taleum contumelia, ignominiàque affici millies conſpexerimus: Quotidianum eſt, ut mulieres Idololatræ irà in Maritos concitatæ, ad declarandum quàm ipſas matrimonii pæniteat, pigeatque, ac Sponſo ſe mortem imprecari; detractam è collo matrimonii Teſſeram, in terram projiciant, pedibus conculcent, lapibus molant, aliaſque ei injurias infligant, Idolo nunquam ab Idololatris infligendas. Idem aliquando, quamvis non eodem animo, faciunt mulieres Chriſtianæ; quod non paterentur Ethnici, ſi Pulleyaris imago foret, quantumlibet informis. Religionis noſtræ hoſtes ut Tanjaurenſis Regis animum in Chriſtianos in-

flamma-

Id non pa-terentur Ethnici; licet ſit figura informis; id quod exemplo oſtenditur.

flammarent, induxere in Theatrum Actorem, qui informem Idoli neſcio cujus effigiem calcibus protereret: Non tulit hanc ſpeciem Rex; Siccine, exclamat, Diis illuditur? Tunc ei Miniſter, qui hanc technam adinvenerat, dixit; Id ipſum quotidie à Chriſtianis impune fieri: Quo audito Rex exarſit in furias, ſequentique die juſſit Chriſtianos in Carceres detrudi. Non ſinebat Rex ille Idoli imaginem conculcari; & mulieres quotidie ſinerentur ſuum Tale comminuere, ſi vel informis Pulleyaris imago in eo crederetur? Tam eſsent antiqui cultùs obliti, ut à ſumma veneratione quæ ei quondam exhibita fuiſset ad ſummum contemptum, contumeliaſque deventum eſset?

Sequitur veriſimilem non eſſe opinionem illorum paucorum, qui volunt in Taleo eſſe Idolum.

Complexio hactenus dictarum iſta ſit: rem eſse admodum dubiam, & minime probatam, omnibuſque fere ignotam utrum Elephantis caput in Taleo habeatur: deinde multo adhuc eſse pauciores, immo pauciſſimos, qui dicant, illud Elephantis caput Pulleyarem eſse, eoſque Peritiorum nomen minime mereri, ſed potius Ariolorum, qui id dicunt, ut dicant aliquid, eamque opinionem nullam habere veriſimilitudinem, cum ſolidiſſimis argumentis confutetur. Quam ob rem facilius erit mihi jam demonſtrare id, quod tertio loco propoſui, non

peccari

peccari contra externam Fidei profeſſionem, Talei geſtatione.

§. III.

NOn peccat contra externam Fidei profeſſionem mulier ſuum Taleum geſtans, niſi ex illa geſtatione prudenter judicari poſſit Pulleyaris cultrix; id verò prudenter poſse à quoquam judicari pernego: Nam quis viſo monili in alicujus mulieris collo talem opinionem concipiet? Certe non illi qui nunquam audivere de illa pauciſſimorum opinione ſuſpicantium, Pulleyaris effigiem eſſe monili nuptiali inſculptam: nec illi, qui licet de ea audiverint, falſam eam exiſtimant: atqui, ut jam obſervavi, hæc eſt numèroſiſſima, doctiſsimaque Indiæ pars, vel potius India tota, vix ut in Civitatibus populoſiſsimis decem reperire ſit, qui credant Pulleyaris Idolum Taleo ineſſe: Iſti ipſi poſſuntne prudenter judicare mulierem monile geſtantem Idololatram eſſe? Non poſſunt; Sciunt enim geſtari à Chriſtianis, quas non ignorant eſſe capitales Idolorum hoſtes; Sciunt geſtari ab Atheis, & Monotheorum ſpiritualium Secta, qui omnes Pulleyarem, Idolaque omnia deteſtantur; Sciunt ab ipſis Idolo-

Talei geſtatio non eſt contra externam Fidei profeſſionem,

Nam ex Taleo à nullo iudicari poteſt mulier Pulleyaris cultrix,

latris mulieribus non geſtari in honorem Pulleyaris, quem vulgo neſciunt ibi eſſe inſculptum; Sciunt nullam Taleo haberi venerationem, immo ſummis interdum affici contumeliis; denique in ſignum matrimonii tantum geſtari: Unde tam ridicule ineptus foret, qui ex tali monili collligeret, mulierem eſſe Idololatram, ut certum ſit, ne unum quidem reperiri, qui re ipſa id colligat. Multo plura poſſem in eam ſententiam addere; ſed non video quid poſsit ſatisfacere ei, qui aliquid præterea deſideraret. Sane ſi idem dici poſſet de Pileo Judaico, de Veſte Derviſia, & aliis inſignibus, de quibus Theologi diſputant, utrum eorum geſtatio ſit contra Fidei profeſsionem, facilem illa omnia ſolutionem haberent.

Et re ipſa à nullo iudicatur in Indiis; nec illa geſtatione quiquā ſcandalizatur.

Iiſdem rationum momentis evincitur, nullum omnino in Talei geſtatione intervenire ſcandalum; non dico ſcandalum, quod alicui poſſet eſſe occaſio ruinæ, aut peccati; nullum enim ejuſmodi ſcandalum poſſe præberi per Teſſeram nuptialem, res eſt evidens; ſed de ſcandalo loquor, quod poſitum eſt in aliorum offenſione exiſtimantium rem aliquam male fieri; aſeroque iiſdem rationibus nixus, nullum omnino in Indiis vel tantiſper illius monilis uſu offendi; ne paucos quidem illos, qui Pul-

leyarem

leyarem in illa Teſsera latere conjiciunt: Quid ita? quod nempe ſciant, ſuam opinionem incertiſſimam eſse, de ea fæminas nihil omnino ſcire, longeque diverſum ob finem, quam ob cultum Pulleyaris ſuo Taleo uti: Unde veriſſime ab Illuſtriſs. Maliapurenſi dictum eſt, ſcandalum nullum dari activum, vel paſſivum in illo uſu: Addo Europæos etiam hactenus eo offenſos non fuiſse; nec vero poſse offendi; niſi forte nimium facile ſibi perſuadeant aliquid in eo ſuperſtitionis eſse: at nemo credo erit, qui ob eorum male ſtabilitam opinionem tanto animarum damno velit monilis illius nuptialis uſum Chriſtianis mulieribus interdicere. Venio igitur ad quartum caput, & expendo, utrum illius monilis geſtatio Chriſtianam ita mulierem dedeceat, ut eis merito ſit prohibenda.

§. IV.

Sequitur ex dictis Talei geſtationem non dedecere mulierem Chriſtianam

AIt Illuſtriſs. Patriarcha dedecere mulieres Chriſtianas Pulleyaris effigiem collo ferre in matrimonii ſignum; in quo ſua Excellentia ſupponit, re ipſa effigiem eſse Pulleyaris Taleo ſculptam; eo quod exiſtimaret, eam eſse peritiorum falſæ Religionis Sectatorum ſenten-

tiam? Sed cum oſtenderim peritiores non eſſe, ſed potius minus peritos, qui ita ſentiunt; cùm oſtenderim opinionem illam tum peritiſſimorum authoritate, tum ratione multiplici confutari; cum ne quidem certum ſit, Elephantis caput Pulleyarem eſſe: denique cum oſtenderim, neque contra Fidem eſſe illam geſtationem, neque habere ſcandali quidquam, totamque gentem nihil in eo agnoſcere præter vim matrimonii determinandi; non video equidem ex quo poſſit illa indecentia manare, niſi ex repugnantia quæ eſt inter Chriſtiani characterem, & uſum ſigni, in quo pauciſſimi, nimiumque arguti divinatores, reclamantibus peritiſſimis, & maxima gentis parte prorſus inſcia, Idoli caput eſſe ſomniarunt. Ubi ſumus, ſi hæc indecentiæ umbra Eccleſiæ fulmina meretur? Si ob eam tot Chriſtiani ex Ovili Chriſti expellendi ſunt, & ſinendi in interitum ſempiternum ruere? Quo hìc me vertam neſcio, Sanctiſſime Pater, nam id conſultum non fore tam evidens eſt, ut argumentis egere non videatur; totque mihi argumenta ſuppetunt, ut ſuſpenſus hæream, quæ potiſſimum debeam eligere. Sive enim illam qualemcunque indecentiam comparem cum tot aliis rebus, quæ vel nunc in Eccleſia tolerantur; ſive cum iis, quæ quondam

Aut ſaltem non ita dedecere, ut tanto damno prohibenda ſit,

Eccleſia

Eccleſia naſcente tolerata ſunt, multa reperio, quæ ſi tanta ſeveritate expendantur, magis videbuntur dedecere, & quæ tamen Eccleſia nunquam prohibuit.

Liceat mihi percontari, utrum ex duobus magis dedeceat, an mulierem Chriſtianam illud ſui conjugii ſignum geſtare, an Pictores, Seulptores Chriſtianos ſuam artem impendere tot tabellis, tot ſtatuis elaborandis in quibus falſa numina minus religioſe, minuſque pudicè delineantur? In Palatiorum, Naviumque ornamentis quot adorata quondam falſa Deorum ſimulacra, quæ melius fuiſſent cum adoratoribus ſepulta? An non conveniret magis Principum Chriſtianorum Palatia, Naveſque decorari ornamentis Virtutum, quam antiquæ ſuperſtitionis monumentis? Aut ſi ita ſigna placent, & tabellæ, conſtituantur D. N. JESU Chriſti, ac Sanctorum effigies; quarum intuitu mens ad cæleſtia tollatur, abolitis penitus illis Idololatriæ reliquiis, quibus nonnunquam caſti oculi offenduntur. In ſtemmatibus Gentilitiis quot ſymbola ex Idololatria petita? At ubi ſtēmata talibus inſignita ſymbolis conſpiciuntur? In ipſis Templis, atque Altaribus, in ipſis aliquando Vaſibus, quibus Sacra Myſteria peraguntur, & peracta cuſtodiuntur. Hæc aliaque

Non magis, nec tam dedecet Taleũ, quam Europæos tot ſymbola, ac monumenta ex antiqua ſuperſtitione reſidua.

que tam multa, quæ ſileo, ſinuntur in Europa, ubi nullo, niſi forte luxùs, & ſuperbiæ diſpendio reſecari poſſunt; reſecatur in Indiis ſub gravibus pænis, id quod vix habet indecentiæ umbram; licet totius Religionis ruina ex illa prohibitione conſecutura ſit.

Nihil eſt periculi, reponet aliquis, in illis Europæ uſibus: norunt cuncti, quo animo hæc fiant, & quem ad finem referantur, ad ornatum nempe, & non ad finem religioſum: In India minus adhuc periculi, minus indecentiæ: primò indecentia nulla, quæ ſit contra pudoris leges; caſtum eſt ex omni parte monile nuptiale, caſtitatiſque conjugalis vel ſymbolum, vel præſidium: Deinde quid periculi poteſt eſſe contra Religionis virtutem in illius ſymboli uſu, quod notum eſt omnibus nullo excepto, geſtari in ſignum conjugii, quodque nullus ſuſpicatur ad ullum finem religioſum referri. In Europa norunt quidem omnes ea ſymbola, quæ ubique conſpiciuntur, nihil eſſe niſi ſimulacra, nihilque habere Numinis: In India melius aliquid contingit; nam Europæas numinum figuras compertum eſt fuiſſe Pſeudo-Deorum effigies; figuram verò Taleo impreſſam tota fere India ne cogitat quidem aliquid habere, aut habuiſse unquam cum Religione affinitatis:

Nec obſtat, quod in Europa extincta ſit Gentilitas.

Nulli

Nulli certi ſunt, figuram Idoli eſſe; contra, ſciunt omnes à nullo tanquam Idoli figuram geſtari. Totum igitur Indiam inter & Europam quoad rem præſentem diſcrimen eſt, quod in Europa ſimulacra nullibi adorentur; in India Pulleyar, non quidem in monili, ſed alibi adoretur: At facitne plurimum illud ad decori rationem, ſi mihi concedatur, quod negari nequit, monilis Indici uſum ſcandalum nullum afferre; & ne leviter quidem exteriori Fidei confeſſioni repugnare: Judicandum relinquo, an non quantum ab indecentia detrahit inter Europæos extinctio Idololatriæ, tantum ab eadem indecentia inter Indos detrahat ſumma Idoli ibi latentis incertitudo, oblivio, totiuſque gentis ea de re neſcientia: Jam cum decori ratio non ex virtute Religionis tantum, ſed ex aliis quoque petenda ſit, nemo negare poteſt, quin minus Chriſtianam mulierem ſua illa Teſſera dedeceat, quam uſus tot figurarum, quibus modeſtia, pudor, ædificatio ſæpius offenduntur: Attamen ne nobis diſcrimen illud importuniùs objiciatur, ad ſuperiora Eccleſiæ tempora conſcendamus, & pauca è multis exempla ſeligamus.

Utrum magis dedeceat, an mulierem Chriſtianam ſuum monile, an Imperatores Chri-

ſtianos

Taleum non tam dedecet, quam tolerata ab Imperatoribus Christianis Stola illa, quę insigne erat Pontifi. catus Gentilici.

ſtianos Gentilitii Pontificatùs Stola: expendantur cauſæ ob quas Chriſtianis Imperatoribus à Conſtantino Magno ad Gratianum uſque id licuiſſe defendit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius apud Spondanum; ad duas poſſunt revocari; quarum prima probatur, rem in ſe non eſſe vitioſam, altera vero fuiſſe neceſſariam: Non eſſe in ſe vitioſam probant Annales Eccleſiaſtici ex eo, *Quod non conſueta Gentilium ſuperſtitione Chriſtiani Imperatores id agerent; ſed tantum amictu Pontificio oblato, eoque accepto, titulum Pontificis Maximi uſurparent:* Hæc ſi ratio valet in Imperatoribus, valeat neceſſe eſt & in re noſtra; cum nulla pariter interveniat ſuperſtitio in modo accipiendæ, & geſtandæ Teſſeræ nuptialis; quæ ſi ſuperſtitionem ſapit, multo minus ſapit, quam illa impii Pontificatùs Stola, ad nullos alios uſus deſtinata.

Si Stolla illa ſuperſtitione vacabat, vacat & Taleum.

Neceſſitas illius Stolæ ex eo probatur, quod ſic videretur Imperatoriæ dignitati Summus Pontificatus adjunctus; U*t ſine illo Imperator eſſe non poſſet; & in eum facile Senatus, Populuſque Romanus Gentilicæ factionis conſpiraturi eſſent, quem non viderent patriâ Religione firmatum ... Quod ampliſſima eſſet illius Magiſtratùs authoritas; quippe qui poſſet Comitia dirimere,*

mere, atque ipſos Conſules abdicare, factaque reddere irrita; aliaque ſimilia: Sit ita ſane; at ſi indecentia talis Stolæ ex illius neceſſitate tollitur, idem faciet Talei neceſſitas, quæ minor non eſt: In Imperatoribus agebatur de retinenda Imperii dignitate, & authoritate; in Indiis agitur de retinenda Religione; niſi forte totum diſcrimen ſit, quod illa Stola ab Imperatoribus, illud monile à mulieribus geſtetur; quaſi vero indecentia cum de rebus Religionis agitur ex perſonarum dignitate non augeatur potius, quam minuatur.

Si geſtatio Stollæ erat neceſſaria, magis neceſſaria eſt Talei geſtatio.

Secundum exemplum ſit geſtatio militarium ſignorum, ſcutorum, galearumque in militia Romana: Hæc omnia à Militibus Chriſtianis geſtata fuiſſe dubitari vix poteſt; cum innumeros Chriſtianos ſub Imperatoribus etiam Paganis in omnibus turmis militaſſe conſtet; Sciamuſque Legiones aliquas Chriſtianas fuiſse, aut totas, aut maiori ex parte; quas inter celeberrimæ ſunt Fulminatrix, & Thebana: Quænam tamen erant illa ſigna, quænam figuræ in Scutis, Galeiſque depingebantur? In ſingulis Legionibus geſtabatur Aquila, geſtabantur Martis, aliorumque Deorum ſimulacra; geſtabantur Romuli, & poſtea Imperatorum in Deos relatorum Imagines; geſtabantur ſymbola ſuperſti-

Iuſt. Lypſ de milit. Rom.

Taleum minus dedecet quam Chriſtianos milites Romanorum armorum, ſignorumque geſtatio.

perſtitioſiſſima Lupi, Sphynges, Dracones: Tota Legio Caſtrenſis, teſte Tertulliano ſigna venerabatur, ſigna jurabat, ſertis, & floribus ſigna exornabantur à Gentilibus eo modo quo ipſi Dii Lares; inungebantur feſtis diebus, ut Jupiter in Capitolio: In ipſis Scutis, quæ ſinguli milites geſtabant, ac Galeis formas, ſimbolaque fuiſſe plurima tota clamat antiquitas: Denique in militia Romana omnia erant adeo ſuperſtitione plena, ut eruditi aliqui S. Scripturæ Interpretes Chriſti Prophetiam de abominatione deſolationis ſtante in loco Sancto crediderint tunc fuiſse completam, aut compleri cæptam, cum Romana ſigna è regione Templi Jeroſolimitani collocata ſunt.

Abominatio deſotationis à quibuſdā doctis intellecta de armis, ſigniſque Romanorum.

Quæro iterum, utrum magis dedeceat mulierem Chriſtianam geſtare dubiam illam, totique Genti ignotam Pulleyaris Imaginem, quam militem Chriſtianum præferre ſpectante, & agnoſcente toto exercitu ea ſigna, quæ ſciebantur à militibus Idololatris adorari; & ea arma ferre in quibus non dubiæ, ſed certiſſimæ viderentur inanium Deorum formæ, ac ſymbola indubitata: Quî evitare potuerunt milites Chriſtiani, quin arma aliorum militum armis ſimilia induerent: Ecquando præceptum illis impoſitum eſt, ut in iſtis potius, quam in illis

turmis

turmis militarent, ut Clipeos, Galeaſque communes abjicerent? Poterat hoc exemplum multo fuſius exponi, referendo quam ſuperſtitioſa eſſent pleraque ſymbola, & ſimulacra, quæ in armis, ac ſignis videbantur; adductiſque teſtibus comprobare Chriſtianos contemptà, vitataque ſuperſtitione, iis non dubitaſſe ad ſuos fines nativos uti; Signis ad turmas diſcriminandas, armis ad ſe ſe protegendum, armorum ſignis ad ornatum: Sed hoc argumentum ſatis ſit indicaſſe, alii maiori otio illuſtrare poterunt.

Tertium exemplum erit celebris illa Corona Laurea, quam ſumebant milites antequam Donativum acciperent: Tertulianus fuſe docet, quam ſuſpecta eſſet illius origo; non tamen dubitavere Chriſtiani milites illam accipere, uno excepto, cujus hiſtoria nota eſt. Confero iterum rationes, quibus ex Eminentiſs. Cardin. Baronio Spondanus uſum Laureæ Coronæ propugnat, cum iis quibus monile nuptiale defenditur: Licebat ergo Coronam Lauream geſtare; *quod eam nec ex Idolo ſumerent, nec ei poſtea offerrent; nulla cum ea Thuris oblatio, vel alia intercedebat ſuperſtitioſa libatio*: Hæc omnia de Taleo non minus vera ſunt; nihil aliud Laurea præſeferebat, quam Victoriæ inſigne;

Spond. ann. 201.

Talei geſtatio minus dedecet muliere͂ Chriſtianam. qua͂ Corona laurea militem Chriſtianum

L. de Cor. mil.

licet Tertulliano aliud præferre viſa ſit: nihil aliud totius populi, omniumque peritiſſimorum judicio præſefert Taleum, quam Conjugii inſigne, licet pauciſſimi conjectores aliud præſeferre opinentur: Laureà nec qui tunc aderant, nec qui aliàs ſub aliis Imperatoribus militaſſent, abſtinuiſſe unquam, nec quod retinuerint, reprehenſi inveniuntur: Taleo utuntur Chriſtiani ab ipſis S. Franciſci Xaverii temporibus tota India ad littus maris ſub oculis Reverendiſſimorum Epiſcoporum quin unquam de eo reprehenſi inveniantur. Nullus erat penitus offenſioni locus in illa Laurea; nullus eſt pariter in Taleo: Non erat Laurea ejus temporis, & actionis voluntarium, ſed omnino neceſſarium capitis ornamentum: Non eſt Taleum præſenti tempore liberum, ſed omnino neceſſarium matrimonii ſignum: Non temere audax facinus illius Militis, qui Lauream detrectavit, cæteri improbarunt; nec temere, ſed ſolidis nixi rationibus Epiſcopi, Miſſionarii Chriſtiani hanc D. Viſitatoris legem deprecantur. Illius militis occaſione mox fuit poſt longam pacem Eccleſia nova perſecutione concuſſa; hujus prohibitionis occaſiones recentes adhuc perſecutiones furioſius recrudeſcerent; & ni Deus miraculo ſubvenerit, Fides Chriſtiana ex

Quæ cauſæ excuſāt Coronam illā, excuſant & Taleum.

illis

illis terris prorſus ablegaretur? Laurea geſtari poterat, licet Laurus Apollini Sacra cenſeretur; alioqui, id quod deridet Auguſtinus, nec ipſis quatuor Elementis, nec arboribus, aliiſve plantis, & animalibus diverſis Diis dicatis uti conceſſum fuiſſet: illud idem poteſt de Taleo aſſeri; nam cum nulla ferè ſit animantis forma, quæ apud Indos alicui Idolo non tribuatur ſeu ſimilitudine, ſeu dedicatione, ſequeretur nullis uti poſſe Chriſtianos animalibus, ſeu animalium figuris. *Ep. ad Pub.*

Cum igitur nefas ſit exiſtimare, male ab Eccleſia veteri fuiſſe permiſſum, toleratumve, ut milites Lauream Coronam, Signa, & Scuta geſtarent, & Imperatores Amictum Pontificium inducrent, alterutrum neceſſario dicendum eſt, vel res illas nequaquam dedecuiſſe Chriſtianos, eo quòd decori ratio non ſolum ex rebus ipſis, ſed præterea ex rerum adjunctis æſtimanda ſit; vel ſi quis malit confiteri; eos Chriſtianos tantiſper dedecuiſſe, agnoſcere cogetur, non omnia, quæ aliquantulum dedecent, continuo eſſe prohibenda, ſi modo contraria Fidei non ſint, & eorum tolerandorum ſumma ſit neceſſitas. Utrum libet ſtatuatur de tribus illis exemplis, idem dicendum erit de Teſſera nuptiali: nam cum maneat probatum, ex illius prohibitione

Ex quibus exemplis infertur Taleum non dedecere; aut ita parum dedecere, ut nõ ideo prohibendum ſit.

tione ſequi Chriſtianæ Legis in tribus illis Miſſionibus everſionem; multo veriſimilius eſſe Taleum nullam Idoli figuram præſeferre; cum ſit demonſtratum externæ Fidei profeſſioni nequaquam repugnare; nihil ſcandali parere; denique non magis, immo nec tàm dedecere mulieres Chriſtianas, quam Stolæ Pontificiæ, quam Signorum, & Scutorum, quam Laureæ geſtatio, judicabit, uti ſpero, Sanctitas Veſtra vel nequaquam, vel ita parum dedecere, ut non ideo ſinendæ ſint tot animæ in æternum ruere excidium. Sed veniamus ad ultimam hujus tractationis partem; & videamus utrum expediat, aut poſſibile ſit, eam inducere Talei mutationem, quæ Decreto proponitur.

§. V.

Mulier nupta non poteſt carere Taleo.

DEclarat Illuſtriſ. Patriarcha ſub hujus Statuti finem, mentem ſuam non eſſe, ut fœminæ nullam matrimonii Teſſeram geſtent: ***Et ne, inquit, uxores videantur innuptæ, poterunt uti alio Tali***: Nec verò aut juberi, aut ſuaderi expediret, ut mulieres Teſſeram conjugalem omnino deponerent ob graviſſima quæ ſequerentur incommoda Illuſtriſ. Patriarchæ nota. Sed ſi quidem Taleum aliquod retinendum

nendum eſt; quale illud erit? Poterunt, inquit, ſua Excellentia, uti alio Tali vel Sanctiſſimæ Crucis, vel D. N. JESU Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis, vel alia quævis religioſa Imagine ornato. Hæc Illuſtriſs. Patriarcha nunquam diceret, ſi vel mediocrem Miſſionum Indicarum notitiam habuiſſet. Liceat mihi dicere oblitum fuiſſe Illuſtriſs. Patriarcham, cum hæc ſcriberet, ſe in India eſse, & Decretum ferre obſervandum in illis terris, ubi inter Ethnicorum, ac Gentilium perſecutiones, ut ipſemet ait alio loco, virentes germinant Evangelii Palmites: Nam quid aliud poſset ſua Excellentia ſtatuere, ſi Decretum ferret media in Italia; illìc ubi ſigna quæ ex hominum inſtituto pendent, poſsunt authoritate Apoſtolica ex indifferentibus in Sacra commutari? Quod vero Illuſtriſs. Patriarcha Neophytis Chriſtianis Infidelium poteſtate dicam, an tyrannide oppreſſis hoc proponat, ut Taleum Sacris Imaginibus inſigniant; idem mihi facere videtur, ac ſiquis olim illis Chriſtianis militibus in Infidelium Imperatorum exercitibus interdixiſset, Deorum, Cæſarumque imagines, ac ſymbola ſuis in armis geſtare, ſimulque addidiſset; ſed ne arma pura geſtent, poterunt aliis Scutis, Galeiſque uti Sanctiſſimæ Crucis, vel D. N. JESU Chriſti,

Nec mulier Chriſtiana poteſt geſtare Taleum Sacro aliquo ſymbolo ornatum.

Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis, vel alia quavis religioſa imagine ornatis: Id nempe Centuriones, Tribuni, Prætores, ipſique Imperatores paſſi eſsent? Qui unum militem ob rejectam Lauream ſtatim à militia depoſuere, fuſtibus cæcidere, in carcerem conjecere; eàque occaſione perſecutionem in totam Eccleſiam instaurarunt: Non magis in Taleo paterentur apud Indos Præfecti Oppidorum, ac Provinciarum, Tribuum Primates, Miniſtri Regum, ipſique Principes; qui multo minoribus de causis Chriſtianos toties bonis ſpoliarunt, in Carceres detruſerunt, infami ferro notarunt, & totam Religionem perſecuti ſunt.

Vt non poterant milites in ſuis Scutis Sacras Imagines pingere.

Talem Teſseram S. Cruce, vel Sacra imagine ornatam ſuadere, quid eſt aliud quam velle, ut Chriſtianæ fæminæ obviis quibuſque, omni occaſione data, tempore perſecutionum pariter ac pacis, ſe Chriſtianas ſemper actu profiteantur; nunquam Fidem abſcondant, ſeque Tyrannis, eorumque Miniſtris manifeſtent, ac prodant: quod ſane nequaquam poteſt ſuaderi; nam ſicut præceptum eſt, ut confiteamur Fidem quando Dei honos, & utilitas proximi id poſtulant; ita præceptum eſt, ut tunc abſcondatur Fides cùm ceſſantibus illis cauſis ex inconſulta profeſſione ejuſdem Fidei Dei offenſa,

Illo Sacro ſymbolo mulieres Chriſtianæ perſecutionũ tempore agnoſcerentur.

propriæ

propriæ ſalutis ruina, Eccleſiæ perturbatio ti-
mentur. Unde SS. Patres, & Eccleſiæ Docto-
res maximum peccatum ſemper exiſtimarunt, abſque gravi cauſa provocare hoſtes Fidei; id quod multis authoritatibus, & exemplis confirmari poſſet, ſi dubitationem haberet aliquam.

Aliiſq; multis occaſionibus, quibus debent Fidem ſuã abſcondere.

Nec ſolum perſecutionum tempore convenit mulieres Chriſtianas Fidem ſuam, cùm non urget præceptum, abſcondere, ſed etiam multis aliis occaſionibus, quæ in noſtris Miſſionibus ſæpe eveniunt: Sic mulier, quæ nupta Viro Gentili Chiſtianam Fidem amplectitur, non modò non tenetur id marito declarare; quin potius ſi id faceret, ſe, ſuamque ſalutem ſæpius in maximum diſcrimen temere conjiceret: & quod de uxore erga maritum, de filia erga Patrem, de ſorore erga fratrem, de quavis fæmina erga propinquos intelligendum eſt: Aperte tamen ſe Chriſtianas declararent, ſi Taleum aſſumerent S. Cruce, vel alià religioſa imagine ornatum. Quando abſunt illa pericula omnes ferè mulieres Chriſtianæ aliquam Crucem, aut D. N. JESU Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Matris, aut aliorum Sanctorum Imaginem deferunt collo ſæpius appenſam; & non tam ad id faciendum admonendæ

ſunt ; quam retinendæ , ne imprudenter faciant.

Cum Illuſtriſs. Patriarchæ Decretum ſuum explicanti propoſita ſummatim fuiſſent ea incommoda , quæ memoravi , ſecutura ex Taleo Sacra imagine ornato ; dixit mentem ſuam non eſſe , ut cogerentur mulieres Taleum geſtare, quo Chriſtianas eſſe detegerentur ; perinde ac ſi diceret , poſſe in eo non ſculpi ſacrum ullum noſtræ Religionis ſignum ; ſatis eſſe ſi alio modo mutentur.

Inutilis eſſet Talei mutatio quæ nõ foret manifeſta.

Sed quid illa explicatio juvat , ſi ne illud quidem ſine æquali periculo fieri poteſt ? Quæro enim utrum illa mutatio futura ſit talis , ut poſſit percipi , vel non ? Omnino dicendum eſt ſatis magnam eſse debere, ut percipiatur : Nam ſi geſtatio Talei communis ideo prohibetur , quod putetur contra Fidem ; non minus contra eandem Fidem peccaretur, geſtando aliud cujus diverſitas à priori non perciperetur : Si vetatur commune Taleum ob ſcandalum, ſcandado occurri nequit mutatione oculos fallente : Si proſcribitur commune Taleum ob Idolum quod in eo ſubtimetur , ea mutatio erit facienda , quæ putatam Idoli figuram expungat ; cumque caput Elephantis , ſi tamen ibi fuit unquam poſitum , ita ſit in Teſſera nuptiali efformatum , ut

nulla

nulla pars capitis deſignari poſſit, ſi antea erat Idoli caput, non levi mutatione opus erit, ut idem Idolum eſſe deſinat; immo tanto maior requiretur, quod illi malè periti, qui Pulleyaris caput ſe putant in Taleo deprehendere, non minus illud ſe videre putent in monili v. g. Tribùs Brammanum, in quo Crux apicibus extantibus bene, dillucideque efformata conſpicitur, quam in aliarum Tribuum monilibus, in quibus ſeries tantum directa eorundem apicum cernitur: ut ergo conſtet abolitam eſſe figuram Pulleyaris, erit plane, manifeſteque immutanda Teſſerà nuptialis.

Si ſit manifeſta prodit Chriſtianos; ut mutata Scuta prodidiſſent militem Chriſtianum.

Sed ſi manifeſta mutatio fiat, etiam ſi non apponatur Sacra Imago, in eadem fere incommoda recidimus; haud ſecus ac recidiſſent Chriſtiani milites, qui non Lauream, ſed qualemcumque aliam Coronam capiti impoſuiſſent; qui non ſolitam ſuarum turmarum inſignia geſtaſſent, non potuiſſet ſtatim non agnoſci eorum Religio: Sic ex aperta monilis mutatione, non poterit non agnoſci Chriſtianarum mulierum Fides. Spes foret aliqua latendi, ſi inter Talea ejuſdem Tribùs aliqua reperiretur diverſitas: At quemadmodum diſciplina militaris non patitur armorum, ſymbolorum, veſtiumque in eàdem turmà diverſitatem; ſic, minuſque

que adhuc non patiuntur leges Indicarum Tribuum. Hoc ipſo igitur mulier convincetur eſſe Chriſtiana, quod communem matrimonii Teſſeram non ferat: ergo nullo unquam tempore Fidem ſuam celare poterit; quod tamen D. Viſitator vitare cupiebat.

Illud incommodum quamvis maximum ſit, utinam tamen unicum foret: Si ideo tantum eſſet noxia Talei immutatio, quod Chriſtianos proditura eſſet; iſtud periculum non omnium occaſionum, non omnium temporum foret: Vulgo Chriſtiani ſatis aliunde noti ſunt: at periculum in ipſamet immutatione poſitum eſt; maiuſque ſcelus videbitur illam mutationem conari, quam eſſe Chriſtianum: Sed Sanctitati Veſtræ dico, & tanquam Chriſti Vicario in terris dico; quæcumque immutatio vel minima in illa Teſſera Conjugali tentetur à Chriſtianis, ſequetur integra novarum illarum Eccleſiarum clades: quandiu res erunt eo, quo nunc verſantur ſtatu, nunquam id Chriſtiani tentabunt, quin reſciatur ab Ethnicis: nulli fere ſunt Aurifices Chriſtiani in illis Miſſionibus in Regno Madurenſi perpauci ſunt; in Tanjaurenſi unus tantum eſt, in Regno Gingenſi nullus, in Carnatenſi nullus, in Mayſurenſi utrum ſit aliquis neſcio: Ergo petendum erit ab Aurifici-

Quæcumq; fiat immutatio innoteſcet Gentilibus.

rifici-

rificibus Ethnicis, ut aliquid in communi Taleo immutent: nullo pretio ad id ſe adduci patientur ob periculi magnitudinem: petentem denuntiabunt: Offeratur mulieri aliquod commune Taleum; rejicere cogetur: quæretur cauſa; res innoteſcet: & ſi Chriſtianus offerret Teſſeram immutatam, priuſquam tamen collo appendatur, parentibus, & cognatis eſt oſtendenda, ut approbetur; ſtatim diverſitas apparebit; mille modis divulgabitur, quid Chriſtiani meditentur. At nunquam id ſcient Ethnici, quin Miſſionarios, Chriſtianos, Eccleſias communi clade ſepeliant: adeo illos novi ſeveros ejuſmodi rerum vindices: in aliis rebus magis tractabiles eſse poſsent, in iis quæ ad Tribuum diſcrimina, & inſignia pertinent, non Fratri, non Patri, non Matri parcunt. Teſtor tot rivos ſanguinis me vidente profuſi ad minima horum diſcriminum ſymbola retinenda, & ne ea uno diſcolori filo immutarentur: Teſtor factiones illas duas Indicas, quarum una factio manus dextræ, altera manus ſiniſtræ ab illis appellatur, quæ ſemper paratæ ſunt ad arma capeſsenda ad ejuſmodi lites dirimendas, quæ ſymbolorum, privilegiorum, aliarumque rerum occaſione inter Tribus exoriuntur; quin ipſi Reges audeant ad hos animorum

Ubi innotuerit est mentio de Religione Christiana in illis terris.

morum motus ſedandos authoritatem ſuam interponere.

Quam ob rem Sanctitatem Veſtram per Deum Immortalem obteſtor, videat etiam atque etiam, utrum ſit ſatius cum iſto monili retinere in Indiis ampliſſimam Chriſtianitatem jam factam, cum ſpe, quæ affulget, eam in dies aſpirante Divinà Gratià amplificandi; an cum tanta jactura tot animarum Chriſti Sanguine redemptarum millia illam Matrimonii Teſſeram proſcribere.

CAPUT VII.

Verba Decreti.

Statutum de funiculo quo Taleum appenditur.

ET cum ſuperſtitione non careat Funiculus centum & octo filis compoſitus, & Crocco ſucco delinitus, quo plerique dictum Tale appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum, & unctionem.

Ob-

Obſervationes.

FUniculum, quo monile nuptiale appenditur conſtare centum, & octo filis, res eſt, quam ante lectum Illuſtriſs. Patriarchæ Decretum, neque à P. Venantio Bouchet, neque à me, neque ab ullo Miſſionario audita fuerat; & quam ſcimus veri nihil habere; immo nec habere poſse; cum adeo exiguum ſit Taleorum foramen, ut tantum filorum numerum nequaquam poſſit admittere. Sane hoc Illuſtriſs. Patriarchæ Statuto apud Chriſtianos promulgato, haud ſcio an non indignarentur, quod res ejuſmodi ſibi tam graviter prohibeantur, quas ne quidem ſi velint, poſſint efficere; quodque talia commenta homines rerum Indicarum prorſus inſcii ſuæ Excellentiæ pro veris retulerint: inde evidenter concluderent perperam omnino D. Viſitatori illarum terrarum conſuetudines expoſitas fuiſse. Sed demus funiculum illum alicubi conſuetudine receptum eſse; ut aliquis poſt Illuſtriſs. Patriarchæ diſceſsum de quadam non ſatis nota familia conjectavit: Quid tum, ſi Neophyti noſtri, immo & Gentiles fere omnes ejuſmodi conſuetudinem nec uſu, nec ratione cognitam habent? Nonne funiculum il-

Male omnino relatum eſt ad Illuſtriſs. Patriarcham de hoc funiculo.

lum

lum hac ratione Neophytis Indis perinde eſt prohibere, ac ſi Romanis, Italiſque omnibus interdiceretur uſus, de quo ipſi nuſquam audierant, & qui in aliquo Calabriæ Vico tantummodo vigeret.

Prohibet etiam Illuſtriſs. Patriarcha, ne Croceo colore funiculus ungatur. Hic articulus, hic eſt, ad quem cum ventum eſset inter explicandum Decretum aſserui ſuæ Excellentiæ nullam omnino intervenire ſuperſtitionem, ac nequidem ſuperſtitionis umbram; eo colore potius quam quovis alio uti Indicas mulieres, quod ſit facile parabilis, nulliuſque ſumptùs. Et vero nullus eſt tam pauper, cujus in domo non reperire ſit radicem quandam, quæ apud illas gentes Crocci vicem ſubit: Eam radicem ad victum condiendum, alioſque uſus adhibent: Eà mulieres non ſolum ad funiculum ſui Talei tingendum utuntur, ſed etiam ad genas, collum, & ſinum; quod iſte color eis præ reliquis arrideat: & præterea quod ille ſuccus ſuo odore fætorẽ Indis pleriſque innatum abigat; atque ita ſint ſuis conjugibus aptiores: addebam nec mediocrem fore omnium admirationem, cum illud viderent ſuperſtitionis nomine damnatum, in quo nihil ſuperſtitionis unquam perceptum fuiſset: Dixit tunc ſua Excellentia,

Dixit Illuſtriſs. Patriarcha ſe non ita fuiſſe decretu rum, ſi id reſciſſet, quod expoſuimus de funiculo.

cellentia, ſe illud in Decreto non poſiturum ſi reſciſset antea.

Venit ſtatim in mentem facile reſciri potuiſſe, ſi uti expedire videbatur, nihil in Decreto ſtatuiſſet Illuſtriſs. Patriarcha, quod non certius ex Miſſionariis cognoviſſet; aut ſi ipſi ſuper ſingulis Decreti articulis fuiſſent fuſe auditi. Occurrit etiam ſtatim, quales fuerint illi duo teſtes, quorum teſtimonio iſte Croceus funiculi color ſuperſtitionis notà confixus eſt. Suam, quæſo, in memoriam revocet Illuſtriſs. Patriarcha, num ex eorundem teſtimonio alia multa damnarit, cum præſertim teſtes non habuerit, niſi perpaucos: Crediderim eum qui ſequitur articulum maiori ex parte eorundem teſtimonio niti; adeo multa ſunt in eo iſtius ſimilia.

Brevis annotatio in hoc reſponſum,

CAPVT VIII.

Verba Decreti.

CEremoniæ etiam nuptiales juxta earum regionum morem tot ſunt, tantàque ſuperſtitione maculatæ, ut tutius remedium afferri non poſſit, quam eas omnino interdicendo, cùm undique noxià Gentilitatis labe ſca-

Statutum de ceremoniis nuptialibus.

teant; & difficillimum ſit eas à ſuperſtitioſis omnino expurgare. At verò ut faciliori converſionum viæ, & Neophytorum commodo, quantum fieri poteſt indulgeamus, Miſſionariis, & præcipue Miſſionum Superioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, ſeveriorique calculo ſuperſtitioſa omnia à dictis Ceremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod Chriſtianam pietatem offendat, & Gentilium ſuperſtitionem redoleat. Et ſignanter, præter eas quas audivimus jam ſtatutas in hac materia reformationes, Ramus Arboris *Arajumaram* omnino auferatur: Ferculorum numerus non minus ac Cibi præſcripta qualitas varietur: Et quod de ferculis diximus, de Luteis vaſis ibi adhiberi ſolitis, à nobis dictum, & prohibitum intelligatur. Fructus vero vulgò dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temere ducunt, vel omnino à Chriſtianorum nuptiis rejiciatur; vel ſaltem ſi illum comedere velint, non publice, ſed ſecreto, & extra ſolemnitatem aperiatur ab eis, qui Evangelicà luce edocti, ab ejuſmodi auſpiciis ſunt alieni.

Ob-

Obſervationes.

IN tanta præceptorum multitudine hoc uno articulo comprehenſorum, quem mihi ordinem proponam, ut de ſingulis rationem reddam? Eum ipſum quem ſibi propoſuit Illuſtriſs. Patriarcha; cujus propoſitiones omnes reſumam, & quanquam multa ſint, ero tamen in hoc longo articulo brevis; eo quod res prolixam diſputationem non deſideret.

§. I.

AIt Illuſtriſs. Patriarcha Ceremonias nuptiales juxta earum regionum morem multas eſſe, maxima ſuperſtitione maculatas, & undique noxia Gentilitatis labe ſcatere. Quod ſi D. Viſitator id de Ethnicorum nuptiis intellexit, verum eſſe fateor; ſi de nuptiis Chriſtianorum, contendo, eos qui rem talem ad ſuam Excellentiam detulerunt graviſſimam impoſuiſſe Chriſtianis, Miſſionariiſque calumniam, ut ex dicendis manifeſtum fiet.

Gentiles in nuptiis multas exercent ſuperſtitiones, non vero Chriſtiani.

Ob illam, & Ceremoniarum, & ſuperſtitionum multitudinem dubitaſſe videtur Illuſtriſs. Patriarcha, num omnes omnino nuptiarum

rum Ceremoniæ interdicendæ eſſent; additque illo remedio nullum tutius afferri poſſe; quod nemo inficiabitur: Nam liquidum eſt omnibus omnino Ceremoniis ſublatis nullam in illis ſuperſtitionem remanſuram: Sed ſi hoc tutum foret ad Ceremonias nuptiales à ſuperſtitionis labe purgandas, foret minime tutum ad Religionis conſervationem; quæ omnibus nuptiarum ceremoniis interdictis, breviſſime & ipſa in illis terris interdiceretur.

Tutum non fuiſſet ad Fidei conſervationem omnes ceremonias nuptiales prohibere.

Subdit D. Viſitator difficillimum eſſe eas Ceremonias expurgare: difficultatem illam cognoſci ab Illuſtriſs. Patriarcha gaudemus, ut Miſſionariis ſua laus ſit, quod jam in illo genere aliquid effecerint, venia detur, ſi nondum confecerint. Sed alium ob finem Illuſtriſs. Patriarcha difficultatem illam ponderat; ut intelligatur nempe, tutius remedium illarum ſuperſtitionum malo afferri non poſſe, quam ſi omnes omnino interdicantur. Quibus verbis ſatis declarat D. Viſitator quantum in illud remedium apponendum propenderit; cùm arbitretur ſe plurimum facere in gratiam novorum Chriſtianorum, ſi permittat innoxias à noxiis dividere: Sic enim in Decreto legitur: *At vero ut faciliori Converſionum viæ, & Neophytorum commodo, quantum fieri poteſt, indulgeamus:*

mus : Debent ſane plurimum Illuſtriſs. Patriarchæ Miſſionarii, & Neophyti ob illam ſuæ Excellentiæ voluntatem: At quid proderit hoc in articulo converſionum viam faciliorem reddere, ſi eadem converſionis via in tot aliis articulis prorſus occludatur. Exiſtimant Neophyti potuiſſe Illuſtriſs. Patriarcham tantà poteſtate, & authoritate munitum plus aliquid facere in ipſorum gratiam: Certe à ſua Excellentia longe alia ſperabant, quam quæ toto hoc Decreto continentur: Verum credendum eſt, D. Viſitatorem judicaſſe, ſe plus facere non poſſe.

Vnde eat uô interdixit Illuſtriſs. Patriarcha; licet in id propenderit.

Injungit igitur ſua Excellentia Miſſionariis, & præcipue Miſſionum Superioribus, ut *novis adhibitis diligentiis, ſeveriorique calculo ſuperſtitioſa omnia à dictis Ceremoniis expungant, ita ut nihil multum relinquatur, quod Chriſtianam pietatem offendat, & Gentilium ſuperſtitionem redoleat*. Hìc ſaltem conſtabit ex ipſomet Illuſtriſs. Patriarcha, rem difficillimam præceptam fuiſſe Miſſionariis, Miſſionumque Superioribus ſub pæna Excommunicationis ab unis, & ſuſpenſionis ab aliis ipſo facto incurrenda: Agnovit ſupra Illuſtriſs. Patriarcha difficillimum eſse Ceremonias licitas ab illicitis ſecernere; idipſum tamen Miſſionariis

Fatente Illuſtriſs. Patriarcha, res difficillima ſub cenſuris præcepta eſt.

ſua

ſua Excellentia ſub gravibus Cenſuris imperat.

Poſtquam Illuſtriſs. Patriarcha generale hoc præceptum poſuit, aliquas nominatim Ceremonias interdicit, præter eas quas ſua Excellentia audierat jam ſtatutas in hac materia reformationes: Quæ voces ſingulari obſervatione dignæ ſunt: Audiverat ſua Excellentia aliquas jam factas fuiſſe reformationes, ſed præter illas novam inſtitui jubet: Itaque ea de quibus ſingularis mentio fit in Decreto, non ſunt in eo numero, quæ audivit jam fuiſſe interdicta: *Et ſignanter, verba ſunt Decreti, præter eas, quas audivimus jam ſtatutas in hac materia reformationes, Ramus arboris Arajumaram omnino auferatur*: Ergo illum ramum arboris *Araju*, non audierat ſua Excellentia fuiſſe ſublatum: Sublatus tamen jam dudum fuerat; quodque magis eſt, ſublatum fuiſſe dixerat P. Venantius Bouchet, & non ſemel dixerat: fidem huiuſce rei faciet Diarium, in quod ille Pater ſtatim omnia referebat, quæ dixerat ſuæ Excellentiæ. Quid igitur de hoc Statuto exiſtimabimus; oblitum ne Illuſtriſs. Patriarcham cùm Decretum ſcriberet; an vero notitias ex Miſſionariis hauſtas adeo contempſiſſe, ut ne quidem audita putaverit, quæ illi retulerant; & ita cognitionibus,

Supponit Illuſtriſs. Patriarcha non fuiſſe vetitum à Miſſionariis Ramum quendam ſuperſtitioſum.

nibus, quas ſubminiſtrabant, uſum eſſe, ut ſi quid dicerent fuiſſe emendatum, id nondum ſua Excellentia emendatum fuiſſe concluderet, ſed Cenſurarum Eccleſiaſticarum vi judicaret emendandum? Sic Illuſtriſs. Patriarcha ex Miſſionariis multa certius cognovit, quæ illos Palmites enerves reddunt, & fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis adhæreant, quam veræ Viti, quæ eſt Chriſtus. Si talem notam merentur infelices illi Neophyti, certe non ob Ramum Arboris *Araju*, cui non plus ahærent, quam Europæi Chriſtiani.

Quem ſublatum fuiſſe teſtati erant Miſſionarii.

Addo neque ob numerum, & qualitatem ferculorum, quæ in nuptiis efferuntur; de quibus ſic Illuſtriſs. Patriarcha jubet: *Ferculorum numerus non minus ac Cibi præſcripta qualitas varietur.* Nullus, Sanctiſſime Pater, nec inter Chriſtianos, immo nec inter Ethnicos præſcribitur ferculorum numerus; unicuique licet, quantum voluerit apponere: In qualitate vero, & ciborum delectu, id unum obſervant paulo honeſtioris conditionis homines, ut ipſo nuptiarum die carnes non comedant; propterea quod illæ gentes carnes comedere minus decorum, iis abſtinere honeſtum ſibi, & honorificum putent. Supereſt adhuc veſtigium illud

Ferculorum numerus nullus fixus ipſos inter Ethnicos.

primæ-

primæve hominum frugalitatis ; quam credo condemnare non voluit D. Viſitator; Siquidem non vetuit Bubulæ Carnis abſtinentiam, in qua ſuſpicabatur ſuperſtitionis aliquid ; donec rei veritate comperta deſtitit præcipere, ut noſtris menſis apponeretur: eumque unum eſſe puto ex omnibus Indiæ uſibus ab Europæo more diverſis, quem Illuſtriſs. Patriarcha noverit, & non condemnaverit ; ſi ii excipiantur, quos jam à Sede Apoſtolica permiſſos reperit, vel à Synodo Diamperenſi inſtitutos; quanquam nec eis omnino pepercit, ut ſuo loco videbitur.

Qualitas ciborum ſuperſtitione vacua etiam apud Ethnicos.

Præcipit deinde Illuſtriſs. Patriarcha, ut Circuli ſuper caput Sponſorum ad tollenda maleficia omittantur: Iſtud quoque ſua Excellentia præcipit eſſe reformandum præter reformationes quas audierat in hac materia factas fuiſſe: Sæpius tamen Illuſtriſs. Patriarchæ dictum eſt à P. Venantio Bouchet, ſuperſtitioſum illum ritum eliminatum fuiſſe à Chriſtianorum nuptiis; eorum loco S. Crucis ſigna ſuper Sponſorum caput à Chriſtianis efformari; nec ſolum P. Venantius id verbis dixit, ſed geſtu, & actione coram ſua Excellentia expreſſit. Quo fato factum fuiſſe dicam, ut cùm Illuſtriſs. Patriarcha Decretum ſcriberet, eorum tantum obliviſceretur,

Circulos ſuperſtitioſos vetitos fuiſſe dixerat Illuſtriſs. Patriarchæ Miſſionarius quidam.

ſceretur, quæ ipſi dicta fuerant in Chriſtianorum, ac Miſſionariorum favorem? Qua ratione factum, ut res decernerentur Miſſionariorum teſtimonio adeo contrariæ; & tamen in illius Decreti principio teſtes citentur, ex quibus multa, & certius cognita fuerint? Sequitur in Decreto aliud præceptum his verbis conceptum.

Et quod de ferculis diximus, de luteis Vaſis ibi adhiberi ſolitis dictum, & probibitum intelligatur: De ferculis injunxit ſua Excellentia, eorum numerum, & ciborum præſcriptam qualitatem variare: de Vaſis figulinis idem præcipit: At quemadmodum ferculorum, ſic & Vaſorum nullus certus numerus adhibetur inter Chriſtianos, nec etiam inter Infideles; ſed pro nuptiarum apparatu joci, & ornatùs cauſa aliqua apponuntur: & in eorumdem Vaſorum materia, figura, & uſu, nihil fixum, & ſtatutum eſt; nihil quod ad ſuperſtitionem accedere judicari poſſit, ſaltem inter Chriſtianos. Venio ad ultimam hujus articuli partem multa adhuc ſub præcepto continentem.

Vaſa lutea nullam etiã habent ſuperſtitionẽ; nihil fixum in eorum numero, & qualitate.

Fructus vero dictus Cocco, ait D. Viſitator ex cujus fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia Gentiles temerè ducunt, vel omnino à Chriſtianorum nuptiis rejiciatur; vel ſaltem ſi

illum comedere velint, non publicè, ſed ſecreto, & extra ſolemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti ab ejuſmodi auſpiciis ſunt alieni.

Chriſtiani non ducunt auſpicia ex Nucis Palmæ fractione.

Verum eſt Palmæ Nucem ſuperſtitiosè à Gentilibus adhiberi eo fine quem Illuſtriſs. Patriarcha memorat; at etiam & primariò intendunt eum, ob quem eo fructu utuntur Chriſtiani; qui illi Gentilium vanitati nequaquam adhærent; immo eam contra deteſtantur; neque quiſquam ſine inſigni malignitate, & calumnia potuit illos illius criminis apud ſuam Excellentiam accuſare. Fructum illum à nuptiis omnino rejicere difficile eſt; eo quòd more receptum ſit apud illas gentes, ut aperto illo fructu, qui intus nive candidior eſt, propterea que res mundiſſima reputatur, collocetur Teſſera nuptialis, & adſtantibus conſanguineis, amiciſque approbandum offeratur: Qui mos cum nihil ſuperſtitionis habeat, nec ſine gravi familiarum offenſione præteriri poſſit; Neophyti omiſſo ſuperſtitioſo, ſecundarioque fine ab Ethnicis intento, ob hunc primarium, & unicum illo fructu utuntur abſque ulla ſuperſtitionis umbra.

Fructus ille omnino reiici à nuptiis Chriſtianorũ non poteſt eo quod in eo offeratur Taleum i

Jubet Illuſtriſs. Patriarcha, ut ſi fructum illum comedere velint, ſecreto, & extra ſolemnitatem

nitatem aperiatur: Digna res non videbatur, quæ tam ſtricte, authoritate Apoſtolica, & ſub gravibus pænis juberetur: foris aperitur, quia ſemper foris celebrantur nuptiæ, & ibi occurrunt lapides in quos illidatur, qui intus non ſunt in domibus ex luto compactis, tamque exiguis; ut in eas rependo ſæpe introeundum ſit: Et ni fallor multo conſultius eſt foris id fieri, ut omnes teſtes eſſe poſſint, non aperiri coram ſimulacro, nihilque eorum obſervari, quæ ſuperſtitioſiſſimè ab Infidelibus obſervantur.

Satius eſt aperire fructum illum palam quam occulte.

Jubet denique Illuſtriſs. Patriarcha, ut ab eis aperiatur, qui Evangelica luce edocti ab ejuſmodi auſpiciis ſunt alieni: Neque hoc magis erat neceſſarium; cùm nunquam aliter fiat, nullum celebretur inter Chriſtianos matrimonium, quin interſit Catechiſta aliquis ad invigilandum, ne quid Fidei, boniſque moribus adverſum peragatur: Et quia Pagi Brammen jus habet ad nuptias, ſi non vocetur, veniendi, & ineptis ſuis geſticulationibus factis, aliquid pecuniæ accipiendi; datà ſtatim pecunià, atque etiam interdum maiori, ad vexationem redimendam, dimittitur: Loco Brammanis Ceremoniis præeſt Catechiſta, Fructum Palmæ aperit ipſe; & in reliquis omnibus curat, ut omnia,

Semper aut fere ſemper aperitur à Catechiſtis, qui nuptiis interſunt, ut nihil ſuperſtitioſe fiat.

nia, quà Chriſtianos decet, honeſtate, & Sanctitate tranſigantur. Quæ ſi Chriſtiani Europæi viderent, haberent forte multa, quæ imitarentur: Non modò enim ſuperſtitio omnis, quantum hactenus obſervare potuimus, reſecta eſt; Sed etiam aliæ multa, quæ in Chriſtianorum Europæorum nuptiis minus ſobrie, minuſque pudice geruntur: nihil ibi nec in verbis, nec in veſtitu incompoſitum, nec in conviviis immoderatum: abeſt Saltatorum vanitas, ebrietatis furor, & alia omnia, quæ SS. Patres in nuptiarum abuſus graviter concionando evellere non potuerunt. In Chriſtianorum Indorum nuptias multa inducta ſunt pietatis plena: Veſperi, quo Taleum offerendum eſt, conveniunt Sponſorum Conſanguinei, & amici Chriſtiani, ac Gentiles coram aliqua Sacra imagine multis floribus ornata: alta voce recitantur Litaniæ, Antiphona - Salve Regina, aliæque orationes, ſpectantibus non ſine multo Religionis ſenſu Ethnicis; qui interdum pietate Chriſtianorum commoti ad eorum Religionem amplectendam excitantur: Certe paucis ante adventum Illuſtriſ. Patriarchæ menſibus, cum unus è meis Catechiſtis nuptias filiæ ſuæ celebraret paulo maiori pietatis apparatu, illud Chriſtianum ſpectaculum multis occaſio fuit

Nuptiæ inter Indos Chriſtianos magis ſobrie, & pudice, quam in Europa celebrantur.

Et earum aſpectu aliqui ad Fidem traducti.

fuit; Chriſtiana Sacra cognoſcendi, & amplectendi. Talia geri in Chriſtianorum nuptiis nunquam Sanctitas Veſtra ex Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto cognoviſſet.

Sed nimirum, quantum poſſum aſſequi articulum iſtum ſua Excellentia contexuit ex aliquorum relatione, qui vel ſolum Ethnicorum in matrimoniis celebrandis geſticulationes conſpexerant, vel ſi Chriſtianorum nuptias viderant, multum ſuperſtitionis illis affinxere, Religioni tribuendo ea omnia, quorum cauſam non cognoſcebant, numerumque fortuitum, item ut qualitatem aliquid habere miſterii; exiſtimando vel ubique fieri, quod alicubi ſingulariter factum fuerit. Quod ſi ille explorator Europæus eſt, & in Europam redux meditetur relationem de Indiæ rebus edere, caveat ne in tam multis erret, quanta videmus perperam narrari à quibuſdam Relationum Authoribus; quorum opera ſine riſu legere nequeunt, qui in illis mediterraneis regionibus aliquot annis vixere, & linguam, moreſque illarum gentium apprimè callent ſicut jam riſum movent aliqua, & putida figmenta, quæ ab uno ex ipſiſmet Illuſtriſs. Patriarchæ Comitibus hìc Romæ recens edita ſunt.

Quibus authoribus hoc Statutum factum videatur.

Cæterum cum ego poſt D. Viſitatoris profectionem

ctionem in Miſſionem redux Chriſtianos, ac Catechiſtas interrogarem de rebus hoc articulo comprehenſis, deque aliis nonuullis de quibus antea nunquam dubitaveram; mirabantur illi plurimum, quod talia percontans, in iis viderer aliquid ſuperſtitionis timere, à qua plurimum abhorrent Chriſtiani; propterea quod à Miſſionariis ſæpe, & graviter admoneantur, ut auguriorum vanitatem, fixum in rebus ejuſmodi numerum, & quidquid Dæmonis cultum ſapit, evitent diligenter: unde in Confeſſionibus accuſant ſe ſe crebrò de minimis rebus ad id longo intervallo pertinentibus; V. g. ſi domi verſantes audiverint Circumlatorem aliquem obviis futura prædicentem; id ad Confeſſorem referunt; eumque aliis ſimilibus accuſationibus fatigant: Interrogati, an aliqua ratione cooperati ſint, an illis fidem adhibuerint, an approbarint, declarant ſtatim ſe nihil horum feciſse, immo horrere plurimum; at timuiſſe ne illa audiendo peccaſſent, licet audirent inviti. Cum ſuperſtitioſas obſervationes adeo averſentur, ut in iis quæ peccata non ſunt, peccatum timeant; nullus tamen, quem ſciam, extitit hactenus, qui de ferculorum, vaſorumque numero, aut qualitate, de fractione fructus Palmæ, aliiſque hoc Statuto contentis accuſaret ſe ſe;

In Ceremoniis illis nihil omnino mali ſuſpicātur Chriſtiani.

quod

quod certe non omiſiſſent, ſi vel umbram mali in iis percepiſſent.

CAPUT IX.

Verba Decreti.

NVllus ritè, & ſufficienter diſpoſitus arceatur à Sacramento Pænitentiæ;.. & ſignanter mulieres menſtruali morbo laborantes, non attentis diebus Purificationis juxta morem Gentilium; cùm hæc Sacramentalis vera animæ Purificatio, & non alia ſit attendenda à Chriſti Fidelibus, eorumque Paſtoribus: quibus propterea non liceat, nec per ſe ipſos, nec per Catechiſtas, nec per alios quoſcumque dictis mulieribus prohibere acceſſum ad Eccleſiam, vel ad Confeſſarium durante dicta infirmitate, & dicto Purificationis tempore.

Statutum de bene diſpoſitis, & nominatim de menſtruatis a Sacramētorum acceſſu non removendis.

Obſervationes.

DVplex hìc præceptum facile diſtinguitur, alterum generale, alterum ſingulare: de utroque pauca dicam.

§. I.

§. I.

Opus non erat præcipere Miſſionariis, ne dignos à Sacramentis arcerent.

QVam opinionem habuit Illuſtriſs. Patriarcha de Miſſionariis, ſi neceſſarium putavit, cenſuris Eccleſiaſticis eos adigere, ut nullum rite diſpoſitum à Sacramento Pænitentiæ arcerent? Quam ob cauſam Miſſionarii ſe in barbaras illas Ethnicorum terras immiſere, tanto ſuæ quietis, ſuæ valetudinis detrimento, vitæque periculo, niſi ut ad Chriſti caulas Oves illas errantes, Luporumque rabiei expoſitas adducerent, & adductas Dei verbo, Eccleſiæque Sacramentis poſcerent: Et exiſtimavit D. Viſitator eos ſui miniſterii oblitos ultro venientibus, benèque diſpoſitis Sacramenta denegare. Parum novit, & Societatem, & Miſſionarios ſua Excellentia ſi ita de illis judicavit. Toti ſumus in Fidelibus ad Sacramenta invitandis, diſponendis, diu, noctuque Sacro Tribunali aſſidemus; in eo miniſterio vires exhaurimus, negato nobismetipſis perſæpe ſomni, ac cibi ſumendi ſpatio. Merebatur forte laudem aliquam indefeſſus Miſſionariorum labor: At immortales ſint Deo gratiæ, qui non permittit ut caducam mercedem recipiamus, & nobis, ut ſperamus, perennem in Cælo reſervat. Si no-

tum

tum fuiſſet Illuſtriſs. Patriarchæ quantum Miſſionarii cupiant à Chriſtianis Sacramenta recipi, timuiſſet forte, ne ea minus diſpoſitis concederemus: Certe nihil crebrius Societati noſtræ opponunt ejus adverſarii, quàm nimiam in tribuendis Pænitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis facilitatem; rigorem tamen nimium, duramque auſteritatem in nobis arguit D. Viſitator præcipiens ſub Cenſuris, ne rite, & ſufficienter diſpoſitis ea denegentur.

Dixit ſua Excellentia hæc verba referri tantum ad id quod poſtea ſignanter præcipitur, de non rejiciendis à Sacramentorum receptione mulieribus menſtruo fluxu laborantibus: Sed ſi ita eſt, quid opus erat pro ſingulari, tam generalem proferre ſententiam; eàque prolatà, velut in exemplum ſingularem hunc caſum denotare?

§. II.

Menſtruus fluxus non eſt ex natura rei impedimentum Sacramentorum recipiendorum.

SEd ut ad illud ſingulare præceptum reſpondeam; teſtamur Sanctitati Veſtræ Miſſionarii omnes, nos nunquam exiſtimaſſe menſtruum fluxum ex natura rei ingreſsum in Eccleſiam, vel SS. Sacramentorum receptionem impedire. Scimus quidem quæ fuerit ſu-

per eà re Græcorum diſciplina; & quid de ea Baſilidis quæſtioni reſponderit Theophilus Alexandrinus: at nos Latinæ, non Græcæ Eccleſiæ filios eſſe meminimus. Verum docente eàdem S. Matre Eccleſià Romanà diſcimus, ea quæ ex ſeſe non ſunt impedimenta recipiendorum Sactamentorum, impedimenta poſſe fieri ratione ſcandali, quod interveniret. Docet Innocentius III. Chriſtianum ex Scriptura reſcire debere, quod *ab his quæ ſine peccato mortali committi poſſunt pariter & dimitti, ſit pro ſcandalo tollendum ceſſandum.* Hinc Greg. Magnus non dubitavit omittere mentionem quintæ Synodi, quod fuiſſet admonitus Theodelindam Longobardorum Reginam eà mentione ſcandalizandam fuiſſe: Rem narrat ipſemet S. Pontifex his verbis: *Quod autem ſcripſiſtis, quia Epiſtolam meam Reginæ Theodolindæ tranſmittere minime noluiſtis, pro eo quod in ea quinta Synodo nominabatur; ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, recte factum eſt, ut minime tranſmitteretis; unde ita facimus ſicut vobis placuit, ut quatuor Synodos ſolummodo laudaremus:* Ad ſimile ſcandalum vitandum S. Baſilius ita conſubſtantialitatem Spiritùs Sancti ſolidis argumentis probabat; ut tamen illa voce abſtineret; de quo laudatur à S. Gregorio

Bibliot. Patrum Lugd.

C. 2. de novi operis nunciat.

At quod nō eſt impedimentum ex natura rei, poteſt eſſe ob ſcandalum.

L. 3. Ep. ad Greg. mediol. Epiſc.

gorio Nazian. in Oratione ſunebri, quam ipſi conſcripſit.

Docet nos etiam eadem S. Eccleſia, debere Fideles iis rebus abſtinere, quibus ſine peccato abſtineri poteſt, cùm aliquid fieri nequit, quin vera Religio blaſphemetur, & in contemptum cadat.

Et ob Religionis dedecus.

Exiſtimamus itaque non fuiſse compertum Illuſtriſs. Patriarchæ cum hoc Decretum conderet, quantum ſcandalum proximo daretur, quantum in Religionem Chriſtianam dedecus redundaret, ſi ſcientibus Ethnicis mulieres menſtruo fluxu laborantes Eccleſiam ingrederentur, & Sacrorum miſteriorum fierent participes: Quippe menſtrum illud ſanguinis excrementum res eſt apud Indes adeo ſordida, ut quando fæminis contingit, ſtatim domo exeant, foris ſub aliquo umbraculo morentur, donec purgatio illa deſierit: Quandiu durat, in Fanum nullum Idolorum pedem inferre poteſt mulier menſtruata; ſi ingrederetur, illius audacia non impunè abire ſineretur. Quod ſi reſcirent Ethnici mulierem in eo ſtatu ingreſſam eſſe noſtra ſacella, propiùs ad Miſſionarium confitendi cauſa acceſſiſſe, Sacra Myſteria percepiſſe; Templa, Myſteria, Magiſtros, Chriſtianos, Religionem ipſam, velut infamem to-

Scandalum, Religioniſq; probrum foret, ſi mulier mẽſtruorum tempore ad res Sacras accederet.

tius ſpurcitiæ colluviem deteſtarentur, horrerent; & jam non de eà amplectenda, ſed proſcribendà, penituſque extirpanda cogitarent: Denique ne ſim fuſior, ea omnia evenirent, quæ dixi ex Salivæ inunctione ſecutura; & tanto etiam graviora, quanto menſtrua mulierum excrementa immundiora reputantur, quam Saliva.

Sat magna ſunt illa mala, ni fallor, ut mulier expectare teneatur ad tres dies; neque enim diuturnius purificationi tempus præſcribitur, quam quod ipſa natura præſcripſit. Si Chriſtianus ad conſervandum Religionis honorem, vitam profundere tenetur, vel ad arcendam aliquam Eccleſiæ perſecutionem, quæ tot mala ſecum trahit; tenetur ſine dubio mulier Chriſtiana ad rem tam facilem, quam eſt ad tres dies Sacramentorum receptionem differre, cum eſt tot ſcandalorum periculum; idque ſi recuſaret, minus bene diſpoſita cenſeri deberet; non ob ſanguinis profluvium, ſed ob malam voluntatem.

Ergo abſtinere ab iis tunc mulieres debent.

Verum ab eo recuſando longiſſimè abſunt mulieres Chriſtianæ; pleræque cum aſſuetæ ſint ſordes illas immundiſſimas reputare, abſtinent, non quidem ab audienda è porticu Miſſa, ſed à Sacramentis eo triduo percipiendis: Id quod

S.

S. Gregorius Magnus ait, eſſe in muliere Chriſtiana laudandum; putarentque ſe contra debitam rebus ſacris reverentiam facere, ſi quo tempore è domibus ſuis exire coguntur, Templum Dei auderent ingredi: Neque id tantum fieri ſolet in Miſſionibus terræ interioris, ſed etiam in tota India; in Oris maritimis, & præcipue inter Chriſtianos D. Thomæ, ubi jam dudum conſtituta eſt Religio noſtra: Quibus omnibus in locis multæ ſunt mulieres, quæ ſibi nullis Miſſionariorum præceptis, ac rationibus ſuaderi ſinerent, ut menſium tempore Eccleſias ingrediantur, & Sacramenta percipiant.

Ep. ad Aug. Angl. Epiſ.

Et re ipſa ſponte abſtinent.

Aliæ cùm non ignorent, Animæ purificationem, & non aliam ad dignam Sacramentorum perceptionem requiri, cum vident periculum non eſſe, ne Gentilibus, aut Neophytis in Fide adhuc infirmis res innoteſcat, accedunt ad Sacramenta; tuncque nec à Catechiſtis, multo minus à Miſſionariis arcentur. Si vero tale adſit periculum, ipſæmet Religionis amore, & ſcandali metu ab ingreſſu Eccleſiæ, & Sacramentorum perceptione ſponte abſtinent: certe nunquam pugnant, ut ad ea admittantur.

Accedunt tamen, vel tunc ad Sacramenta aliquæ cum abeſt ſcandalum.

Obſervat Illuſtriſs. Patriarcha; illud fieri more Gentilium: at non multi illud refert, ſi

mos

mos Gentilium vitioſus non eſt. S. Gregorii tempore, ſi non Gentiles, ſaltem Judæi id, & quidem ex Religione obſervabant, ut mulieres menſtruorum tempore ad res ſacras non accederent; quod non impediit, quo minus S. Papa ſcriberet, mulierem, quæ ſic affecta non præſumit ex magna reverentia ad Sacramenta accedere, eſſe laudandam: Indi in ea conſuetudine certe nihil aliud ſpectant, quam munditiem.

Nec obſtat. quod ſimile qu.d Gentiles obſervent.

Cum ergo Eccleſiis multo maior debeatur, quam Dæmoniorum Fanis reverentia, recta ratio, ni fallor, poſtulat, Eccleſiis ea ſaltem honoris ſigna exhiberi, quæ impiis fanis exhibentur: Deceret ne, v. g. Chriſtianos Indos in noſtris Templis ſpuere, aut in ea calceatos ingredi; quod ſi facerent in Ethnicorum Delubris antequam Chriſto nomen darent, irreligioſiſſimi habiti fuiſſent, ſeveraſque pænas dediſſent? Satis eſt profecto, ſi ad eam moderationem iſta revocentur, ut quæ ex falſæ religionis præcepto antea faciebant, ea ex conſilio, aut metu ſcandali præbendi nunc faciant: Confido nihil in eo eſſe, quod non omnibus Eccleſiæ regulis adamuſſim conſentiat.

Nec quòd Chriſtiani in eo videātur ſequi morem Gẽtilium.

CA-

CAPUT X.

Verba Decreti.

DEdecet etiam Chriſtianæ Virginis honeſtatem prima vice dicto morbo laborantis, illum cognatis, vicinis, & amicis notum facere, & inverecundè publicare, iiſque Ethnicorum more, & ritu in ejus domum collectis ſuper re tam ſordidà feſtum inſtituere: Quocirca ejuſmodi ſolemnitates, & ritus Orthodoxis Puellis interdicimus, & abolemus; Miſſionariiſque injungimus, ut non ſolum eas, verum etiam Genitores moneant, quam diſſona ſit Virginei pudoris legibus ejuſmodi obſcæna conſuetudo; quæ à Gentilium impudentia videtur inducta, ita ut labefactata Puellarum verecundia, eas effrænate ad libidinem provocare valeant.

De uſu Indorum in primo puellarum fluxu menſtruo.

Obſervationes.

TOtius Indiæ nomine conqueri hic merito poſſum, quod illarum Regionum mores ex Europæis æſtimarit D. Viſitator; qui ſi allata ex Europa præjudicia tantiſper ſeponere

vo-

voluiſſet, reſque ut ſunt in Indiis conſideraſſet, vidiſſet certe non tam acerba, immo nulla cenſura dignam eſſe conſuetudinem, quam hìc causà ſatis non cognità condemnat. In hoc capite non alium ſequar ordinem, quam quem Illuſtriſs. Patriarcha ipſe ſecutus eſt, ſingulas ejus propoſitiones expendens; poſtquam retulero teſtimonium Illuſtriſs. Cranganorenſis, qui tanto certior hujuſce rei teſtis eſſe poteſt, quod ad triginta annos in Indiis commoratus eſt, linguas, moreſque illarum gentium apprime callens; quodque hìc de conſuetudine loquitur, quam in Oris maritimis vidit millies uſurpari: unde ignorare nequit, quo animo tum à Chriſtianis, tum à Gentilibus uſurpatur. Sic ergo eo de uſu loquitur: *Nobis etiam impoſſibile apparet, quod feſtive non ſit excipienda Puella Chriſtiana, quando primum paſſa eſt fluxum menſtruorum; tum propter Genitores multoties Infideles, Cognatos, affines, & amicos Ethnicos, qui omnes audito nuntio, quod quidem tegi non poteſt, velint, nolint Chriſtiani, concurrunt, puellæ parentibus, ſibique metipſis congratulaturi abſque aliqua impudicitia; eò quod puella illa jam ſit libera ab infamia, qua laborant fœminæ, quibus deeſt hic fluxus menſtruorum: tum etiam quia inurbani haberentur*

Teſtimonium Illuſtriſs. Archi-Epiſcopi Cranganorenſis ſuper illo uſu.

tur

tur puella; & parentes ejus, ſi hanc fortunam occultarent, & congratulantibus de fortuna, & ſpe prolis concipiendæ, nulla ederent ſigna lætitiæ: Hæc Illuſtriſſimus Archi-Epiſcopus.

Non quæcumque inhoneſta cenſentur apud quoſdam populos continuo ſunt inhoneſta inter alios.

Obſervare igitur primo loco par eſt, multa eſſe quæ certis in regionibus contra honeſtatem ſunt ob impuram imaginem, quam mentibus ingenerant; quæ aliis regionibus nihil habent, quod offendat, propterea quod impuras illas ideas menti non offerant: apud nos inhoneſtum non eſt, ſi qua vidua junior aliquot annis à mariti obitu elapſis, etiam ſi de aliis nuptiis non cogitet, ornatus aſſumat aliquos, modo intra modeſtiæ, ſuæque conditionis leges: de eà conſuetudine ſi Indus judicet, recepto apud ipſos more pronuntiabit, nihil eſſe magis diſſonum fæminei pudoris legibus; obſcænam eſſe conſuetudinem ab ipſa impudentia inductam, ut labefactata illis ornamentis, comptiſque veſtibus, Viduarum verecundia, non tam poſſent ab aliis ad libidinem provocari, quam ipſæ ſua ſponte provocent. Ecquis æquum æſtimabit, ut moderata illa in veſtibus concinnitas prohibeatur, quod ita malam in partem Tamulenſes Indi eam interpretentur: An cenſebimus viduam modeſte ornatam, omnem depoſuiſse

Sic inter Indos Vidua ornata licet modeſtè pudorem cenſetur abieciſſe.

pudorem ; quia id facit in Europa ; quod ſi inter Indos faceret , depoſuiſse videretur ? Neutiquam ſane , quiſque ſuis vivat inſtitutis .

Sinæ , qui non ſunt omnium hominum continentiſſimi , ut rem obſcænam deteſtantur , ſi in imaginibus conſpiciant pueros , Angeloſque fere nudos eà ratione , quà in Europa depingi ſolent ; quodque nos nequaquam afficit ob conſuetudinem , illos inhoneſtarum cogitationum nubibus infuſcat : Quid faciendum ? An injungendum continuo Pictoribus Europæis ſub gravibus cenſuris , ne pingant quidquam , quod non à capite ad talos veſtitum ſit ? Id forte præciperet Sinenſis aliquis ſi in Europam cum authoritate mitteretur ; at id præciperet , quod eſt minimè neceſſarium : Satis eſt , ſi nullæ depingantur figuræ , quæ hìc caſtorum hominum judicio immodeſtæ ſint , quin cogamur hìc inhoneſtum judicare , quod in Sinis judicaretur inhoneſtum .

Sic Sinæ inhoneſtas putant pc̃turas, quas nos innocuas cẽſemus .

Hæc regula de honeſtate judicandi tàm neceſſaria eſt , ut niſi eà uteremur , vix poſſemus ab inhoneſtate excuſare quæ à Deo ipſo inſtituta fuere ; licet certiſſimum ſit , nulla in lege præſcribi quidquam , quod ſit contra honeſtatem . Quid magis inhoneſtum , ſi rem noſtris è

moribus

moribus æſtimemus, quam Circumciſio non dico Infantium, ſed Adultorum, quibus jubente Deo Abraham præputium abſtulit; quod & aliis multis occaſionibus factum eſſe S. Scriptura docet.

Sed ut exemplum ponam in re magis ſimili illius, quam in hoc Statuto Illuſtriſs. Patriarcha condemnavit; Quodnam judicium ferendum eſſet de eo Judæorum more ſervandi pannum ſanguine virginitatis tinctum, & illum coram Senioribus Civitatis expandendi, ſi forte uxor iniquè accuſaretur violatæ ante matrimonium virginitatis: *Et dicet Pater, inquit Deus, ecce hæc ſunt ſigna Virginitatis filiæ meæ; expandent veſtimentum coram Senioribus Civitatis*: Si talem rem Dominus Viſitator reperiſſet apud Indos in more poſitam, quanto indecentior illi videri potuiſſet, quam quod hìc condemnat; id tamen damnare tanquam indecens, & inhoneſtum non potuiſset, quod ſciret à Deo fuiſse inſtitutum.

Sic nobis circumciſio adultorum; & probatio Virginitatis in S. Scriptura iuſsæ, aut permiſsæ inboneſtæ viderentur. Deut. 22.

Eò uſque non devenit tam graviter deprehenſa ab Illuſtriſs. Patriarcha Indorum conſuetudo, qui de tali ſpectaculo ob oculos parentum, & amicorum ponendo nunquam cogitarunt: Eſt apud illos ſanguis menſtruus res fœdiſſima, uti ſuperiori capite abundè dictum eſt:

Menſtruus ſanguis inter Indos res ſordida; at quà res honeſtiſſima deſignatur, nempe fæcunditas.

at Indi exiſtimarunt rem honeſtiſſimam, nempe fæcunditatem futuram re ſordidà, nempe menſtruis deſignari; & omiſſis, vixque cogitatis illis ſordibus, crediderunt de re honeſta haberi poſſe lætitiam, fierique gratulationes: Quod minus mirum videretur Illuſtriſs. Patriarchæ, ſi noſſet, quanto in pretio ſit apud illas gentes fæcunditas; non minori ſanè, quam olim inter Hebræos: unde res eſt peroptata, ut puella prima illa fæcunditatis ſigna edat; quibus ſi careret, perpetuo cælebs, & contempta, miſeràque in ſterilitate viveret: res eſt peroptata parentibus, tum ob filiæ amorem, tum quòd domi eam alere cogerentur; cum conſuetudo ſit, puellas paterna in domo remanere, donec id eis evenerit: res eſt peroptata Viro, ejuſque parentibus; cum inde ſpem ſobolis, propagandæque familiæ trahant: Quid igitur tantopere contra decorum, & Chriſtianæ Virginis honeſtatem, ſi de eo amici, cognatique certiores fiant; cum præſertim diſſimulare nequeant, quin faciant contra omne officium; quin accuſentur violatæ amicitiæ, & illius quæ in familia eſſe debet, arctiſſimæ neceſſitudinis; denique quin hominum inhumaniſſimi habeantur: Parentes vero Sponſi multo minus id celari poſſunt; cum non ante venturi ſint quæſitum puellam

Quanto in pretio fæcũditas inter Indos.

Vt nihil mirum ſit, de primis illius ſignis eos plurimũ lætari.

puellam ; & in mariti damnum deducturi, quam ea edidiſſe fæcunditatis ſigna reſciant.

Addit Illuſtriſs. Patriarcha id inverecundè publicari: ſed ſuæ Excellentiæ pace, & bonà venià dicam, minus bene in ea parte expoſitam fuiſſe, non dico Chriſtianorum, ſed omnium omnino Indorum etiam Ethnicorum conſuetudinem: tota illa publicatio in eo poſita eſt, quod parentes, & amici admoneantur: admonentur vero tam verecundè, quam verecundè in Europa amici, cognatique prolis conceptæ, aut notæ admonentur; quam verecundè Judæi circumciſos eſſe gloriabantur; tam & multo magis verecundè, quam Pater aliquis poſt probatam eo modo, quo Deus jubebat, filiæ ſuæ Virginitatem, eà de re cognatos admonere poterat.

Male expoſitum eſt Illuſtriſs. Patriarchæ inverecundè publicari prima illa fæcunditatis ſigna.

Poſtquam admoniti fuere affines, & amici, veniunt in Puellæ domum, & parentibus gratulantur honeſtiſſime, ſemperque maximo cum pudore non modo inter Chriſtianos, ſed etiam inter Ethnicos; exceptis Brammanibus; apud quos fateor quædam licentius dici; id quod aliæ ſtirpes eis ſæpe probro vertunt. Europæi apud quos uſitatæ non ſunt ejuſmodi gratulationes, non ita facile intelligunt, qua ratione pudicæ eſſe poſſint: At ut exempla ſuperius allata hìc

Parentes admonétur, & gratulationes fiunt tam honeſtè, quam inter nos de prole concepta, aut parta.

omittam;

omittam; meminiſſe debent, apud ipſos fieri interdum quaſdam gratulationes in quibus facile ob conſuetudinem, & uſum mentem avocant ab eo quod minus honeſtum eſt: Sic mulieri alicui prægnanti quam notum foret prolem optare plurimum, ſi ſit facienda gratulatio, facile quis ab ea ſe expediret, quin illi excideret quidquam minus pudicum. Evenit ſæpe, ut Reginis, aliiſque Principibus fæminis nomine ipſorum Summorum Pontificum ejuſmodi gratulationes fiant, quin contra ſeveriſſimas pudoris leges verbum ullum dicatur. Non video difficilius eſſe de prole concipienda honeſte gratulari, quam de concepta; ſcioque ita illis gratulationibus faciendis aſſuetos eſſe Indos, ut ſine rubore à caſtiſſimis quibuſque audiri poſſint: Nec mirum cum ſolemnis illius gratulationis formula ſit: Prolem habituri eſtis.

Demonſtratur feſtum non inſtitui niſi ob ſpem fæcũditatis; quia non fit illud feſtum, ſi aliam ob cauſam ſpes illa abſit.

Subjungit Illuſtriſs. Patriarcha, ſuper re tam ſordida, nempe menſtruorum fluxu, feſtum inſtitui: neceſſe non erat Indos edocere, menſtrua excrementa eſſe rem ſordidam; cùm ut ſuperiori in capite vidimus, ultra modum ſordes illas horreant: Verum non ſuper illo fluxu, ſi in ſe ſpectetur, feſtum inſtituitur; ſed potius ſuper fæcunditate per illum fluxum deſignata:

Ac

Ac ne putet Illuſtriſs. Patriarcha, id à me gratis, & ad invidiam illius celebritatis avertendam dici; obſervabo id, quod forte relatum non eſt ſuæ Excellentiæ; Si ante primos puellæ menſes, mortuus fuerit ille cui deſtinata fuerat; tunc nec parentes, nec amicos ea de re admoneri, nullumque omnino feſtum inſtitui; eòquod cum ex plerarumque Tribuum lege, nubere alteri nequeat puella, vitàque reliquà virgo remanere debeat, ſpem prolis nullam oſtentet fluxus menſtruorum: Quo ſane demonſtratur, non ſuper re ſordida, ſed ſuper honeſta per illas ſordes deſignata feſtum inſtitui.

Feſtum illud magis pudice, ſobrieq; tranſigitur, quā apud nos feſta aliqua vulgo tranſiguntur.

Illud vero feſtum, quod tantopere Illuſtriſs. Patriarchæ diſplicuit, in quo poſitum eſt? In eo quod affines, & amici modico prandio excipiantur, viri ſeorſim ac fæminæ; in quo omnia exiguntur ad omnem pudoris, temperantiæque normam: Quod ſi immitarentur Europæi in Conviviis, quæ in nuptiis, in puerorum Baptiſmis, aliiſque occaſionibus celebrant, non eſſet, quod in ea Concionatores inveherentur.

At illud reprehendere videtur D. Viſitator, quod ea omnia fiant à Chriſtianis Ethnicorum more, & ritu: Quid tum, ſi in illo Ethnicorum

Conſuetudo illa licet inter gentes recepta à Chriſtianis retineri poteſt, & debet.

rum more, & ritu, nihil eſt contra Fidem, Divinamque Legem? Crimen ne eſt tunc temporis id agere quod Gentiles agunt? Non permiſſit Gentium Apoſtolus Chriſtianis, ut admiſcerentur vitæ officiis cum Ethnicis, licet fornicariis, avaris, rapacibus, aut Idolis ſervientibus: *Alioquin, ait Apoſtolus, debueratis de hoc mundo exire.* Omnino neceſſe foret, ut Chriſtiani è ſuis terris excederent, ſi illis conſueta vitæ civilis officia cum Gentilibus interdicerentur: jam ſunt ſatis illis exoſi ob Fidem, quam profitentur; quin cogantur cum notis pariter & ignotis inimicitias ſuſcipere, prætermiſſis omnibus amicitiæ, ſanguiniſque officiis. Multa in hanc rem poſſem diſputare, oſtendereque non modo licere Chriſtianis Indis, ſed etiam eos teneri conſuetudines in ſuis terris ab Ethnicis receptas, quæ nihil contra Fidem, bonoſque mores peccant, uſurpare: at ex his quæ paſſim tota hac defenſione dicta ſunt, id facile colligitur.

Inter Chriſtianos S. Thomæ toleratur à Miſſionariis Sac. Cong. de propagãda Fide.

Quanquam non ita Gentilibus propria eſt iſta conſuetudo, ut non multis aliis communis ſit: Recepta eſt ab omni ævo inter Chriſtianos S. Thomæ: recepta eſt inter Chriſtianos Oræ maritimæ acolas, qui à centum ſeptuaginta annis eum morem ſecuti ſunt, quin ſciamus eos

unquam

unquam ſuper eo uſu ab Epiſcopis, à Sacerdotibus omnium Ordinum reprehenſos fuiſſe; nec ab ipſo S. Franciſco Xaverio illarum Regionum Apoſtolo; immo nec ab Epiſcopis, aut Miſſionariis S. propagandæ Fidei Congregationis, qui S. Thomæ Chriſtianos à quinquaginta fere annis curant: Nempe illi omnes ex diuturna in India commoratione deprehenderant in eo uſu nihil eſſe, quod Chriſtianæ Virginis honeſtati repugnaret: Nec ſperandum videbatur fore, ut D. Viſitator poſt ſeptem menſes in India actos, tot Parochos, tot Epiſcopos tacite condemnaret, quod tandiu inultum relinquerint illam conſuetudinem; quam certe non reliquiſſent, ſi adeo obſcæna foret, adeo virgineo pudori diſſona.

Puellis interdicit Illuſtriſs. Patriarcha quod impedire nequeunt.

Poſtquam Illuſtriſs. Patriarcha graviter invectus eſt in putatum illius Indici usùs horrorem, eas ſolemnitates, & ritus Orthodoxis Puellis interdicit: At quid Orthodoxæ Puellæ facient; cum id nequaquam poſſint diſſimulare; ipſiſque ſilentibus id Lotrices ſint declaraturæ: qua declaratione facta impedire non poteſt puella ſub parentum poteſtate conſtituta, quin ipſi conſanguineos, affines admoneant, quin admoniti veniant, quin denique convivio excipiantur.

Conſuetudinem illam eſſe inhoneſtã Miſſionarii ſine peccato admonere nequeunt.

Injungit præterea D. Viſitator, ut Miſſionarii non ſolum eas, verum etiam parentes moneant, quam diſſona ſit virginei pudoris legibus ejuſmodi obſcæna conſuetudo: At quà ratione poterunt præceptum iſtud tuta conſcientia Miſſionarii obſervare: Monebuntne, ut jam inhoneſtum cogitetur, quod ante honeſte Indi cogitabant? Ut ne disjungat id quod obſcænum eſt, ab eo quod eſt obſcænitatis expers? Sane idem præcipit Illuſtriſs. Patriarcha, ac ſi in Europa vetaretur mulieri, ne poſt conceptam prolem, id cuiquam manifeſtaret, & Conſanguineorum gratulationes admitteret. Admonere Indos uſum hunc obſcænum eſſe, virgineoque pudori diſſonum, nihil aliud foret, quam impuris cogitationibus, ſermonibuſque locum dare, ſine ulla ſpe illius conſuetudinis abolendæ. Equidem de me fateor, cum poſt Illuſtriſs. Patriarchæ Decretum variis de rebus inquirerem, non auſum eſse ſuper hoc interrogare, veritum ne pravis imaginibus Chriſtianorum mentes inficerem, & eos facerem peccati reos.

Adeo tamen horrenda viſa eſt Illuſtriſs. Patriarchæ iſta Indiæ conſuetudo, ut finem nullum faciat eam deteſtandi; conjeceritque eam à Gentilium impudentià fuiſſe inductam, ut labefa-

befactata Puellarum verecundia; eas effrænate ad libidinem provocare valeant. Hæc verba, Sanctiſſime Pater, ſi noſſent Indi ab Illuſtriſs. Patriarcha de ſua illa conſuetudine dicta fuiſſe, indignarentur, ſuccenſerentque plurimum, quod adeo ſiniſtre de filiarum ſuarum pudicitia Illuſtriſs. Patriarcha ſentiret, & adeo oblique ſuarum regionum uſus eſſet interpretatus. Non ipſi Infideles in India adeo ſunt projectæ impudentiæ, ut labefactari patiantur ſuarum filiarum verecundiam, quam contra, quantum eſt in ſe, conſervant; eo quod in India non minus quam in Europa familiarum honos ex ea pendeat; evenitque non ſemel in noſtræ Religionis laudem, ut ipſi Gentiles metuentes caſtitati filiarum ſuarum, quæ Viduæ relictæ maiori ſunt in periculo, ad illud præcavendum, eas ſategerint fieri Chriſtianas, ſcientes, quam pura, Sanctaque ſit Religio noſtra, & quam integri, purique Chriſtianorum mores. Neque id ſatis: pæna capitis conſtituta eſt puellæ, quæ violatæ caſtitatis rea deprehendatur; eaque pæna manu paterna, aut fraterna exigitur ad contractam familiæ labem ſontis cruore eluendam. Quamobrem parentes puellæ dici nequeunt, feſtum illud inſtituiſſe ob eam cauſam, quam Illuſtriſs. Patriarcha aſſignat. Neque etiam id

Minus bene coniicit Illuſtriſs. Patriarcha quem ob finem conſuetudo illa inducta ſit.

ſibi propoſuere parentes Sponſi, cui puella mox traditur; qui filio Sponſam pudicam, non adulteram uxorem, non meretricem dare, & in domum ſuam inducere voluerunt. Quinam ergo tam abominandum finem in iſta inſtitutione ſibi propoſuiſſent? An externi, qui ad illam qualemcumque ſolemnitatem, nequidem accedunt; cum ſoli conſanguinei, affineſque proximi invitentur, quibus familiæ ſuæ honos plurimum cordi eſt.

Quęnam ſit vera cauſa. Vera igitur, atque unica cauſa eſt ea, quam ſupra aſſignavi, ſpes fæcunditatis; idque ex eo demonſtratur, quod dixi, nullam ſolemnitatem, nullum feſtum inſtitui in primis menſibus puellarum ante viduarum, quam nuptarum; quarum occaſione multo maior celebritas fieri deberet, ſi uti conjecit Illuſtriſs. Patriarcha ea ſolemnitas à Gentilium impudentia fuiſſet inducta, ut labefactata puellarum verecundia, eas effrænate ad libidinem provocare valerent: Contra vero nulla aut prope nulla fieri debuiſſet aliarum puellarum occaſione, quæ cùm Sponſo tunc temporis tradi ſoleant, vix poſſunt ad libidinem provocari.

CAPUT XI.

Verba Decreti.

FErre pariter non poſſumus, quod à Medicis Spiritualibus pro animarum ſalute ea charitatis officia denegentur, quæ Medici Gentiles nobilis etiam generis, ſeu Caſtæ pro corporis ſalute præſtare non dedignantur infirmis abjectæ, & infimæ conditionis, vulgo dictis Pareàs: Quapropter diſtricte mandamus Miſſionariis, ut quantum in ipſis erit, nemini ex Chriſtianis ægrotis, quantumvis Pareàs, & vilioribus, ſi adeſſent, generis hominibus deſideranda relinquatur in infirmitate copia Confeſſarii: & ne ingraveſcentibus morbis cum graviſſimo vitæ temporalis periculo æternæ conſulere cogantur, iiſdem Miſſionariis præcipimus, ne infirmos ejuſmodi conditionis ad Eccleſiam deferendos expectent; ſed conſultiùs domos ubi ægrotant pro viribus petant ad eos inviſendos, ac piis ſermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos; atque demum eos in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos S. Infirmorum Oleo delineant, abſque perſonarum, aut ſexùs acceptione; expreſſe- *Statutum de adeundis Ignobilium domibus.*

dam-

damnantes quamcumque praxim huic Chriſtianæ pietatis officio contrariam.

Obſervationes.

Quam foret iſtud ſtatutum Miſſionariis probroſum.

QVam altum vulnus hìc Miſſionariis infligit D. Viſitator, cum eos arguit feciſſe minus pro animarum ſalute, quam Medici pro corporibus; cum eorum agendi rationem tanquam Chriſtianæ pietatis officio contrariam expreſse damnat; cum denique eos proponit tanquam ſuperbos, negligentes, crudeles miniſtros, qui Ignobilium ſalutem, Infirmorum curam abjiciſse videantur. Quis noſtrum ſperaſset unquam futurum, ut in eo reprehenderemur officii neglecti, in quo plus fecimus, quam tenebamur, immo plus fere quam poteramus? Quis ſperaſset nos damnatum iri inhumanitatis in proximum in eo ipſo, in quo quotidie pro fratrum ſalute vires corporis abſumimus, caputque noſtrum mille periculis devovemus? Quis ſperaſset nobis adhuc impoſitum iri notam in eo ipſo, in quo Calicem abjectionis ad amariſſimas uſque fæces exhauſimus? Quis ſperaſſet fore, ut apud homines Rei cenſeremur in eo ipſo, in quo maiora apud Deum merita nos collegiſſe putabamus? Laudat ali-

Rebus melius cognitis, illud ſuſpendit Illuſtriſ. Patriarcha.

cubi

cubi Illuſtriſs. Patriarcha zelum, labores, ſudores, vitæ auſteritatem Miſſionariorum; & id parum putat in quo plus laboramus, in quo plus deſudamus, in quo tùm corporis labore, tùm animi dolore, tùm Gentilium perſecutione tantum patimur, quantum verbis ego ipſe tot annis expertus conſequi non poſſum.

Vt tanto vulneri promptiſſimum, & ab ipſomet D. Viſitatore ſubminiſtratum remedium afferatur, admonebo Sanctitatem Veſtram ſuſpenſum à ſua Excellentia fuiſſe, hoc de adeundis Ignobilium domibus Statutum, poſtquam facto jam Decreto ego ipſi expoſui, quid in eo Miſſionarii facerent, & qua de cauſa facerent: adeo parum certis cognitionibus niti iſtam Decreti partem nobis tam probroſam, ipſemet Illuſtriſs. Patriarcha judicavit.

Neque diutiùs cunctandum reor, quin ſtatim huic exemplo reſpondeam, quo veluti fundamento iſtud Statutum ſuperſtructum fuiſse videtur. Verumne eſt igitur, quod D. Viſitator ſupponit tanquam indubitatum, Medicos nobili genere natos Ignobilium domos ingredi ad medendum eorum morbis? Id, Beatiſſime Pater, tam à vero alienum eſt, ut nihil magis affirmare Sanctitati Veſtræ poſſum. & quidem interpoſita jurisjurandi religione, me ſpatio viginti

Medici corporei non plus in eo genere faciunt, quam Miſſionarii, nec tantum.

ginti duorum annorum, quos in Indicis Miſſionibus egi, nihil tale, nec vidiſſe, nec audiviſse, aut meo, aut ullo unquam tempore fuiſse factum; idem etiam ſub juramento teſtantur Catechiſtarum præcipui, ut videre eſt ad calcem hujus operis: idque tam ſevere prohibitum eſt, ut ſi reſciretur Medicum aliquem nobili Tribu natum id quacumque ex cauſa feciſſe, omni nobilitatis gradu diſiceretur à ſuæ Tribùs, ſuæque familiæ hominibus, ut infamis fugeretur: idque tàm in India notum eſt, quam Italis Romam exiſtere; ut mirari ſatis non potuerint Miſſionarii, quis rem apud illas nationes adeo inauditam fingere potuerit.

Indus ab Illuſtriſs. Patriarcha conſultus male intellectus eſt.

Indicavit Illuſtriſs. Patriarcha, id ſibi aſseruiſſe Indum, cujus remediis in ſuo morbo uſus eſt; Qui egregius teſtis interrogatus, quà fronte talem fabulam ſuæ Excellentiæ obtruſiſſet, multis audientibus reſpondit, ſe rem eo modo non retuliſse, ſed dixiſſe ſolum, quod ſi forte aliquis ex ignobili Tribu Princeps fieret, - quæ hypotheſis chimerica eſt -, haberetque Palatium extra aſſignata Ignobilibus oppida, tunc nobilis Medicus ægrotantem poſſet inviſere. Si re ipſa ille Indus nihil plus dixit, manifeſtum eſt illud, quod alio loco Sanctitati Veſtræ expoſui, non ſatis bene Illuſtriſs. Patriarcham il-

lius

lius Indi reſponſa intellexiſse: Nec mirum cum Indus, Luſitanam linguam corruptà phraſi loqueretur, & ſua Excellentia Famulicam non calleret. Si bene Illuſtriſs. Patriarcha illius Indi reſponſa percepit, ſi ille re ipſa dixit, in Parearum Vicos, domoſque Medicos nobiles vulgò introire, dicendum eſt illum ſuæ Excellentiæ mentitum eſse, & ita mentitum, ut ſatis frontis non habuerit, ad illud ſuum mendacium defendendum, quod poteſt tot teſtibus convinci, quot ſunt in Indiis Medici, & alii cujuſcumque officii homines. Quæ verò ipſi fuerit in his, aliiſque rebus mentiendi cauſa, alibi quoque Sanctitati Veſtræ retuli, duas cauſas ipſummet aperuiſse; prima erat, quod timeret, ne noceret valetudini Illuſtriſs. Patriarchæ, qui ipſum graviter incuſabat diſſimulatæ veritatis, ſtatim atque res ſincere exponendo, Miſſionariis ſuffragari videbatur: altera, quod metu minoris mercedis recipiendæ, non auſus fuerit ſuæ Excellentiæ contradicere: ita ab illo Indo dictum fuiſse non ignoravit D. Viſitator: Ex quo colligere eſt, quanta inſit authoritas huic teſti, qui tamen maxime conſultus eſt.

Aut in re perſpicua mentitus eſt non ſine cauſa.

Quamvis Statuti iſtius ſuſpenſio, & detecta falſitas invidioſi illius exempli à nobilibus Me-

dicis potiti, ſatis eſse poſsent ad depellendum ſubitum horrorem, quem animis ingenerat prima Decreti lectio, ad eum omnino tollendum, juvat hìc Illuſtriſs. Indiarum Præſulum teſtimonia recenſere, ex quibus ſummatim hæc tota cauſa cognoſcetur.

Teſtimoniũ Illuſtriſs. Indiæ Primatis de ingreſſu Miſſionariorum in domos ignobilium quos Pareas vocant.

Illuſtriſs. Archi-Epiſcopus Goanus ait hoc Statutum vulnus eſse Miſſionibus inflictum: *Primum vulnus eſt, inquit, ingreſſus domùs de Pareas ægrotantium: ad primam oculorum aciem, optima, & pia reſolutio, in praxi vero minime explenda; Sunt enim Pareas homines quidam viliſſimi tali horrore à nobilibus, ac aliis gentibus ſeparati, ut ad illos, qui eos tangunt, communicant, ac etiam cum eis quamcumque converſationem habent, minime accedant: tunc ne pereant, Miſſionarii illos clam docent, ac illis Chriſtianum præſtant ſtudium: hac prudenti obſervatione Chriſtianitas augetur, Eccleſia Catholica multiplicatur, ac Dei Cultus floret; Magnates, Nobiles, ac Principes ad Patres Miſſionarios eorum doctrinam audientes familiariter accedunt, Pareas adhibito remedio.*

Teſtimoniũ Illuſtriſs. Archi. Epiſcopi Cranganorenſis.

In Illuſtriſs. Archi-Epiſcopi Cranganorenſis teſtimonio ſic legitur: *Teſtamur ſeparationem nobilium Indorum ab Ignobilibus vulgò*

Pareas

Pareàs ex lege civili in illis Regnis inviolabili, & quoad aliqua indiſpenſabili, eſſe præceptam; quæ lex abſque graviſſimis damnis, & infamia inevitabili diſpenſari non poteſt; eo adeo, ut violator bujus legis vel capite plectatur, vel ad minimum ignobilis, ac infamis declaretur, ac è Tribu ſua ejiciatur: quod eſt genus quoddam excommunicationis civilis adeo rigoroſæ, ut ſic ejecti à ſua Tribu, lumine, aquà, & comercio Nobilium Indorum ſint omnino privati. Hæc autem pæna non ſolum concernit Indigenas Orientales Nobiles, verum etiam Patres Miſſionarios, eòquod bi rationem vivendi nobilium propriam elegerint, utpote viam unicam ut ab Ethnicis Crientalibus audirentur; in boc maxime errori Nobilium Indorum parcentes, qui certo ſibi perſuadent, in rebus ſpectantibus ad ſalutem, & Religionem indignum eſſe auditu bominem illum qui à ſuorum nobilium ratione diſcrepat, & peregrinos ritus, ac ceremonias admittit. Vnde ſi bæc lex civilis probibens communicationem nobilium cum ignobilibus ſub eodem tecto violetur, cùm Nobiles in eadem Eccleſia cum Ignobilibus admittendo, tùm domos, ac vicos Ignobilium ingrediendo, ut illis ægrotantibus Sacramenta adminiſtrentur, eo ipſo deſtruentur Miſſiones bæ florentiſſimæ, ſpirituale damnum

 irre-

irreparabile patientur tot millia Chriſtianorum in illis Regnis ad Fidem Chriſtianam converſorum, & oſtium Infidelium converſioni claudetur: Accedit opportuniori via, qua in præſenti rerum ſtatu fieri poteſt Ignobilibus de remedio ad ſalutem ſufficienter provideri.

Suffragium Illuſtriſs. Epiſcopi Maliapurenſis in hanc rem ſic habet: *Si Miſſionarii ingredeentur limen Parearum gentis ignobiliſſimæ, quam Indigenæ non tangunt, & ad quam non accedunt propius nobiliores, & multo magis Sacerdotes, ſi id fiat, Lex Divina viliſſima reputabitur, Xutrenſes non convertentur, & Miſſionarii abſque ulla venia, Regno ejicientur:* Propter has rationes Illuſtriſs. D. Alexius de Menezes Prìmas Indiæ permiſſit, ut in Templis ſepararentur nobiles à Pareis.

Et Illuſtriſs. Epiſcopi Maliapurenſis.

Videt Sanctitas Veſtra ex his teſtimoniis Illuſtriſs. Epiſcoporum à Miſſionariis duo fuiſſe neceſſario obſervanda; primo non potuiſſe introire Ignobilium domos; ſecundo coactos fuiſſe peculiarem eis locum in Eccleſiæ veſtibulo aſſignare. De utroque hoc uſu paulo fuſiorem rationem reddam Sanctitati Veſtræ; ſi prius expoſuero, quænam ſit nobilitatis Indicæ forma.

Cum toto hoc articulo de Nobilibus loquar,

ne

ne cogitet quæſo Sanctitas Veſtra homines magna poteſtate præditos, Oppidorum Dominos, plebe vulgò ditiores, aut in veſtibus comptiores, in domibus ſplendidiores: Nobilitas Indica longe alia eſt ab Europæa: Flos ipſe nobilitatis Indicæ, qui eſt Ordo Brammanum conſtat maiori ex parte agricolis ligone terram aſſidue ſolicitantibus; complectitur multos, qui accepto pretio onera bajulant; multos qui ſe minus nobilibus locant; denique nullus eſt ex eo ordine, qui non veluti prærogativa excellentis ſuæ nobilitatis glorietur, quod jus habeat ſine rubore mendicandi. Si talis eſt flos nobilitatis, quid de aliis ordinibus inferioribus erit judicandum? Secundus Ordo, qui eſt Rajorum, arma tractat, innumeroſque milites, fortiſſimos illos quidem, attamen Gregarios continet. Tertius Ordo, qui eſt Xutrenſium, multas in Claſſes, Tribuſque nobiles diſtribuitur; quas inter ſuus eſt locus Tribubus Babrorum, Ferrariorum, Lignariorum, aliorumque ſimilium Opificum, qui Artibus maxime Mechanicis ægrè ſibi, ſuæque familiæ victum parant. Nihil frequentius eſt, quam nobiles illos omnium Ordinum videre ignobilibus multo pannoſiores, obſcurioraque mapalia habitantes: Denique hoc uno diſtant nobiles ab ignobilibus,

Qualis ſit Indorum nobilitas.

bilibus, quod iſti ex Tribu reputata vili nati ſint, Bubulæ Carnes comedant, & Vinum bibant; alii ex Tribu reputata nobili, ab illis omnibus abſtineant. Ex quo colliget, uti ſpero, Sanctitas Veſtra ejuſmodi nobilitatem nihil admodum habere, quod allicere poſſit Miſſionarios Europæos, eoſque ad perſonarum acceptionem plurimum invitare: Sane & ſi maiora haberet illicia Indica nobilitas, & ſi illo ſplendore fulgeret, eo niteret luxu, quo in Europa ſolet; non eſſet facile credendum, eo perſtrictos fuiſse Miſſionarios, qui mundo crucifixi eſſe debent, & quibus mundus debet eſſe crucifixns: at cum talis ſit ea nobilitas, qualem dixi, quis erit tam malignæ cenſuræ; qui exiſtimet, Miſſionarios Europœæ, veræque nobilitatis contemptores, eà Indicæ vanitatis umbra deluſos fuiſſe; Credibilis non erit tam indignus error, niſi apud eos, quos malignitas facit in ſiniſtra judicia pronos: Verum habemus Deum noſtrorum conſiliorum teſtem, idque nobis ſatis eſt. His animadverſis, venio ad primum hujus expoſitionis caput, quod eſt de ingreſſu Miſſionariorum in Parearum domos; in quo illud primum.

Talis ut nō p ſſit allice re Europæ os.

Fatemur Sanctiſſime Pater, hactenus Miſſionarios, vulgò abſtinuiſſe ab adeundis ignobilium,

bilium,

bilium, ſeu Parearum domibus, ac vicis: vulgò, inquam; Nam cum occulte, ac ſine Religionis periculo, id facere potuimus, detrectavimus nunquam: quoties ego ipſe alta nocte, uno tantum fido Catechiſta comitatus Parearum Vicos ingreſſus ſum, non ut Infirmorum tantum, ſed etiam ut ſanorum Confeſſiones exciperem, & eos Sacra Communione reficerem: idem alii Miſſionarii ſæpe fecerunt: at vulgo, palamque id à nobis fieri non poſse, nec debere judicavimus, uti Reverendiſs. Epiſcopi judicant; qui ad id oſtendendum in ſuis teſtimoniis tria præcipue dicunt: Primo quidem coactos fuiſſe Miſsionarios ad fructum aliquem in illis Miſsionibus colligendum, illud vivendi inſtitutum ſectari, quod proprium eſt nobilium: Secundo ex illo vivendi inſtituto conſequi, quod Parearum domos ingredi nequeant: Tertio conſuli tamen quantum ſatis eſt, Parearum ſaluti: Quæ tria mihi liceat paulo fuſius declarare; ac præſertim tertium illud punctum; in quo Sanctitati Veſtræ exponam, quid in his omnibus fiat, ac fieri poſsit, quæ Illuſtriſs. Patriarcha præcipit, quoad Sacramenta, aliaque ſubſidia ſpiritualia infirmis Pareis ſubminiſtranda.

Diviſio obſervationis in hoc Statuto.

§. I.

§. I.

VT intelligatur, quam neceſſarium fuerit Miſsionariis mediterraneas Indiæ terras excolentibus adjungere ſeſe Nobilium Ordini; revocandum eſt in memoriam id quod ſuperius dixi; tandiu illic nullum fructum colligi potuiſſe, quandiu ab agnitis Europæis Evangelium annuntiatum eſt; invaluit nempe opinio apud Indos, Europæorum Tribum, ut loquuntur, eſſe nnn ſolum ignobilem, ſed viliſsimam, ſordidiſsimamque: atque id evidenter, ut ſibi putant colligunr, ex eo quod Europæi receptas Indicæ nobilitatis leges paſsim tranſgrediantur. Huic veluti primo principio adjungunt aliud, quod ipſis non minus indubitatum videtur; indignum ſcilicet eſſe homini Superioris Tribùs doceri à Magiſtro Tribùs inferioris. Fruſtra Europæus aliquis ſummo ingenio, ſumma eruditione, ſumma virtute foret, fruſtra omnibus Indiæ conſuetudinibus accomodaret ſeſe, ſi Europæus eſſe noſcatur, illa nativa macula ita obſcurantur bonæ reliquæ dotes, ut nullus ſe in ejus diſciplinam tradere velit. Quod ſi vidimus contrarium hujus quod dico in Oris maritimis eveniſſe, cauſas jam ſupra retuli; quarum

Europæi in Indorũ opinione ſunt viliſſimi.

rum præcipua eſt, quod ſpe, metuque ad id fuerint velut compulſi; quodque ex Europæorum commercio paulatim dedifcerint, ut peregrino more loqui, ſic peregrino more ſentire. Verum in interioribus terris rem ſe habere, ut dico, tum maiorum noſtrorum, tum noſtramet experientia abunde docuit.

Jam decem annos, ut ſupra memoravimus in interioribus terris egerant noſtræ Societatis Sacerdotes, meſſemque prope nullam ex Dei verbo colligentes, cum eò veniens P. Robertus de Nobilibus, & ſterilitatis cauſam agnovit, & exemplo D. Pauli omnibus omnia ſe faciendum ratus Indum ſe Indis facere ſtatuit. At è multis vitæ conditionibus quas videbat inter Indos eſſe, cui ſe potiſsimum adſcriberet? Satis eſt vel mediocriter Indiam noſſe, ad intelligendum Parearum conditionem non potuiſſe ab eo ſuſcipi; quippe ex ſua origine adeo vilis, & deſpecta eſt, ut Europæi niſi ipſi viderint, vix poſsint percipere, quouſque contemptus ille progrediatur: Nam ut de rebus aliis ad vitam communem ſpectantibus ſileam; in ipſis Religionis officiis, non tanquam æquales, ſed tanquam à Diis ipſis reprobati habentur: Unde conſtans eſt Indiæ opinio, illos neque Legem,

Miſſionis Fundator, ut fructum colligeret, Indum ſe Indis facere ſtatuit.

Non poterat tamen ſe collocare in Ordine Parearum ob incredibem deſpectum in quo illi ſunt.

neque Templa habere debere, nullamque ſalutem poſſe ſperare. Eratne illa conditio idonea quæ aſsumeretur à Viro Apoſtolico totius Indiæ converſionem meditante? Qua ratione potuiſset edocere, qui dignus judicatus non eſt, qui doceretur? Quo pacto aliorum potuiſset fieri Magiſter ille, cui nec Magiſtrum nobilem habere licuiſset? Quo modo potuiſset Eccleſias extruere, & omnes in eas convocare, cui Eccleſiam ingredi nefas fuiſset? Qua arte Sacramenta miniſtraſset hominibus, qui ante mori eligerent, quam ab ejus manu Euchariſtiam ſumere, aut rem aliam accipere? Illud vitæ genus recipiendo, recidebat in idem incommodum, quod volebat evitare, cum non multo melius Indi de Pareis, quam de Europæis exiſtiment. Nequidem ipſiſmet ignobilibus admodum utilis eſse poterat P. Robertus de Nobilibus ſe Paream faciendo; ſcilicet Pareæ in deſpectu nati, & educati, ſe ipſos perinde fere deſpiciunt, ac ab aliis deſpiciuntur; Magiſtrum ejuſdem ſecum conditionis contemnerent: Unde non multo plus eis prodeſset Miſſionarius, qui ſe eorum Tribui adſcriberet, quam qui apparet Europæus.

Nec quidem Ignobilibus fuiſſet admodum utilis.

Contra videbat P. Robertus de Nobilibus, ſi vivendi morem ſequeretur, qui proprius eſt

no-

nobilium, ſe poſse ſuperioribus Tribubus utiliſsimum eſse & inferioribus, quæ ſe ſolent ad ſuperiorum exemplum componere: Et quamvis difficile fore videbat cum eis agere familiarius, tamen illud incommodum minus eſſe viſum eſt, quam ſi nobilium pariter & ignobilium ſaluti deeſſet: Itaque nobilium ordini ſeſe adſcripſit; idque ſecuti ſunt ejus ſucceſſores hoc diſcrimine; quod cum experientia docuiſſet, Brammanum ſtatum minus opportunum eſſe ad agendum cum Pareis; plerique poſtea ſeſe in ſecundo nobilitatis gradu conſtituerint; in quo Magiſtri adhuc eſſe poſſunt, & infimarum Tribuum ſalutem paulo minus difficile procurare. Optaſſent etiam ut aliqui potuiſſent Parearum ſtatum amplecti: Verum cum miniſteria, mutua officia, Religionis unitas prodant, ſtatim maximam eſſe inter nos conjunctionem, & forte ejuſdem nationis, ac ſtirpis homines eſſe; quoſdam ſe Pareas dicere, eſſet idem ac omnes nos eſſe Pareas confiteremur: ac proinde nobiles omnes à Fide alienarentur: Quare ad aliquem fructum in mediterraneis Indiæ regionibus faciendum, neceſſe fuit illud vitæ genus ſectari, quod ab uno Sæculo ſectati ſumus.

Nobilium ſtatum ſequens omnibus utilis eſſe poterat.

Nequeunt Miſſionarii alii nobiliū, alii ignobilium more vivere.

§. II.

Viventes more nobilium non poterant ingredi domos Parearum.

SI neceſſe fuit nobilium ſtatum amplecti, ſequitur evidenter, ea fuiſſe à Miſſionariis obſervanda, quæ ſunt illius ſtatùs propria; ea vitanda, quæ ita ei contraria ſunt, ut cum eo ſtatu pugnent; cum idem ſit ſe ignobilem profiteri, ac id facere, quod ſine nobilitatis damno, & jactura fieri nequit. Unum ex illis nobilitatis Indicæ officiis neceſſariis eſt, abſtinere ab ingreſſu domuum, ac vicorum, ubi Pareæ habitant, quæ nullus omnino nobilis ingredi poteſt, quantacumque urgeat neceſſitas; quæcumque ſpes lucri affulgeat; quæcumque obtendatur excuſatio; quin, uti teſtantur Illuſtriſs. Epiſcopi, illius conſuetudinis violator vel capite plectatur, vel ad minimum ignobilis, aut infamis declaretur, & à ſua Tribu ejiciatur. Addo non ſolum ei qui in Pareæ domum eſset ingreſsus illas pænas eſse conſtitutas, ſed ipſi Pareæ qui alium in domum ſuam recepiſſet: Nam Indi ut eam conſuetudinem, aliaſque ſimiles melius conſervarent, voluerunt non ſine utriuſque periculo violari, quo neuter alterum ad eam violandam provocaret: Summuntur vero ob ejuſmodi culpas à Pareis tam

ſe-

ſeveræ pænæ ; ut viſi ſint aliqui ſub ictibus animam exhalare . Ab his conſuetudinibus uſu perenni ſtabilitis non diſcedent Ethnici in gratiam Miſſionariorum , quos veluti capitales ſuæ Religionis hoſtes jam peſſime oderunt .

Siquidem nobiles nullam ob neceſſitatem illas adeunt , nec ſine graviſſimis pænis adire queunt .

Attendat igitur ; quæſo Sanctitas Veſtra , quot mala ſint conſecutura ex illo ingreſsu in Parearum vicos , ac domos : latere enim ingreſsus non poteſt , uti ipſemet D. Viſitator fatebatur : poſtquam innotuerit , eritne ſpes aliqua Infideles , ſeu Nobiles , ſeu Ignobiles Fidei adjungendi ? Non maior , quam ſi Miſſionarii Pareas ſeſe aperte profiteantur : Nam cum ſit lex Indiæ , ut quiſquis cum infami familiarius egit , & ipſe infamis reputetur ; adeundo domos Parearum infames fient Miſſionarii , infames fient quotquot ad eos accedent propius : Itaque Infideles nobiles non minus à Miſſionariis , quam ab ipſis Pareis abhorrebunt ; non magis è propinquo nos volent alloqui : nullus erit , qui ſe ſinat à nobis edoceri ; & ſicut nullus eſt ex iis , qui non ante mori eligat , quam ab ullo Parea certa officia accipere , quod id facere nequeat ſine ſua , ſuæque familiæ macula ; Sic nullus erit , qui à nobis Baptiſmum , Pænitentiam , Euchariſtiam accipere velit . Sic ex-

Si Miſſionarii palam legem illam violent fient infames ipſi , & quotquot ad eos accedent .

tra

tra Ovile Chriſti remanebunt nobiles omnes; id eſt, illi qui Chriſtiani facti ſuæ Religionis officiis omnium optime funguntur: Nam Indica Nobilitas cum talis ſit, qualem ſupra deſcripſi, non eos habet ſalutis obices, quos habet Europæa; non divitiis corrumpitur, non luxu diffluit, non voluptatibus emollitur: contra, eam labor ab otio, paupertas ab intemperantia, vitæ auſteritas à voluptate revocant: atque ideo qui ex illis Tribubus Chriſtiani fiunt, vulgò ſanctiſſime vivuunt: infrequens non eſt quod repetere non pudet, à ſummo mane ad meridiem homines illarum Tribuum confitentes audire, quin quiſquam reperiatur lethalis peccati reus; nec dubium quin plerique ex illis conditionibus Cælum impleant.

Hinc nulli Infideles è nobilitate Fidem amplecterētur; ne noſtra conſuetudine ignobiles fiant.

Non omnino ita ſe res habet inter Pareas; nam quamvis etiam inter illos plurimi ſint maxima innocentia morum; ebrietas tamen, & licentia militaris diſciplinæ, cui multi eorum addicti ſunt, faciunt, ut eorum aliqui non ita ſancte vivant; ex quo præſertim Mahometani Mogorenſes in noſtrarum Miſſionum Regna ingreſſi, eò ſecum maxima vitia induxere, quibus Pareas præ cæteris inficiunt; eò quod illis tanquam famulis, vel militibus ſæpius utantur;

Sic excludūtur a Fide nobiles, qui in Indiis multo meliores ſunt Chriſtiani, quam Pareæ.

aliaſque

aliaſque ob cauſas, quas longum foret commemorare. Id obſervare opus fuit, ut intelligatur quantum damnum foret, ſi nobilitati occluderetur oſtium Fidei; id quod certe fieret, ſi Parearum domos Miſſionarii ingredi cogerentur.

Sed quis credat Ignobiles plurimos à Chriſti Fide deterritum iri? Nihil tamen verius eſt: Jubebat D. Viſitator, non ſolum ut Parearum domos ingrederemur, ſed etiam aliorum, ſi qui forent, viliorum. Tales ſunt Sutores, qui adeo viles reputantur, ut cæteri Pareæ viliſſimi cum eis admiſceri ſe non patiantur, nec ab iis velint frigidam ſumere: Cum ergo Pareæ honeſtiores, vel ut cum Indis loquar, minus inhoneſti, videbunt Miſſionarios ingredi limina Infirmorum ſe ipſis inferiorum, eos putabunt ad ultimum vilitatis gradum deveniſse; eos nequidem in domum ſuam admittere dignabuntur, non audire prædicantes, non ab eis Sacramenta recipere. Ecquam putamus cauſam eſse, cur tot Pareæ Fidem amplectantur, contra vero tam pauci Brammanes? Ut taceam de Gratia Chriſti, quæ una Fideles proprie diſcernit; ſi obicibus tantum attendamus, quos gratia reperit; videbimus pleroſque Brammanes non multo maiori divitiarum, vel volupta-

Pareæ pauciores Fidē amplectērētur, ſi Miſſionarii ſubeant domos eorum, qui inter Pareas viliſſimi cenſentur.

lupta-

luptatum illecebris detineri, ſed quod converti ad Fidem nequeant, quin fiant diſcipuli hominum ſibi dignitate inferiorum: Pareæ vero dum Fidem amplectuntur, id obtinent, quod Ethnici ipſis negant; ut habeant Legem; Magiſtros, eoſque nobiles, ut eis intra ſepta Templorum pateat aditus, ut cum eis multo minori faſtu nobiles Chriſtiani agant; ipſa D. Legis acceptione emergunt quodammodo ex ſua vilitate: ita ut quæ ratio nobiles ab amplectenda Fide revocat, eadem Ignobiles ad eam amplectendam incitet: ubi ratio illa deſierit, in eundem ſtatum tum quoad nobiles, tum quoad ignobiles recident Miſſionarii, quo tunc erant, cùm Europæo more viventes Fidem annuntiabant; nempe deſinet prorſus fructus ullus fieri. Certe Sanctiſſime Pater, ſi ex quo Miſſionem ingreſsus ſum Parearùm domos adiiſſem, quadraginta hominum millia ex omnibus conditionibus Sacro Baptiſmo non tinxiſsem.

Indi fieri nolunt diſcipuli hominum ſibi nobilitate inferiorum; ideo pauci Brammanes convertuntur.

Poterunt ne Chriſtiani jam facti conſervari? Conſtat multos quocumque periculo conſervatum iri: At negare viciſsim non poſsum, quin multi ubi nos infames factos fuiſse videbunt, à nobis adeundis, & à Sacramentorum receptione deterrendi ſint. Neque ideo minoris fieri

Chriſtiani iam facti multi à nobis recedent; ut in Europa multi nobiles Fidem potius quam nobilitatem amiſsâ vellent.

fieri debent illi Chriſtiani: Nam quamvis Religioni ſuæ addicti ſint, ſua tamen eis nobilitas non poteſt non eſſe chara, ut ſua Europæis chara eſt; qui ſi in eas anguſtias deducerentur, ut non niſi cum illius jactura poſſent ad Sacerdotes accedere, nemo miraretur illos ab hoc deterreri; Atque haud ſcio, an non plures ante Fidei, quam nobilitatis jacturam facere mallent: Et tamen nobilitatis amiſſio in Europa non eatrahit ſecum incommoda, quæ in India trahit: Exciderit hìc aliquis è ſua nobilitate exercitio aliquo nobilibus interdicto, tamen adhuc vir honeſtus haberi poteſt; in India idem eſt nobilitatem, & honeſtatis opinionem amittere: in Europa nobilitatis vices dignitas, aut divitiæ ſupplere poſſunt, facereque ut communibus vitæ civilis officiis etiam cum nobilibus conjungi queant; in India nobilitate dejectus, etiam ſi Craſſus opulentiſſimus fueris, non ab ullo pauperrimo nobili obtinebis, ut filiam tibi det in uxorem, immo nec famelicus apud te licet pollucibiliter obſonabitur: in Europa ſi quis nobilitatem amiſerit, non continuo à parentibus, à filiis, à Conjuge rejici ſolet; in India amiſsa nobilitas hæc omnia ſecum trahit. Amiſſa ergo in Indiis nobilitate, non vanus aliquis titulus, non aliqua ſolum privilegia deperduntur;

Quãto maior ſit nobilitatis iactura inter Indos, quam inter Europæos.

tur; id deperditur ſine quo nullus poteſt niſi miſerrimus, contemptiſſimuſque vivere. Et mirabitur poſtea quiſquam, ſi Chriſtiani alienarentur à Sacramentis recipiendis, quæ ſine tanta jactura non poſſent à manu Sacerdotum recipere: mirandum potius eſſet, ſi quis id auderet, ipſiſque Martyribus prope comparandus foret.

Quid Reges, Principeſq; acturi ſint ſi ingrediamur Parearum domos.

Hactenus ſpectavi, quid ex ingreſſu Miſſionariorum in Parearum domos conſequeretur, ſi res nativo ſuo curſui permitteretur, ſi Miſſionariis per Magiſtratus impune liceret ſuo arbitrio vivere: Sed ſi verum, non fictum rerum ſtatum conſideremus, quam celeriori impetu mota à Gentilibus perſecutione, veluti tumentibus rapidi torrentis aquis Religio omnis ſubverſa, radicitùſque evulſa in exitium pertrahetur? Id Epiſcopi, id Miſſionarii, id Chriſtiani Sanctitati Veſtræ teſtantur, & res nimium certa eſt. Si Miſſionarius foret ab omni hominum commercio ſegregatus, minori forte acerbitate caſtigaretur; ſatis haberent forte Infideles illum tanquam infamem, tanquam omni nobilitate dejectum fugere, averſari: At norunt Infideles Miſſionarios Fidem ubique prædicare, habere diſcipulos, cum illis agere, ad illos accedere, Chriſtianos vero omnium Tribuum eſſe: Quam

Quam ob rem infamia Miſſionarii in omnes Chiſtianos, & per Chriſtianos in omnes omnino Tribus in eorum opinione redundabit: hoc vero judicant, nihil aliud eſſe ‘ quam totam Incæ nobilitatis puritatem commaculare, quam ordinem evertere.

Itaque ubi audierint Miſſionarios in omnibus Miſſionum Regnis Parearum domos intrare ex ſuæ Religionis præcepto, quid ſperare poſſumus? Ut manſuetiſſime nobiſcum agant Infideles, exilio nos mulctabunt; ex quo exilio malum ſequetur longe gravius, quam illud cui Illuſtriſs. Patriarcha vult mederi: Siquidem non jam Pareæ ſoli aliquo auxilio ad ſalutem opportuno, licet non neceſſario, privabuntur: Sed omnes omnino Chriſtiani Sacramentis diſtituentur: & licet eſſet ſpes aliqua latendi, quid eveniret? Noctu tantum in ſylvis paucis aliquot Chriſtianis Sacramenta miniſtrarentur minori facilitate quam nunc Pareis dantur: Cæteri omnes tum nobiles, tum ignobiles eſſent jacentes velut Oves Paſtorem non habentes. Verum latere non poterunt Miſſionarii, Vultùs color, acceſſus Chriſtianorum, Ethnicorum inquiſitio eos prodent: in Carceres conjicientur, in tormentis morientur, morte quidem ipſis optatiſſima, & feliciſſima; at funeſtiſsima

Sequetur Miſſionariorum exiliū, incarceratio, mors.

 Chri-

Chriſtianæ rei, quæ Miſſionariis non dudum ſupervivere poteſt. Licet Ethnici Chriſtianos quietè vivere ſinerent, quæ ſors poteſt eſſe Ecclesiæ Paſtoribus viduatæ? Omitto bellum cruentiſſimum Chriſtianis inferendum ad eos cogendos, ut contractam ex Religione labem Fidei ejuratione, milleque ſuperſtitioſis expiationibus eluant; & ſi id recuſent, quis ſcit, num inuſtam Tribubus maculam eorum ſanguine ſint expiaturi. Tot mala poſſe ſequi ex illo in Parearum domos ingreſſu vix Europæo credibile eſt: At hæc eſt infelicitas noſtra, quod verus rerum illarum ſtatus bene percipi nequeat niſi oculis; quodque D. Viſitator miſſus ad eas res in ipſis locis cognoſcendas, ibi ſubſtiterit, ubi fere nihil ſuis oculis vidit: Ad hunc defectum quodammodo ſupplendum, judicetur, quid futurum eſſet obſervato hoc Decreto, ex iis quæ ante poſitum evenere.

Perſecutio generalis et excidium Religionis.

Unum tantum, aut alterum exemplum hìc referam; nam ſi omnia referre velim, quæ ob Pareas paſsi ſunt Miſsionarii, & Chriſtiani, narranda foret hiſtoria omnium perſecutionum, quas in illis terris Religio tulit; cum certum ſit, vix ullam eſſe, quam non excitet, vel augeat nimia, ut putant, facilitas, quà ad Pareas accedimus, & ad nos accedere ſinimus. At

Aliqua in hanc rem exempla.

ſilere

ſilere hìc non poſſum quanta ob eam rem tulerit quondam P. Emmanuel Alvarez, cujus nomen magna eſt in veneratione inter Miſsionarios, ob egregia quæ poſteris reliquit omnium religioſarum virtutum exempla: Inviſus erat jam dudum Ethnicis, quod cum Pareis nimius foret, ſuſpicioque erat, cum remotis arbitris perinde cum illis agere, ac ſi nobiles fuiſſent: re ipſa deprehenſus noctu in Vico Parearum, quibus Sacramenta miniſtrabat, in vincula conjectus eſt; in quibus poſtquam diu languit, ex iis non exiit, niſi ut per vicos, plateaſque acerbiſsime ſimul, & probroſiſsime cæderetur; omnique opprobriorum genere ſatiatus, in infamiæ cumulum, Aſino impoſitus in exilium amandaretur.

Miniſtri Regis Tanjaurenſis cùm multis aliis cauſis impulſi ſunt ad acerbiſsimam perſecutionem in Chriſtianos incendendam, tùm in primis quod ſcirent, nos curam Pareis impendere, quodque nec falsò ſuſpicaretur, nos propius ad eos accedere: Satis id mihi metipſi Primarius Regis Miniſter declaravit: Cum enim ad Regis Palatium me contuliſsem oblaturus litteras, quas à Mogorenſis Imperatoris Miniſtro obtinuerat P. Petrus Martin unus è noſtris Miſsionariis Madurenſibus, qui ad eas aſſequendas

quendas duo in Mogorenſis ditionis terras difficillima itinera ſummo labore confecerat; vix ad Miniſtrum Regium potui aditum reperire, rejectus ſemel atque iterum velut viliſsimum caput: cumque altera vice inſtarem, miſit, qui ter, quaterque inquireret, ex qua Tribu eſſem oriundus, qua ratione cum Pareis agerem, quam prope eos ad me accedere paterer: Qui ſi tunc fuiſsem deprehenſus in aliquam eorum domum ingreſſus eſſe, non ego hìc adſtarem ad hanc cauſam defendendam: admiſsus ſum tandem aliquando, litteras obtuli; cumque in noſtræ Religionis laudem dicere cæpiſsem aliquid; Omitte, inquit, ſuper ea re diſputare; Scimus Legem illam veſtram puram, & Sanctam eſſe; neque de ea conquerimur: Sed quid eſt, quod noſtros uſus, totamque nobilitatis rationem invertitis? Cur Legem tam Sanctam infamibus proſtituitis? Sumptàque paulo poſt in manus, lectàque unà ex Epiſtolis, quo me vertam, exclamabat; Lex eorum Sancta, & immaculata eſt; at omnia in noſtris Regnis ſuſdeque vertunt, Tribuſque omnes miſcent. Ita loquuntur, Sanctiſsime Pater, Ethnici, ita Religionem perſequuntur, licet eà cautione agamus, quam prudentia ſuadet: Quid futurum eſset, ſi novum quid in ea re tentaremus,

Id declarat Primarius Miniſter Regis Tamaurenſis.

ſi

ſi Parearum Vicos, domoſque ingredi, non aliquando, ſed vulgò, non in ſumma neceſsitate, ſed ob communes cauſas, non clam, & noctu ſemotis arbitris, ſed clara luce, & ſpectantibus Ethnicis compelleremur? Quid ſperandum aliud foret, niſi triſtis florentiſsimarum Miſsionum ruina, integra clades?

Quantum damni ſpiritualis in ipſos Pareas ex iſto Statuto redundaret.

Quid funeſtius accidere poſset ipſiſmet Pareis, in quorum gratiam hoc Statutum latum erat? Mam ſi de ſpirituali damno agitur, manifeſtum eſt Miſsionariis ejectis, aut extinctis, eos non minus, quam nobiles Sacramentis orbatum iri; accenſaque perſecutione, non minori in periculo Fidei abnegandę fore. Quod ſi agitur de damno temporali, ipſemet Parea maiori, quam ullus alius afficeretur; nam ſi convinceretur Miſsionarium evocaſse, aut in domum ſuam recepiſse, quanta mala in miſerum Pareum ingruerent: ejus bona Fiſco addicerentur, iis orbatus, Indiæ more, pecuniariam mulctam perſolvere tamen cogeretur; & ob id filios oppignerare, aut vendere; flagellis ſæviſſime cruciaretur, felix, ſi è tot malis vita incolumi evaderet. En quam funeſtum honorem Pareis haberi ſua Excellentia juſſerat: talem honorem miſeri illi recuſant; malunt quodvis incommodum ſuæ valetudinis ſubire,

&

& graviſſimo, ſi opus foret, vitæ diſcrimine æternæ ſuæ ſaluti conſulere; quam tot ſibi, tot familiæ ſuæ, tot contribulibus ſuis, tot omnibus Chriſtianis mala accerſere. Rogant Sanctitatem Veſtram, ne cogantur domi ſuæ expectare Sacramenta; rogant, inquam, teſtimoniis authenticis, quæ præcipui ex illo ordine Chriſtiani dederunt, quæque ad hujus operis finem refero: Si Parcæ cederent tantum jure ſuo, ſublata tamen difficultas foret, cum volenti nulla fiat injuria; at cùm rogent, & beneficii loco poſtulent, ut ne id fiat, quod in eorum gratiam præcipiebatur, an eos vel invitos tali honore, ſi honos exiſtimandus eſt, afficiendos, vel potius perdendos eſſe cenſebitur?

Teſtimonia Parearum, quibus declarant, nolle ſe ut Miſſionarii ſuas adeant domos.

Non hoc à D. Viſitatore, ſed aliquid melius infelices illæ Tribus ſperabant; nempe aliquid ſimile ei, quod ſæculi elapſi initio Reverendiſs. D. Alexius de Menezes Archi-Epiſcopus Goanus, & Indiarum Primas effecerat: Ille S. Sedis beneficio Viſitator Apoſtolicus effectus animarum zelo incenſus cum per innumera pericula in intimas Malabariæ terras ſe immiſiſſet ad Chriſtianos S. Thomæ in Eccleſiæ gremium reducendos; cumque ibi etiam vidiſſet ignobiles ab Infidelibus ſummopere contemni, ut il-

los

los aliquo incitamento ad Fidem amplectendam invitaret, per Sereniſſimos Luſitaniæ Reges curavit petendum ab Indiæ Regibus, ut ſi qui ex illis ignobilibus Fidem amplecterentur, hoc ipſo cenſerentur nobiles: Res erat difficilior, quam ut tota concederetur; at ſi non totum, tantum certe conceſsum eſt, ut ſi ſimilia privilegia noſtri Pareæ nanciſcerentur, multo maiori numero ad Fidem confluerent, faciliuſque in ea foverentur. Non dico, Sanctiſſime Pater, rem fuiſſe ab Illuſtriſs. Patriarcha ſimili via tentandam: Rem totam in noſtris Miſſionibus perderet vel unica Europæa alicujus poteſtatis commendatio: At quid non molitur, quid non efficit vir prudens, & ſagax, qui aliquid toto voluntatis impetu deſiderat? Verum quam longe ab illa ſpe abſumus; quam diverſis modis Parearum neceſſitati ſua Excellentia conſuluit? Id magis ſingilatim nunc expendendum ſuſcipio.

Verum ſperabant ſe per Illuſtriſs. Patriarcham aliqua meliora conſecuturos.

§. III.

DIſtricte mandat D. Viſitator Miſſionariis, ut quantum in ipſis erit, nemini ex Chriſtianis ægrotis, quantumvis Pareas, & viliores, ſi adeſſent generis hominibus, deſide-

randa relinquatur in infirmitate copia Confeſſarii. Primis illis verbis ſeu præceptum contineant à ſequenti diſtinctum, ſive non, quid aliud dat cogitandum ſua Excellentia, niſi Miſſionarios, non quantum in ipſis erat, feciſſe, ne deſideranda relinqueretur Pareis Confeſſarii copia: Quid verò Miſſionariis injurioſum magis dici, aut cogitari poteſt? Teſtor Catechiſtas, Chriſtianos omnes, ipſoſque Pareas, an aliquis unquam Miſſionarius ad Confeſſiones cujuſcumque Infirmi vocatus, vel Solis ardore, vel Pluviarum effuſione, vel tenebrarum horrore, vel alio ullo ſuo incommodo deterritus unquam fuerit ab itinere ingrediendo? Ut Sanctitati Veſtræ Miſſionariorum omnium animos aperiam; durum eſt, & duriſſimum hominibus, qui nulla obligatione, niſi quam imponit charitas, & animarum zelus; nullo emolumento, niſi multorum opprobriorum, & anguſtiarum tam laborioſam vitam ſuſceperint, in qua ſe omnium ſaluti impendunt, & ſuperimpendunt, ſuos conatus tam parum Viſitatori Apoſtolico probari: Durum eſt in ejus Decreto legere, diſtricte mandamus Miſsionariis, ut quantum in ipſis erit, nemini ex Chriſtianis ægrotis, quantumvis Pareas, & vilioris, ſi adeſſent generis hominibus deſideranda relinquatur

Miſſionarii quantum in ipſis fuit, nunquã deſiderandam reliquere cuiquam copiam Confeſſarii.

Durum eſt Miſſionariis tale ipſis præceptum imponi, perinde ac ſi neceſſarium fuiſſet.

quatur in infirmitate copia Confeſſarii: Veneramur manum à qua tam ſeveri ictus proficiſcuntur; at eos tanto ſentimus magis, quod conſcii nobis ſumus, eos non meruiſſe.

Præcipit ſecundo loco Illuſtriſ. Patriarcha, ne ingraveſcentibus morbis cum graviſsimo vitæ temporalis periculo æternæ conſulere cogantur Pareæ infirmi: Si Illuſtriſ. Patriarcha verba ſelegiſſet eo animo, ut Bonorum omnium invidiam in nos concitaret, haud ſcio, an potuiſſet reperire vehementiora ad nos depingendos tanquam immiſericordes, duroſque Paſtores, qui nullis gregis ſui periculis commoveantur; perinde ac ſi Pareis crudelem optionem daremus, aut vitæ temporalis, aut æternæ amittendæ. Si ſic de nobis exiſtimavit Illuſtriſ. Patriarcha, minus bene nos novit. Chriſtiani omnes, quantumvis Pareæ, & Pareis viliores filii noſtri ſunt, tanto nobis chariores; quanto maiöri labore eos Chriſto per Evangelium peperimus: Noſtra in exiſtimatione nullum eſt nobilis, Pareæque diſcrimen; æquale nobis eſt, quod æquali pretio, & eodem D. N. Sanguine redemptum eſt: O nos infelices, quod noſtros illos ſenſus cogamur hìc Sanctitati Veſtræ exponere, perinde ac ſi juſtum aliquem dediſsemus ſuſpicandi locum nos aliter ſen-

Miſſionarii non merebantur depingi tanquam duri, ſuperbique Paſtores.

Non cogunt Pareas vitæ ſuæ periculo æternæ ſaluti conſulere: A Gentilibus oritur iſta neceſſitas, ſi talis eſt.

ſentire. Quantum abſumus à cogendis illis fidem faciunt ipſorum teſtimonia, quibus declarant, nolle ſe, ut ſuas in domos Miſsionarius veniat ob graviſsima mala, ſibi, Chriſtianiſque omnibus ex illo ingreſsu obventura. Ex quo patet, tam cogi Miſsionarios à Pareis, ne eorum domos ſubeamus, quam à Miſsionariis Pareæ, ut ex illis Sacramentorum recipiendorum cauſa exeant: Loquemur accuratius; Neque Pareæ Miſſionarios, neque Miſſionarii Pareas cogunt; cogimur utrique longe aliter facere, quam vellemus: Cogimur, inquam, iniquis Indiæ legibus, quas nec in noſtra, nec in Parearum poteſtate eſt immutare: Cogimur Gentilium metu, qui & nos, & illos, & totam nobiſcum Religionem perderent: Hoc eſt caput mali; ad id remedia erant apponenda, ſi apponi potuiſſent.

Si Miſſionarii ægros expectant, expectant obruti multitudine Pænitentium, quos nequeunt remittere.

Præcipit tertio loco D. Viſitator Miſſionariis ne infirmos ejuſmodi ad Eccleſiam deferendos expectent: Si aliquando expectamus, Sanctiſſime Pater, nunquam otioſi expectamus, nec ut labori parcamus: Deus ſcit; multo aliquando minus laborioſum foret iter ingredi, quam ſe videre circumſeptum quadringentis, quingentiſque Pænitentibus, quorum confeſſiones audiendæ ſunt. Sed ſi proprie loquamur,

infirmos ne expectamus quidem: Plerique ubi ſe morbo ictos vident, Miſſionario non admonito veniunt, aut ſe deferri curant, in Eccleſiam, non Pareæ modo, ſed multi etiam nobiles: Cur ita faciant, multæ ſunt cauſæ, ob quas videntur ipſi laudandi plurimum, nec Miſſionarii culpandi, ſi id omnino non prohibent, quanquam nec prohibere poſſunt: prima cauſa eſt, quod ſibi perſuadeant, ſe valetudinem in Eccleſia à Deo impetraturos, ut ſæpe impetrant; quam ob cauſam aliqui etiam ægrotantes Ethnici in noſtram Eccleſiam ſe deportari curant. Secunda cauſa eſt pietas erga Eccleſiam, quam ſæpius ante adire volunt, quam moriantur, ſibique felices videntur, ſi in ea ultimum ſpiritum Domino reddant. Tertia cauſa eſt, quod ibi facilius non modo Pænitentia expiari poſſint, ſed etiam SS. Euchariſtia paſci, quæ uti poſtea dicam, ob prophanationis pericula ad nullos ægros deferri poteſt. Quarta cauſa eſt, quod ibi Sacro Infirmorum Oleo, ſi ſint in mortis periculo inungi, cæteriſque omnibus auxiliis multo ſecurius, faciliuſque muniri queant, quam in domibus; in quibus ipſi nobiles ob conſanguineos Ethnicos, & Fidei inimicos, aliaſque circunſtantias aliquando ea auxilia, aut non omnia, aut multo diffici-

Multi etiam nobiles ad Eccleſiam veniunt, & cur?

difficilius haberent, quam in Europa; ubi Parochi, & maximo otio, maximaque libertate & viſitandi, & Miniſteria Sacra exercendi perfruuntur.

Miſſionarii ſæpiſſime ad ægros pergunt. Pauciores Pareæ ſine Sacramentis moriuntur quam nobiles.

Cæterum non omnes in Eccleſiam veniunt, vocantur ſæpe Miſſionarii ad omnis conditionis ægros: Neque tunc quæritur, utrum illi ſint Nobiles, vel ignobiles, an Miſsionarius commode exire queat, an incommode: Quiſquis ille ſit ad eum Miſsionarii pergunt: At ſi Parea ſit, condicitur ad quendam locum domùs illius vicinum, quo ſe Parea deferri curat, ibique remotis arbitris ejus Confeſsio excipitur, quin Ethnici advertant: Et adeo ſunt diligentes Pareæ in adeunda Eccleſia, vel in Confeſſario accerſendo, ut adverterint aliqui, adhuc pauciores Pareas ſine Sacramentis mori, quàm Xutres, ſeu Nobiles; propterea quod, iſti expectent aliquando tardius, ſiſi nos in eorum domos ingredi poſſe; Pareæ vero citiùs nos evocent, ut poſsint ad condictum locum minori incommodo geſtari.

Sine gravi vitæ periculo. Pareæ deferri ſe iubent ad condictum locum ubi confiteantur

Exiſtimabit aliquis infirmum non poſſe ſine graviſsimo vitæ periculo eo modo deportari, etiam ſi condictus locus ſit Pareæ Vico proximus: Non ita exiſtimat infirmus ipſe; nec etiam Pareæ, & Indi omnes ſuis in morbis eas adhi-

adhibere ſolent cautiones, quas Europæi, ut ſe ab omni aura, & aere liberiori tutentur. Quotidie videre eſt, ægros periculoſe ægrotantes, qui lecto geſtatorio, vel Sindone ad tranſverſam perticam hinc inde alligata, deferuntur ad Medicum aliò morantem in oppido ſatis aliquando diſtanti: Jam vero neceſsitatum corporearum cauſa Indi omnes tandiu è domo exeunt, quandiu non ſunt omnino in extremis; quin ſe ideo putent graviſsimum vitæ periculum adire.

Periculum illud, ſi eſt, malunt adire, quam periculum recipiendi in domo ſua Miſſionarii.

Deinde licet id judicarent Pareæ, cum non ignorent etiam quantum adirent periculum, ſi Miſſionarium in domum ſuam vocarent, aut ingredi ſinerent; cum non ignorent, id fieri non poſſe ſine totius Religionis exitio, ipſum mallent adire vitæ periculum, quam ſe, fortunas, uxores, filios, familiam totam, & multo magis Religionem perdere. Superſedebo igitur quæſtionem movere, num Parea licet cum graviſſimo vitæ periculo teneretur æternæ ſaluti conſulere, ſi aliter ei ſine totius Religionis exitio conſulere nequiret; Num in eum caderet illud Chriſti, Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam, & illud Auguſtini, *Chriſtianus plus fratrem debet diligere, quam corpus ſuum*; illudque ejuſdem S. Doctoris;

Æquius eſt Paream aliquod adire vitæ periculum, quam totam Religionē perdi.
L. de doct. Chriſt, c. 27.

Tem-

L. de mend. c. 6.

Temporalem vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere. Sed quid opus expendere, utrum ex præcepto aliquid facere teneantur, qui ſponte ſua id ſemper faciunt, quod præceptum jubet.

Parea nunquam in extrema neceſſitate ſpirituali relinquitur.

Si caſus incidat, ut Miſſionarius ad ægros ire nequeat ob aliquod impedimentum, quo media in Europa excuſaretur; mittitur ſemper Catechiſta, qui ægrum conſoletur, eumque adjuvet in exercendis Chriſtianis virtutibus; in quo ſunt adeo periti, & exercitati, ut nullus dici poſſit in extrema neceſſitate ſpirituali poſitus, qui talem habeat adjutorem.

Miſſionarii putant ſe ſine peccato lethali non poſse ingredi Parearũ domos, ſciẽtibus Ethnicis.

Præcipit quarto loco D. Viſitator, ut Miſſionarii conſultiùs domos ubi ægrotant, pro viribus petant: Quorum verborum ſi ſenſus foret, non teneri Miſſionarios Parearum domos ingredi, quando juſtus eſt timendi locus, ne ad Gentilium notitiam deveniat; minus eſſet, quod de eo conquereremur: At ſatis D. Viſitator ſignificarat, ſe id præcipere faciendum, ſive Gentiles reſcirent, ſive neſcirent; & toties quoties aliqua ex præſcriptis hìc neceſſitatibus occurreret. Sed videt nunc Sanctitas Veſtra, qualis ſit hujus præcepti natura; talis profectò, ut ei ſine peccato lethali obtemperari nequeat; Chriſtianorum omnium tum Nobilium, tum Igno-

Ignobilium fortunas, vitam, ſalutem, Religionemque totam evidenti periculo exponendo ſine neceſſitate: Nam ſi qua neceſſitas foret, ea certe præcipua eſſet, ut Infirmi expiarentur Pænitentiæ Sacramento, quod oſtendi illis ipſis aliter miniſtrari, quin de ſuo incommodo Pareæ conquerantur.

Præſertim ſi ſine abſoluta neceſſitate, & ob fines aliquos ab Illuſtriſ. Patriarcha hic recenſitos.

Verum Illuſtriſ. Patriarcha non ſatis habuerat jubere, ut ad Sacramentum Pænitentiæ adminiſtrandum Parearum domos ingrederemur; varios alios aſſignat fines; vult ut ingrediamur ad Pareas inviſendos, piis ſermonibus, & precibus, ac denique Sacramentorum pabulo recreandos: At ſiquidem placuit ſuæ Excellentiæ omnia, & ſingula diſtricte, & ſub graviſſimis Cenſuris mandare; ea, quà par eſt, reverentià exponam, plurimis dubitationibus, conſcientiæque perplexitatibus iſta omnia locum dare; nec fieri poteſt, quin maximè ancipites hærerent Miſſionarii, ſi inde præcepto Illuſtriſ. Patriarchæ urgerentur; inde verò præcepto naturali, non temere, ſineque abſoluta neceſſitate id faciendi, ex quo tot familiarum, vel potius tot animarum ruina certo conſequeretur. Exiſtimamus quidem hic conſilia præceptis miſceri: Nec enim veriſimile eſt, D. Viſitatorem ſub pæna ſuſpenſionis juſsiſſe,

Ob quos præciſe ne in Europa quidem Parochi Cenſuris obſtringuntur adire domos ægrotantiũ.

ut hæc omnia fierent, nullo excepto; ita ut à Sacris Miniſteriis prohibitus cenſendus foret Miſsionarius, qui omitteret Pareæ ægrotantis domum intrare, & ſi nihil cum illo aliud haberet faciendum, niſi ut eum inviſeret, pro illo preces funderet, vel piis ſermonibus à Sacramentorum adminiſtratione diſtinctis recrearet, v. g. ſi jam Sacramentis fuiſſet munitus; cum hæc tria vix in præceptum grave cadere poſsint, niſi inſolitis admodum in circunſtantiis; nec ſint in Europa ſub aliqua pæna Parochis præcepta: ita, inquam, exiſtimamus: verum hæc conſiliorum, præceptorumque admixtio innumeras difficultates parit, his conſilium interpretantibus, quod alii præceptum judicabunt.

Addit Illuſtriſs. Patriarcha, ut adeantur à Miſsionariis Parearum domus ad eos Sacramentorum pabulo recreandos: Quibus verbis præcipere videtur, non modo ut reconcilientur Pænitentià, quam ſupra injunxerat nulli deſiderandam relinquerent Miſsionarii; non modo ut oblinantur Sacro Infirmorum Oleo, de quo poſtea loquitur Decretum; ſed etiam ut Sacro Euchariſtiæ pabulo reficiantur; Ut ut eſt, eorum verborum occaſione exponam Sanctitati Veſtræ quis ſit Miſsionariorum uſus quoad Euchariſtiam Infirmis miniſtrandam.

Non

Non modo deferri illa non poteſt in Parearum domos ob commune Chriſtianorum omnium periculum, ſi quis Miſsionarius eorum domos ſubiret, ſed neque ad ullum omnino Chriſtianum, quantumvis nobilem, ob præſentiſsimum, quod adiretur, horrendarum prophanationum periculum: Scilicet tantis, tamque continuis in periculis Miſsionarii verſantur, ut fere nunquam Sacra induant veſtimenta, ad offerendum Sacrificium, quin metuant, ne ſubita alicujus Oppidorum Præfecti incurſione Divina Myſteria interturbentur: Mihi certe aliquibus in locis vix ulla dies præteriit, quin à Deo ſingularis beneficii loco peterem, ut ſi prehendendus eo die forem, id ne permitteret Sacrifici tempore evenire. Ob eam cauſam quamvis magna Miſsionariis, maxima Chriſtianis conſolatio foret, ſi in noſtris Sacellis Sacra Euchariſtia conſervaretur; plus tamen in eo debitæ tanto Sacramento reverentiæ, quam ſuæ conſolationi dandum putavere. Nec minus foret periculum, ſi etiam occultè ad ægros deportaretur; quippe ſæpe evenit, ut extranei judicati, de patria, de vitæ inſtituto interrogemur, deducamur ad Oppidorum Præfectos, ſpoliemur rebus omnibus; & ſpoliamur interdum pluſquam pudor ſinit: Quod ſi aliquando

Euchariſtia Sanctiſs. nec ad Ignobilium, nec ad Nobiliū domos ob profanationis periculū deferri poteſt.

in manus impiorum, quod Deus avertat, Sacroſancta Myſteria inciderent, de quibus jam ex direptis Chriſtianorum libris multa cognovere, Superi! quantis contumeliis afficerentur? Iiſdem procul dubio, quibus affectum eſt Sanctum Infirmorum Oleum, quod perſecutionis Tanjaurenſis tempore nacti ſunt Infideles; quam impios in uſus illud adhibuerint animus horret dicere. Sequendum igitur putavimus, quod in Synodo Diamperenſi ab Illuſtriſs. D. Archi-Epiſcopo Alexio de Menezes pro Chriſtianis S. Thomæ diffinitur; ſcilicet, *ut antequam Infirmi fiant multum debiles, & eo tempore quo maxime fuerit opportunum, Chriſtiani ad Eccleſiam deferantur lecto geſtatorio, aut alio vehiculo ſimili, ut Sanctiſſimo Sacramento paſcantur.*

Synodus Diamperenſis iubet ægros afferri ad Eccleſiam, ut Divina Euchariſtia paſcantur.

Art. 5. de Euch. Dec. 5.

Quare tunc tantum Infirmos Sacra Communione donamus, cum vel ipſi in Eccleſiam deportari poſſunt, vel in aliquem locum ubi Miſſa tuto, ac decenter celebrari poſſit: Nam Indorum præcipue Ignobilium Tuguria tam depreſſa vulgo ſunt, ut non multa reperire ſit, in quibus ſtare Sacerdos queat: tuncque nihil aliud nobis reliquum eſt, niſi ut in vicina aliqua Chriſtiani domo magis alta celebremus, & ad eam quam minimo incommodo fieri poteſt deporta-

Aliquando celebramus in ægrorum domibus, ut eis Euchariſtiam Sacram dare poſſimus.

portatur infirmus. Sed in illis rebus omnibus minores non ſunt Miſſionariorum anguſtiæ, timores, ac ſolicitudines, quam fuere olim Sacerdotum, & Epiſcoporum, quando tyrannorum metu in ſpeluncis, ac cavernis ſacrificabant.

Ultimum hujus Statuti præceptum eſt, ut Miſsionarii Parearum domos ingrediantur ad eos in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos S. Infirmorum Oleo deliniendos abſque perſonarum, aut ſexus acceptione. De acceptione ſexùs nihil omnino opus erat loqui; niſi exiſtimavit Illuſtriſs. Patriarcha in iſtis Miſsionibus fieri, quod in Sinenſi; pro qua Alexander VII. declaravit ex neceſſitate proportionata omitti poſſe quædam Sacramentalia in fæminarum Baptiſmo; ac etiam poſſe omitti Sacramentum Extremæ Unctionis: In noſtris Miſſionibus tam Sacramentum illud mulieribus, quam viris, viris quam mulieribus confertur; nec ratio ulla eſt illarum Miſſionum propria cur aliter fiat. Quod Illuſtriſs. Patriarcha jubet idem fieri ſine perſonarum acceptione, intelligimus nos tacite illius perſonarum acceptionis reprehendi: Sed ſi perſonarum acceptionis nomine id intelligitur, quod Theologi intelligere ſolent, peccatum quo quis conrra juſtitiæ diſtributivæ

De Extrema Vnctione nil opus erat, ut præciperetur dari ſine ſexuum acceptione.

butivæ leges ſine cauſa plus in unius gratiam facit, quam in alterius æquale jus habentis; Omnium Theologorum, ipſiuſque D. Viſitatoris obteſtamur fidem, an illius culpæ rei ſint Miſſionarii, quod Extremam Unctionem interdum omittant Pareis tribuere, tunc nempe cum ſine ipſorum Parearum, & omnium Chriſtianorum graviſſimo periculo Parearum domos ingredi nequeant: Si illud fuerit acceptio perſonarum, quid cenſendum erit de reſponſo juſſu Gregorii XV. à Sac. Congregatione dato ad S. Carolum Borromæum, quo poſtquam præceptum eſt, ut Parochi peſtis tempore reſidere compellantur, ſic habetur: *Miniſtrent vero Sacramenta Pœnitentiæ, & Baptiſmi per alios*: Quid eſt, quod nihil ibi de Euchariſtia, & de Extrema Unctione jubetur, multo minus de Viſitatione, Precibus, Piis ſermonibus, ſed ſolum de Baptiſmo, & Pœnitentia? Quid ſibi illa verba volunt, per alios? De illis cùm motum dubium fuiſſet, dixiſſetque Alciatus, *quod videretur prohiberi, ne Parochi etiam volentes, per ſe ipſos hæc duo Sacramenta miniſtrarent; tota Congregatio aſſeruit, quod iſta erat mens Sanctiſſimi, in probibendo hoc Parochis in commodum Parochianorum, qui ſani eſſent; hi enim veriſimiliter nollent converſari cum Parochis eunti-*

Miſſionarii immunes ſunt à vitio acceptionis perſonarū, cum Pareæ ius non habeant, ut tanto Religionis periculo Extrema Vnctio ipſis adminiſtretur.

An. 1577. *Dec.* 10.

Parochus unius cauſa qui non eſt in extrema neceſſitate, non debet ſe exponere, ſed ſe ipſum aliis ſervare.

euntibus ad infirmos peſte.

Ita Sac. Congregatio in quod reſponſum cum Illuſtriſs. Patriarchæ Decreto comparatum, poſſent obſervari multa, quæ ſtatim in mentem veniunt: Unde Auguſtinus Barboſa ait: *Cavere debet Parochus, ne dum peſtis tempore invigilat ſaluti unius non graviter indigentis, ejus opera ſe conjiciat in diſcrimen, cum periculo ne alii deſtituantur auxilio ſpirituali: Quare quando ſolus eſt in Oppido, vel Pago, non expedit ut adminiſtrent Sacramenta non admodum neceſſaria, vel ſecundum ſe, ut eſt Extrema Unctio; vel reſpectu perſonarum, quarum bonum ſtatum Confeſſarius probabiliter cognitum habet, quia nuper earum confeſſiones exceperat. Denique quotieſcumque ab aliqua perſona, quam veriſimilibus conjecturis Sacerdos credit, non habere conſcientiam peccati mortalis; vel per contritionem ad recte moriendum diſpoſitam eſſe, probabiliſſime timetur periculum contagionis; in tali caſu maius bonum publicæ neceſſitatis præferendum privatæ alicujus utilitati.* Ita ille; qui in eandem ſententiam citat Joannem Chapiaveille de neceſſitate, & modo adminiſtrandi Sacramenta tempore peſtis; quem authorem nemo incuſabit laxitatis in aſſignandis officiis Parochorum peſtis tempore: Sic ille loquitur:

De Par. p. 2 c. 17. n. 15.

Sententia Aug. Barboſa in eandem alioſque Doctorum de peſtiferis agentium.

C. 3. q. 8. art. 18.

loquitur: *Poſſunt (Parochi) certo caſu excuſari, quia præceptum de auditione Confeſſionum eſt affirmativum: poterunt ergo tales occurrere circunſtantiæ, ut deſinat obligare; hæc eſt enim illius præcepti natura; V. g. Si Paſtor moraliter certo ſciret, peſte infectum non habere conſcientiam peccati mortalis, ſeu eſſe bene diſpoſitum ad mortem; & alioquin periculum vitæ corporalis ipſius miniſtrantis eſſe magnum, & moraliter evidens; maxime ſi ponamus unicum eſſe Paſtorem, ut ordinarie fit in Pagis, & in quibuſdam Oppidis; quo mortuo vel infecto, non ſperaretur facile provideri poſſe populo de alio; illis enim circunſtantiis poſitis, peſte infectus non eſt in neceſſitate, & bonum commune, cui ſeruatur Paſtor, multum præponderat privatæ utilitati talis peſte infecti: de quo vide Maiorem.* Quid diceret hic auctor de Extrema Unctione, aliiſque rebus in D. Viſitatoris Decreto juſſis, ſi ſic de Sacramento Pænitentiæ loquitur.

In 4. ſent. diſt. 23. q. 1.

Minori periculo aditur peſtiferi domus, quã Parcæ.

Hæ ſunt anguſtiæ in quibus Miſſionarii quotidie gemunt: Sic eſt: Non minus periculum adirent Miſſionarii Parcarum limina ſubeuntes, quam ſi illic funeſta lues graſſaretur: Nam quid intereſt, utrum morbo, utrum Ethnicorum ferro quis trucidetur? Immo maius eſt periculum: Non quotquot peſtiferorum in-

trant

ſrant domos peſte feriuntur: Nullus Miſsionarius ſcientibus Ethnicis Parearum domum ingredietur, quin ipſi aut mors, aut morte gravius quid eveniat: Sublato Miſsionario, aderit ne ſtatim alius, qui ei ſubſtituatur, & iſti tertius, & deinceps innumeri; tot enim de medio ſublatum iri conſtat, quot ſcientur Parearum tuguria eſſe ingreſsi; atque ubi advertetur id fieri ex communi conſilio, ſatis erit vel unum id tentare, ut omnes exulent, vel interimantur; Sicque eveniet, non jam ut cuilibet Oppido ſuus Paſtor deſit, ſed ut innumera Ovium multitudo per quinque Regna ſparſa, & Lupis expoſita omni Paſtore deſtituatur.

Ex hac, quam inſtitui paritate ſumat, per me liceat, malignitas occaſionem cavillandi, nos à Pareis tanquam peſtiferis fugere: Utinam, Sanctiſſime Pater, non maiori periculo poſſent eorum domus adiri, quam adiri poſſunt domos Peſtiferorum in Europa; ubi morientibus in tam Sancto Miniſterio Sacerdotibus vulgò non deſunt, qui eorum ſuppleant vices: Utinam, inquam, uno noſtræ vitæ damno poſſemus Pareis in ipſorum tuguriis Sacramenta miniſtrare: Satis eſſet permitti nobis ea ingredi, quam læti illìc convolaremus: Filii ſu-

Si ſolo vitæ noſtræ periculo adiri poſſint Pareę, vitę nō parceremus.

mus ejus Societatis, cui nunquam exprobabitur, quod in illis occaſionibus vitam nimium amet; neque ita degeneres ſunt, qui Miſſionibus Indicis excolendis ſe tradidere, ut in eo magis timidi eſsent, quam tot è ſuis fratribus, qui in multis omnium Regnorum urbibus vitam ſuam Peſtiferis inſerviendo prodegère.

Non videbatur praxis Miſſionariorum damnanda, ut pietati Chriſtianæ contraria.

Neſcio an ita de Miſſionariis ſentiret D. Viſitator, cum eorum praxim non adeundi Parearum domos, tanquam Chriſtianæ pietati contrariam expreſſe damnavit: Acerba ſane cenſura, quam à Viſitatore Apoſtolico noſtræ Societatis Miſſionarii nunquam expectaſſent: Nam quid poterat acerbius dici, ſi id Miſſionarii ex mera ſuperbia, negligentiaque prætermiſiſſent? Legerat Illuſtriſs. Patriarcha in ſcriptis ſuper ea re datis aliquot ex rationibus ob quas illo ingreſſu Miſſionarii abſtinent: Si aliquam ex illis retuliſſet, vel ſaltem ſubindicaſſet, ita emendati, ut aliqua ex parte excuſati videremur. Id ſuadere poterat ſuæ Excellentiæ benevolentia, quam ſemper erga Societatem præ ſe tulerat; minus in Miſſionarios incenderetur indignatio eorum, qui Decretum legent. Nunc verò ſi ſperare poſſumus aliquos ſtatim in Miſſionarios non eſſe concitandos; ideo tantùm

ſpera-

ſperamus, quod incredibile ſit, Sacerdotes Religioſos, qui ſe tam laborioſis Miſſionibus conſecrarunt, ſecutos eſſe praxim, quæ tanquam Chriſtianæ pietatis legibus contraria, ideſt, tanquam impie crudelis, expreſsè damnanda fuerit. At ubi eſt illa crudelitas, vel in quos impii fuimus? An in Infirmos, quos paſſi ſumus e domibus ſuis Sacramentorum ſuſcipiendorum cauſa exire? Hoc enim totum noſtrum crimen eſt: At ipſi exire volunt; domi expectare, ut maxime juberemus, nollent: Pietas ne an crudelitas foret, ad eos illo incommodo invitos liberandos, eorum bona, vitam familiam præſenti periculo opponere? Pietas ne an crudelitas foret, ut corporeum eorum incommodum evitaretur, eorum animas conjicere in diſcrimen Fidei, ſalutiſque in perſecutione amittendæ? Si vero omnium Chriſtianorum bono attendatur, pietas ne an crudelitas foret, ut malè unius hominis corporeo incommodo occurratur, omnibus Chriſtianis jacturam bonorum, famæ, libertatis, vitæque accerſere? Pietas ne an impietas foret, æternam tot hominum converſorum, ac convertendorum ſalutem, unius non dico ſaluti, cum aliter ei abunde provideatur, ſed nonnulli corporeæ valetudinis periculo immolare? Pietas

Pietati Chriſtianæ magis contraria foret ea quæ præcipitur.

ne an impietas foret ob unam Chriſti Ovem, commodius, ut ſuppono, Sacramentis impertiendam, totum Gregem Luporum imminentium furori exponere; idque facere ex quo ſumma Sacramentorum orbitas, totiuſque Religionis in vaſtiſſimis terris ruina certo conſecutura ſit? Pietas ne an impietas foret, Eccleſiarum incendia, rerum Sacrarum prophanationes parvi pendere, modo ne unus homo è ſuo Pago ad aliquos paſſus omni adhibitâ cautione efferatur? Id ſi crudelitas eſt, pietas eſt ſic eſſe crudelem, ſceluſque foret magis eſſe pium.

Nihil plus dicerem de Pareis, niſi mihi Illuſtriſs. Patriarcha injunxiſſet, ut Sanctitati Veſtræ cauſas exponerem, cur ſingularem locum eis ad Eccleſiam aſſignemus; quam ob rem, id velut appendicis loco Sanctitati Veſtræ nunc declarabo.

CAPVT XII.

APPENDIX.

De Separatione Parearum.

PRimi Miſſionum Tamulenſium Fundatores inſtituère, ut ad Eccleſiam Pareis aſsignaretur Atrium clatris circumceptum, ex quo preces fundere, adhortationes audire, & Sacerdotum Sacra Myſteria operantem intueri poſſent, quin Xutrenſibus, ſeu Nobilibus ſint permixti.

Pareæ ad Eccleſiam à nobilibus ſeparantur ob eaſdem cauſas ob quas Miſſionarii eorum domos non introeunt.

Cauſa id inſtituendi fuit eadem fere, ob quam Miſsionarii Parearum domos ingredi nequeunt; quippe omnibus nobilitatis Indicæ legibus cautum eſt, ut omnem nobilitatem amittat, ſummàque notetur infamià, qui ſub eodem cum Pareis tecto ſeu ſacro, ſeu prophano commoratus fuerit: Unde inter Chriſtianos S. Thomæ in Regnis Malabaricis, antequam meliori formæ redderentur ab Illuſtriſs. D. Alexio de Menezes in Synodo Diamperenſi, invaluerat iniquus ille uſus, ut ad Fidem ignobiles non admitterentur. Id emendavit Synodus, & ea de re ſic ſtatuit: *Cum conſtet Synodo humili*

Ita ſtatuit faciendum Synodus Diāperenſis Act 8. Dec. 36.

humili ſtirpe natos facilius converti ad Fidem, quam Nayres, & Nobiles, vehementer deſideraret, ut inveniretur modus aliquis, quo hìc efficeretur, ut ignobiles deinceps convertendi in una, eàdemque Eccleſia cæteris nobilibus conjungerentur; cum omnes adorent eundem Deum, omnes profiteantur eandem Fidem, omnes utantur eiſdem Sacramentis, nec ſit exceptio, vel diſtinctio perſonarum apud Deum, qui eſt æqualis omnium tum altorum, quam humilium Dominus: Verum poſtquam rem maturè, attentèque conſideravimus; illudque ſæpius his diebus Deo commendavimus, variis vicibus ſuper eo deliberavimus in Congregationibus, modus inveniri non potuit, quo optatus Synodo finis obtineatur propter Reges, & Dominos Gentiles, quibus Chriſtiani ſubjiciuntur; & qui ubi adverterint, Criſtianos communicare cum ignobilibus, nollent deinceps communicare cum eis; quà ratione perdent commercium, & modum lucrandi neceſſaria ad vitam ſuſtentandam: Quod videns Synodus mandat, ut ſi deinceps aliqui ex humili ſtirpe voluerint Fidem amplecti, admittantur ad Baptiſmum, & ſtatim ſignificetur Prælato, ut ille jubeat erigi diverſam Eccleſiam, & aſſignet eis particularem Sacerdotem, qui eos paſcat; itaque non ſit illis clauſa porta ſalutis, uti hucuſ-

que

que fuit: tempore verò quo non habebunt particularem Eccleſiam, audient Miſſam extra Nobilium Eccleſiam, ſtando ſub Arcubus Veſtibuli, uſque dum melior modus inveniatur.

Illam Synodi Diamperenſis à S. Sede approbatæ Conſtitutionem tanto magis ſequendam putavimus in noſtris Miſsionibus, quanto maiora pluraque incommoda in illis ex contrario uſu ſequerentur. Id cognoſcere poteſt Sanctitas Veſtra ex teſtimonio Illuſtriſs. Cranganorenſis, qui de iſta diſtinctione loci haud ſecus, ac de ingreſſu in Parearum domos ſic loquitur: *Si hæc lex civilis probibens communicationem Nobilium cum Ignobilibus ſub eodem tecto violetur, cùm Ignobiles in eadem Eccleſia cum Nobilibus admittendo; tùm domos, aut vicos Ignobilium ingrediendo . . . . eo ipſo deſtruentur Miſſiones hæ florentiſſimæ; ſpirituale damnum irreparabile patientur tot millia animarum in illis Regnis ad Fidem Chriſtianam converſarum, & oſtium converſioni Infidelium claudetur.* Id qua ratione conſequeretur paucis oſtendam: deindeque hoc non oriri ex Chriſtianorum Nobilium ſuperbià demonſtrabo. Itaque hìc exponam duo; primo quis ſit ea de re Ethnicorum ſenſus; ſecundo quis ipſorum met Chriſtianorum.

Teſtimonium Illuſtriſs. Archi-Epiſcopi Cranganorenſis de iſta ſeparatione.

§. I.

§. I.

VSus Ignobiles à Nobilibus in Templo dividendi, ſi quid habet in Europa inſolitum, non minus quoque, licet contraria de cauſa, Indis Ethnicis inſolitus videtur: Nam cùm ſub graviſſimis pœnis prohibitum ſit Pareis ingredi partem ullam ſatis vaſti ſpatii, cujus in medio ipſorum Fana ædificata ſunt, frequenter nobis exprobrant, quod intra illud Pareas admittamus, eoſque ſinamus tam prope ad Sanctuarium accedere, quam prope ad Idolorum ſuorum adyta vulgò accedunt Xutrenſes; quippe ut Judæi quondam ex atrio orabant, & Sacrificiis intererant; ſic Indi licet Nobiles in ædificium Idoli proprium vulgo non introeunt, ſed ſtant in Aula quadam unde in intimum Fani receſſum proſpectus patet: Et quemadmodum ne in ſepta quidem exteriora Templi Hieroſolymitani incircumciſi nec leproſi, nec qui ſeminis, aut ſanguinis, aut menſtruorum fluxum paterentur, nec etiam cæci, & claudi, ut Mariana exiſtimat, vel potius certæ familiæ Jebuſæorum, ut docet Gaſpar Sanctius; ita Pareæ in Indiis à Templorum Septis arcentur; & quà ratione non arcerentur,

Ethnici non ſinunt Pareas in ſepta Templorum ingredi.

In.c.5. l.2. Reg.

tur,

tur, qui nec debere doceri, nec ſalvari poſſe putantur.

Cum tanto in deſpectu ſint apud Ethnicos Pareæ etiam in rebus ad Religionem pertinentibus, quanto apud Judæos quondam Gentes incircumciſæ, non parum indignantur cum vident à nobis in eorum gratiam tam multa fieri, quæ ſunt contra ſuæ conſuetudinis uſus: Quoties poſtquam de rebus Religionis noſtræ nobiſcum contenderunt, & de ejus ſanctitate, veritate, ſublimitate convicti ſunt, cum aliud opponere nequeunt, hoc demum exprobrant, quod tanta Myſteria vili plebi tradentes, eorum maieſtatem minuamus? Quoties Templa noſtra ob tantam cum Parearum Atrio conjunctionem polluta reputant? Venit ſemel meam in Eccleſiam Princeps, & eam præter totius Indiæ morem calceatus ingredi parabat, quod, uti dicebat, Parearum Eccleſia foret.

Queruntur, quod à Chriſtianis admittātur, familiariuſque tractentur.

Commemoravi jam aliqua ex iis, quæ ferenda habemus ob curam Pareis impertitam, eamque familiaritatem qua cum illis utimur: Sed inexhauſtum eſt illud argumentum; & quantumcumque de eo dicamus, plus dicendum ſupererit. E tot perſecutionibus, quas quotidie patimur, vix ulla eſt, quam non ex-

citet, vel ſaltem augeat accuſatio ſtudii Parearum ſaluti procurandæ impenſi: Atque ut de Miſsionariis terras illas nunc excolentibus loquar; eam ob cauſam P. Simon Carvalho Miſſionis Madurenſis pro tempore ſuperior meo loco conſtitutus, ab Ethnicis quæſitus eſt, & fugere coactus: P. Antonius Dias de eodem crimine accuſatus fuit apud Principem; qui furore accenſus venit ipſe cum animo illum Miſſionarium, & illius Eccleſiam perdendi, ſi res, prout audierat, ita ſe haberet; & procul dubio feciſſet, niſi locum Parearum vidiſſet clatris circumſeptum. P. Xaverius Maria Borzeſi quod ad Fidem admiſerit Chanas, quod eſt aliud Ignobilium genus, ab Ethnicis accuſatus, rebus omnibus ſpoliatus in carcere multa perpeſſus eſt: Ego ipſe ob Pareas in vincula ſemel conjectus, ſæpe ab Ethnicis quæſitus, & multoties accuſatus ſum: ob eoſdem verſante Pudcherii Illuſtriſs. Patriarcha, erepta mihi eſt una Eccleſia. Infinitus forem, Sanctiſſime Pater, ſi referre vellem quanta Miſſionarii ea de cauſa tolerent, quantamque infamiæ labem ob receptos Pareas Religio noſtra in Indorum mentibus contraxerit; ut paſſim non aliter, quam Lex Parearum, quod eſt infamiæ cumulus, appelletur. Hanc infamiæ opinionem ex

Quam multa eam ob cauſam patiätur Miſſionarii.

iſta præcipuè cauſa natam, ſi poſſemus ex Indorum mentibus eripere, ſuperatum putaremus maximum propagandæ Fidei noſtræ obicem; effuſi ad Baptiſmum venirent Infideles; audeoque dicere, tria ſaltem Regna Madurenſe, Tanjaurenſe, & Qingenſe ex maxima parte Chriſtiana fore: Nec dubito quin ſi liceret Miſſionariis Parearum curam abjicere, intra octo annos tot baptizaturus eſſem, quod viginti duobus eodem ſacro lavacro expiavi.

Cura impẽſa Pareis quantum impediat cõverſionem Nobilium

Adaugendo huic Chriſtianæ Legis probro confert plurimum, quod Ethnici ſciant in Oræ maritimæ Eccleſiis nobiles, & ignobiles miſceri. Recens in Indias appulſus R. P. Fr. Petrus Paulus à S. Franciſco Carmelita in Oppido quodam dicto *Tondi* Oræ Piſcariæ Chriſtianos ex interioribus terris ad Oras avocabat, & nullo Nobilium, ac Ignobilium diſcrimine in idem Templum convenire jubebat: id audivit vicinus Princeps Ethnicus, Ven. P. Joannem de Britto capi juſsit, eique crimini vertit, quod ex iis Sacerdotibus eſſet, qui plebem infimam nobilitati miſcentes, omnia perturbabant; eumque crudelibus modis vexavit: juſsit etiam quæri ipſum R. P. Carmelitam, eumque ut magis reum procul dubio tractaſſet, ni ille ſe in tutum opportunè recepiſſet.

En exiguam ærumnarum, tormentorumque partem, quæ ferenda hactenus habuimus, licet ad Eccleſiam proprium Ignobilibus locum aſſignaverimus: Quid foret, ſi eos Nobilibus miſceremus? Idem, Sanctiſſime Pater, quod ſuperius dixi eventurum, ſi Parearum domos Miſſionarii ſubirent; nemoque opinetur à me exagerari periculum; eo quod Synodus Diamperenſis tantum dicat, nolituros Infideles cum Chriſtianis communicare; Sicque Chriſtianos commercium deperdituros, & modum lucrandi ad vitum neceſſarium, nempe magnum eſt Malabariam inter & noſtras Miſſiones diſcrimen. Chriſtiani S. Thomæ illud præ Chriſtianis noſtrarum Miſſionum habent, quod multa illis ab antiquis Regibus fuerint collata privilegia; quodque Principes eos malint aliquid indulgendo quietos retinere, quam moleſtando irritare; eo quod Gens ſit bellicoſiſſima, quæ non impunè moleſtaretur. Si illis igitur nihilominus commercii detraheretur facultas, ſi nemo cum eis vellet communicare; multo graviora ferenda haberent noſtri Chriſtiani, quibus nihil omnino indulgeretur.

Illorum coniunctio, cū nobilibus in Templo afferret certā Miſſionariis ruinam.

§. II.

§. II.

TImebat D. Viſitator, ne iſta ſingularis loci deſignatio profluceret ex ſuperbia Chriſtianorum nobilium: Aſſerere poſſum Sanctitati Veſtræ id nec debere, nec poſſe de Chriſtianis judicari; Scio enim quantum de ſuæ nobilitatis faſtu, ſuperciliòque remiſerint, ex quo Evangelii luce illuſtrati ſunt: & quam multa in hanc rem referre poſſem, quorum teſtis oculatus fui: Quoties contingit, ut Chriſtiani nobiles cum ſunt ab Ethnicorum oculis tuti, in locum Ignobilibus aſſignatum tranſeant: Quoties ut in eodem Sacello cum illis mixti Sacris rebus interſint: illis conſentientibus, immo adhortantibus novemdecim dies in ſuburbio Parearum delitui uno Catechiſta comitatus, ut Pareis Sacramenta adminiſtrarem: Quam multa alia faciunt in gratiam Parearum contra omnes Indiæ leges.

Illa ſeparatio non oritur a nobilium Chriſtianorũ ſuperbia.

Qui ſæpe ad Parearũ locum tranſeunt, cum ab oculis Gentilium ſunt tuti.

Et licet ſuam in eo nobilitatem tueri vellent, non continuo videntur ſuperbiæ inſimulandi: Nobilitatem, nobilitatiſque leges non tollit Religio; Sua eſt humilitati Chriſtianæ, & nobilirati concordia. Teſtor tot Reges, nobileſque viros Sanctorum numero adſcriptos,

qui

qui ſuam dignitatem, gradumque illæsà modeſtia Chriſtiana bene tueri noverunt. Quod ſi Indicæ nobilitatis privilegia nimia eſſe videntur; attendendum eſt, id tantum ſuperbiæ tribui debere, quod ſupra recepta in tali gente talique conditione privilegia judicatur; atque ideo ea omnia ſunt ex locorum conſuetudine, & antiquo jure metienda.

Duræ ſunt Pareis Indorum leges, fateor: duræ quoque erant, & ſunt adhuc Romanæ leges de ſervitute: Quid enim durius, quam hominem cui libertas adeo congenita videtur, naſci mancipium? Quid durius quam Filium ob voluntatem, vel calamitatem maiorum ſuorum tanto bono ſpoliari, ſine mercede ullà ad improbos labores cogi, & ne quidem jus habere adquirendi quidquam, nec libertatis redimendæ? Quis ſervus eſt, qui non Parearum liberorum conditionem ſuæ conditioni libenter non anteponeret, ſi ei optio daretur; etiam ſi nullus nobilis ſuam domum ingredi vellet; etiam ſi in Atrio Eccleſiæ conſiſtendum ei foret, nec in ipſum Templum ei liceret ingredi? Has tamen ſervitutis leges Eccleſia toleravit; & quid dico toleravit, huic pænæ nonnullos aliquando addixit, quorum nullum aliud crimen foret, niſi quod Patre Præsbitero nati eſſent.

Con. Tolet.

In-

Inſtabit aliquis hæc ad civilia ſpectare; id verò apud Indos peccari, quod in rebus Sacris, & ad Religionem ſpectantibus nobiles inter & ignobiles diſcrimen ſtatuatur. Equidem legem illam nec probo, nec ullus Miſſionarius non vehementer abhorret: Verum in Europa etiam videmus nobilitatem in ipſis Templis ſua habere privilegia, & ſine ſuperbiæ notâ defendere: Si omnia Templa licet ignobilibus adire in Europa, non tamen in omnes Ordines Religioſos ingredi: Scitum eſt eſſe quædam Monaſteria Virginum, quædam Collegia Canonicorum, in quæ nemo admittitur, niſi longa ſtemmatum ſerie probata: Idem exigit totus Ordo Equitum Melitenſium, licet videatur ſatis inſolitum, ac præter rationem, ut ad amplectendum vitæ religioſæ, ideſt, humilitatis ſtatum, maxima nobilitas probanda ſit: immo aiunt in certis Germaniæ locis uſum eſſe, ut Tortores Templa non ingrediantur, cum in iis ſunt alii Fideles, ſtatimque iſtos egreſſuros, ſi eos viderent ingredi: fidem prope ſuperat id quod dicam; eſt tamen longe veriſſimum Parearum conditionem inter Indos maiori eſſe horrori, quam apud nos Carnificum: videat quiſque quantum eſſe vellet Carnifici familiaris, & inde de Chriſtianis Indis judicet.

Apud Europæos in ipſis rebus Sacris eſt aliquod nobilium ab ignobilibus diſcrimen.

Pareæ inter Indos magis viles, quam inter nos publici Carnifices.

In-

Inſimulantur ſuperbiæ, quod petant ſervari uſum proprii loci infimis Tribubus aſſignandi: Suſpicienda potius eorum humilitas foret, & admirandum quantum in iis D. Virtus efficiat; cum in gratiam Parearum receptas Indiæ leges violant, obliti illius faſtùs in quo nati, & educati ſunt: amplectuntur Chriſti Legem ob Pareas adeo deſpectam, ut ſine ſummæ infamiæ periculo eam nequeant profiteri: Quot Chriſtianos vidi ob eam cauſam poſitos in ſignum, cui tota familia contradiceret, & inſultaret; quos nec parentes, nec fratres, nec conjux alloqui dignarentur, niſi ad eos dicteriis mordendos, maledictis onerandos: Non enim Chriſtiani noſtri ſunt in eodem ſtatu poſiti, quo Chriſtiani S. Thomæ. Sunt iſti minus cum Ethnicis mixti, cum nulli, aut prope nulli Infideles ſe eorum Eccleſiæ adjungant: familiæ integræ Chriſtianæ ſunt: In noſtris Miſſionibus Chriſtianus in numeroſiſſima familia ſæpe reperitur ſolus, omnium conviciis obnoxius. Qui Chriſtianos noſtros ſuperbiæ accuſant, utinam tantiſper in illius Chriſtiani loco cogitatione ſaltem ſe conſtituerent; attenderent pauliſper, quam ſit illud pugnæ genus acerbum, quo perpetuo ſtandum in armis contra minas, convicia, preces amicorum, omniumque neceſſa-

Admiranda Chriſtianorum nobiliũ humilitas.

ceſſariorum ; qui eum unicum veluti familiæ decus perpetuo laceſſunt ? Quam arduum eſt tot oppugnationibus talium hominum ſine ulla quietis parte obſiſtere ? Quam difficile eſt ſemper de carne, de ſanguine, de ſe ipſo triumphare ? Quantum fatigat ſic ſemper vincere, ut pugna ſtatim redeintegranda ſit ? Vidi aliquos eò redactos, ut prope optarint, liceret Chriſtianis violentas ſibi manus afferre, ut ſe tot malis liberarent.

Qui tot opprobria pro Chriſtiana lege ob Pareas deſpecta libenter ferant.

Quod ſi quidquid honeſtatis, ac nobilitatis ſupereſt, perdere cogantur, miſcendo ſeſe cum Ignobilibus, quo ſe infelices vertent ? Non enim id faciendo jus aliquod tantum ſuæ nobilitatis perdent; id quod jam ſatis acerbum foret; non modo ſuam nobilitatem totam, id quod eſſet acerbius; Sed eà deperditâ id amittent, ſine quo vita illis morte acerbior erit, ob domeſticum illud bellum; quod Chriſtianis ſemper crudeliſſimis tormentis moleſtius viſum eſt: Superi! Quid non fit in Euroqa pro aliquo parum utili nobilitatis jure retinendo: nunquam ne, vel hinc ſaltem intelligitur; quid ſit in Indiis nobilitatem, cum nobilitate honeſtatem, cum honeſtate omnia vitæ communis præſidia deperdere.

Quam iniquum ſit cogere Chriſtianos ut cum nobilitate ſua omnia perdant.

Cum ſuæ Excellentiæ narrarem, quantum

Chriſtiani acerbius quam merebantur incuſati ab Illuſtriſs. Patriarcha, quod peterent ſuam ſibi, ſuam Pareis eſſe Eccleſiam.

jam Chriſtiani ob Pareas patiantur; adjungeremque eorum aliquos tot malis ferendis jam impares, petiiſſe ut ſuæ eſſent propriæ Pareis Eccleſiæ, ſuæ nobilibus; indignatus eſt D. Viſitator, eique dicere excidit, Chriſtianos qui talia peterent, Chriſtiani nihil habere: Habent, Sanctiſſime Pater, habent, non aliquid, ſed plurimum Chriſtiani: Teſtem appello Deum, qui illos novit: neque talem Cenſuram merebantur, cùm nihil in eo peterent, quod perfecti Chriſtiani in iiſdem circumſtantiis poſiti, non poſſent petere; nihil quod non ipſa Synodus Diamperenſis æquiſſimum judicaret: jubet illa, *ut ſi deinceps aliqui ex humili ſtirpe voluerint amplecti Fidem admittantur ad Baptiſmum, & ſtatim ſignificetur Prælato, ut ille jubeat diverſam Eccleſiam erigi: tempore verò quo non habebunt particularem Eccleſiam; audiant Miſſam extra Eccleſiam Nobilium ſtando ſub arcubus veſtibuli*: Ex quibus verbis conſtat, Synodo melius viſum fuiſſe, ſi Ignobilibus Eccleſia prorſus diverſa aſſignaretur, quam ſi in Nobilium Eccleſiæ veſtibulo ſtarent. Sed nimirum facile non eſt cognoſcendum, ac ſentiendum dare quanta mala Ignobilium conſortio in nobiles redundent; & ſi audeo dicere, opus foret, illum infamiæ calicem ſummis ſal-

Idipſum expedire judicavit Synodus Diamperenſis.

tem

tem labris attigiſſe ad bene de illius amarore judicandum. Reſcierunt Comites Illuſtriſs. Patriarchæ, Indos de ſua Excellentia loquentes, illius divitias magnificentiam plurimum extuliſſe; Verum addidiſſe, eum ex vili proſapia natum; quod de quovis Europæo etiam Regii Sanguinis Principe Indus omnis dicit: fremebant indignatione DD. Abbates, quod nobiliſſimi viri genus viderent ſic contemni ab Indis; quorum nobilitatem Europæi non pluris æſtimant, quam illi noſtram. Sed quid dicerent illi, quid ſua Excellentia diceret, ſi non Puducherii, ubi magis ſe continent, ſed in ſuis terris, ubi ſummam habent dicendi, & faciendi facultatem? Superba eorum faſtidia quotidie ferenda habuiſſent, ſi vidiſſent ſe eodem modo deſpici, quo ipſi Pareæ deſpiciuntur: Si ob Parearum aliquem in Confeſſione auditum, ſe tanquam mundi peripſemata facta eſſe experirentur; ſi ſenſiſſent illa probra, illas ignominias, quibus Miſſionarii quotidie ſaturantur, atque Chriſtiani ob Parearum conſortium: intelligeret credo tunc ſua Excellentia poſſe nobilem habere aliquid Chriſtiani, & optare ut alia Pareis, alia Nobilibus Eccleſia foret.

Opus fuiſſet venire in partem eorum quæ Chriſtiani ob Pareas ferunt.

Dicteria Gentilium in Illuſtriſs. Patriarcham ferre non poterant ipſius comites: quid tuliſſent opprobria quotidiana?

Itaque Sanctiſſime Pater, dicere vere Deo poſſunt Chriſtiani cum Regina Eſther, *Noſti,*

quia oderim gloriam iniquorum: Ante ſuſceptam Fidem nihil nobis noſtra nobilitate præſtabilius, nihil ignobilitate contemptibilius videbatur; at ex quo è tenebris, & umbra mortis in admirabile Fidei lumen pertracti ſumus, & edocti, omnes eſſe eodem luto factos, ab eodem authore formatos, ad eundemque finem, eodem Chriſti Sanguine redemptos, eiſdem Sacramentis donatos; intelligimus veram hominis vilitatem, quæ ex peccato oritur, omnibus hominibus eſſe communem; ut & veram nobilitatem, quæ ſola eſt, atque unica virtus; nihil nobis optabilius foret, quam ut liceret nobis omnia illa prophanæ nobilitatis diſcrimina tollere, aut moderari: *At tu vides neceſſitatem noſtram*; quantum noſtris exiguis fortunis, noſtris liberis, & uxoribus, quantum libertati, ac vitæ, quodque omnibus illis nobis pretioſus eſt, quantum noſtræ Religioni exitium immineret, ſi eum non retinere videamur locum, in quo nati ſumus; ſi illas violemus leges, quas agnoſcimus nimium eſſe erga Ignobiles ſeveras, ſed quas immutare non poſſumus.

Chriſtiani nobiles oderunt ſua privilegia; at ea tamen in ſpeciem tueri coguntur.

Quod Deo dicunt, Sanctiſſime Pater, id Sanctitati Veſtræ Dei locum in terram tenenti dicunt: Eorum vocibus ſuas adjungunt in authenticis Teſtimoniis illi ipſi Pareæ de quibus

agitur:

agitur: Agnoſcunt nobilium Chriſtianorum erga ſe animos; vident quanto diſcrimine ab illis, & à Gentilibus habeantur: Queruntur, non quod minus erga eos fiat, quam ipſis debetur; Sed quod plus interdum, quam neceſſe eſt: Non, ſi liceat nobis cum Nobilibus in Templo miſceri, id vellemus, quia nec impune poſſemus. Cernimus, quam graves pænas Ethnici de nobis eſſent ſumpturi, ſi rem legibus Indicis adeo contrariam tentaremus: Videmus quantum toti Religioni naufragium pararetur, quo non minus quam ipſi nobiles involveremur: jure illo, ſi quod habemus, ſponte cedimus; ſatis eſt, ſi vel angulus nobis concedatur, unde Sacris myſteriis intereſse, ac Verbum Dei audire poſſimus. Sat multa noſtra cauſa hactenus Religio paſsa eſt, quin eam plura pati poſtulemus: Sat multa pertulimus ipſi, quin plura velimus adhuc perferre: Itaque honorem Nobilibus, totique Religioni adeo pernicioſum nolumus, detrectamus: At Sanctitatem Veſtram precamur, ne nobis invitis haberi jubeat; ne ſinat nos à Regno Cælorum excludi, ut hìc nobis magis honorificus, ſed minus neceſsarius locus aſſignetur, donec meliora tempora res aliter componere permittant.

Pareæ nolunt eundem in Templis occupare locum cum nobilibus: id conſtat ex eorum teſtimoniis.

CAPUT XIII.

Verba Decreti.

Excommunicantur Chriſtiani qui inſtrumenta pulſant in feſtivitatibus Idolorum.

NOn ſine maximo animi noſtri mærore accepimus, etiam Chriſtianos Tympanorum pulſatores, Tibicines, aut alterius cujuſcunque Muſici inſtrumenti pulſatores ad Idolorum feſtivitates, & Sacrificia accerſiri ad ludendum, & interdum etiam cogi ob quandam ſervitutis ſpeciem erga publicum contractæ per ejuſmodi artis exercitium; nec facile eſſe Miſſionariis eos ab hoc deteſtabili abuſu avertere: Quocirca conſiderantes, quam gravem rationem eſſemus Deo reddituri, ſi ejuſmodi Chriſti Fideles à Dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus; illis prohibemus ne in poſterum audeant nec in Pagodis, nec extra, tùm occaſione Sacrificiorum, tùm quarumcumque Solemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbutarum ſonare, aut canere ſub pæna Excommunicationis latæ ſententiæ: Ideoque Miſſionarii non ſolum eos monere tenebuntur de præfata prohibitione, verum etiam illam executioni demandare; & contrafacientes ab Eccleſia expellere, donec ex corde reſipiſcant; & publicis pæni-

pænitentiæ ſignis patratum ſcandalum emendaverint.

Obſervationes.

NOn immerito D. Viſitator deplorat ſortem miſerrimam ejuſmodi hominum: Nam primo quidem cum ex arte texendi, quam vulgò exercent, nequeant ſæpe lucrari, quod ſatis eſt ad familiam ſuam permodicè ſuſtentandam ob vile pretium, quod ipſis perſolvitur, & tributorum, quæ exiguntur, magnitudinem, artem inſtrumenta pulſandi diſcere coguntur, ut aliquid lucri faciant, non quidem in ſuperſtitioſis Ethnicorum feſtivitatibus; tunc enim nullum fere habent ſtipendium, ſed in nuptiis, aliiſque civilibus communis vitæ celebritatibus. At ubi artes illas norunt, iniquis legibus adacti, non ſolum accerſuntur ad inſtrumenta pulſanda in ſuperſtitioſis feſtis; non ſolum interdum coguntur, ut ſupponit Illuſtriſs. Patriarcha, ſed ſemper graviſſimarum pænarum metu compelluntur. Et quidem ſi aliquibus tantum in locis funeſta illa conſuetudo regnaret; ſi aliquis eſſet locus in quo Chriſtiani cum ſuis familiis vivere tali neceſſitate liberi poſſent, eò cuncti ſponte convolarent: At

Digni ſunt commiſeratione illi Chriſtiani; qui pænis coguntur inſtrumenta pulſare ſine lucro.

ubi

ubi de Pago in Pagum migrarunt; in ſecundo non minus quam in primo eiſdem pænis coguntur inſtrumenta pulſare.

Ad id non compellũtur in odium Fidei, nec ut Idola venerentur.

Itaque exiſtimandum non eſt, illos Chriſtianos id facere, quod intendant aliquem cultum Idolis exhibere; aut quod erga illa impia Sacra voluntate propendeant; cum è contra ea ſummopere deteſtentur; & ſicut reliqui Chriſtiani, Idola non aliter appellare conſueverint, quam Dæmonis figuras; idque coram ipſis Oppidorum Præfectis, à quibus ad inſtrumenta pulſanda compelluntur.

Indubitatum eſt etiam id à Magiſtratibus non præcipi eo animo quo Tyranni jubebant Chriſtianos thus Diis adolere; nempe ut deſinant eſſe Chriſtiani, & impiam Idololatriæ legem profiteantur. Id conſtat ex ipſo modo præcipiendi: Cum enim Chriſtiani reſpondent, ſe Chriſtianos eſſe, nec velle cultum Idolis exhibere; reponunt vulgo Præfecti, neque ſe hoc petere; profiteantur, quam voluerint, legem; Deos, ſi nolint, non venerentur, at neceſſarium eſſe, ut ſolito Tympanorum, Tubarumque clangore feſtum de more celebretur, & populus exhilaretur.

Obſervandum præterea illo ſono nullas Idoli laudes, aut preces contineri, nec ullis

lau-

laudibus, aut precibus adjungi; merus eſt inſtrumentorum concentus, & prorſus idem qui in aliis celebritatibus prophanis adhibetur, ex ſe nihil habens, quod ad Idolorum cultum potius, quam ad aurium delectationem pertinere dicatur.

Concentus prorſus idē ac in feſtis civilibus.

In ipſamet celebritate Tibicines Chriſtiani publicam, & minime dubiam Fidei ſuæ profeſſionem edunt; quandoquidem eo ipſo tempore, quo alii Tibicines, & tota Ethnicorum multitudo Idolum adorans in faciem proſternitur, ipſi ſoli in pedes erecti conſpiciuntur; nullumque prorſus Idolo exhibent reverentiæ ſignum; immo oſtendunt à ſe Idolum, & Sacra impia contemni; Nam ſi eis offerantur flores, qui Idolum contigere, Oriza, Carnes, quæ ei oblata fuere, quæ ab Idololatris venerabunde accipiuntur, ea ipſi palam reſpuunt: Unde nullus eſt, qui non intelligat, pulſari ab illis inſtrumenta non religione, ſed obſequio ſervili.

Publicam faciunt ſuæ Fidei profeſſionem in ipſa ſolemnitate.

Ob eas circunſtantias dubitarunt aliqui, num poſſet illud Chriſtianorum factum cum facto Naaman Cyri conferri; Naaman, inquiebant, non minus videri poterat Idola venerari genua flectendo in Templo Remon, quam Tybicines canendo; non minus ad actum Idololatricum

Dubitatum ab aliquibus, an poſſent exemplo Naaman excuſari.

tricum concurrere ſuſtentando Regem genua flectentem, quam Tybicines Idololatris concinendo. Excuſatur Naaman, quod ejus actio non ad Idolum, ſed ad ejus Regem dirigeretur; Num etiam dici poteſt, Tybicinum concentum non ad Idolum, ſed ad populum adſtantem dirigi? Quod ſi dicatur à populo dirigi ad Idoli cultum; à Rege quoque actio Naamanis ad Idolum dirigebatur: Si ſatis ſcandalo medebatur Naaman, ſe Veri Numinis adoratorem profitendo; non minus quoque toti populo adſtanti notum eſt, illum Tibicinem Chriſtianum eſſe, qui Idolo tranſeunti nullum exhibeat venerationis ſignum: Si notum erat Naaman ſuſtentare Regem genua flectentem, non ex Idoli cultu, ſed obſequio Regi debito; non minus notum eſt Tibicines Chriſtianos, non ex Idolorum cultu, ſed ex neceſſitate inſtrumenta tunc pulſare, qua neceſſitate, & ſervitute non poſſunt ſe eà facilitate expedire; qua Naaman ex aula ſe expedire potuiſſet.

Non enim pulſant inſtrumenta ex veneratione ergà Idola.

Quæ non ideo retuli Sanctiſſime Pater, ut in me ſuſciperem probandum concedi poſſe, vel concedendam eſſe Chriſtianis facultatem inſtrumenta in iis occaſionibus pulſandi: quæ utinam concedi poſſet; Sic enim multorum hominum millium ſaluti melius conſuleretur,

Tibicines illos excuſandos non ſuſcipio, ab Eccleſia eiecti ſunt, & non emēdati.

quam

quam Excommunicatione à D. Viſitatore latâ: Id experientia docuit: nam cum ob illa inſtrumenta pulſata ab Eccleſia ejiciuntur Tibicines, maximo animi noſtri dolore videmus eam pœnam non tam apud illos valere, quam tormenta quæ ſæpius experti ſunt: reperti enim fuere, qui mallent Eccleſiæ ingreſſu, Sacramentiſque carere, quam tot mala perpeti, quæ ipſis locorum Præfecti intentant: Verum hunc rei ſtatum Sanctitati Veſtræ exponendum judicavi, ut videat, an aliquo remedio poſſit tot animarum clades averti.

CAPVT XIV.

Verba Decreti.

DEclaramus præterea Pontificiam Conſtitutionem Gregorii Papæ XV. incipientem-Romanæ Sedis Antiſtes-ad petitionem Patrum Societatis JESU editam, quà Indigenis Chriſti Fidelibus lavacra non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & à naturalibus ſordibus mundandi ab Apoſtolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus à Gentilibus adhiberi ſolent; æquè afficere Evangelicos Operarios: Quibus propterea non

Declaratio Bullæ Greg. XV. quod ſpectet etiã ad Miſſionarios id quod de lavacris præcipit.

ſiceat, ſub quacumque alia cauſa, & fine; etiam ad effectum, ut exiſtimentur Sanniaſes, ſeu Brammanes præ cæteris dediti hujuſmodi ablutionibus, illis uti; præſertim eorum horis, & ante vel immediate poſt quamcunque functionem Sacram.

Obſervationes.

Minime neceſſaria erat illa declaratio.

CUm Gregorii XV. Conſtitutione nihil jubeatur, niſi quod ad puritatem Fidei, bonoſque mores neceſſarium eſt, non minori Religioni ducerent Miſſionarii contra illam facere, quam ſi à Chriſtianis eam violari permitterent: Conantur enim quantum poſſunt, eſſe forma Gregis, eique non minus exemplo, quam verbo præire. Verum quidem eſt Gregorium XV. non injungere quidquam nominatim Patribus è Societate JESU, ratus opus non eſſe eis præcipere, ne aliquo ſuperſtitioſo fine, & modo conſuetudines Indicas uſurparent: Nos felices, ſi eandem de Societatis noſtræ Operariis opinionem D. Viſitator habuiſſet! Sed quoniam judicavit ſua Excellentia opus eſſe declarare illam Bullam non minus Evangelicos Operarios, quam Neophytos Indos afficere; profitemur nos illam maiori adhuc, ſi fieri

neri poteſt, diligentia obſervaturos; quamquam conſcii nobis non ſumus contra eandem deliquiſſe, nequidem in articulo lavacrorum, quem Decretum deſignat, & de quo agendum nunc mihi eſt. Quæ tum Bulla Pontificia, tum Decreto continentur poſſunt ad duo revocari; nempe ad finem, ob quem adhiberi poſſunt lotiones, vel ad illarum circunſtantias: hæc duo ſingillatim explicemus.

§. I.

VErba Conſtitutionis Gregorii XV. ad Lavacrorum finem ſpectantia hæc ſunt; *Lavacra non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & à naturalibus ſordibus mundandi permittuntur*: Illuſtriſs. Patriarcha poſtquam dixit, illà Bulla affici Evangelicos Operarios, ſic addit; *Quibus propterea non liceat ſub quacumque alia cauſa, & fine, etiam ut exiſtimentur Sanniaſes, ſeu Brammanes præ cæteris dediti ejuſmodi ablutionibus, illis uti*. Hoc cum vetet D. Viſitator credidit, vel finem, vel medium eſſe illicitum; finem, ſi malum eſt, velle videri Sanniaſem, ſive Brammanem; medium, ſi illicitum eſt Balneis uti ad eum finem alioqui non malum: Utrum ex his duobus

Vetat Illuſ triſs. Patriarcha ne lavemus corpus, ut videamur Brammanes, ſeu Sanniaſes.

bus Illuſtriſs. Patriarcha judicaverit, dicere nequeo: Nam licet populo ante profectionem de hoc articulo multa dicta ſint; aſſequi tamen non potui, quid potiſſimum in hoc reprehenderet Illuſtriſs. Viſitator.

Malum non eſt videri Brammanē. Malum ne exiſtimavit ſua Excellentia velle videri Brammanem, ſeu Sanniaſem? Vix adduci poſſum, ut id credam: Norat ſua Excellentia à S. Sede conceſsam fuiſse Chriſtianis Brammanibus facultatem geſtandi inſignia ſuæ Tribùs propria; quæ certè nunquam concedi potuiſsent, ſi malum foret videri Brammanem; confidimuſque D. Viſitatorem, nihil in eo deтexiſse novi, quo ille ſtatus poſſit dici noſtræ Fidei Sanctitati repugnare. Et vero cum eſse Brammanem, nihil aliud ſit, quam ex ea Tribu eſse, quæ cæteris nobilior, & ſcientiis excolendis magis dedita ſit, Chriſtianis illius Tribus crimini verti non poteſt, quod ſe Brammanes profiteantur, cum re ipſa ſint; neque Miſſionariis, ſi illud vitæ profiteantur inſtitutum, & eodem modo vivunt, quo reliqui Brammanes Chriſtiani: Niſi etiam vitio vertatur Miſſionariis, quod in Sina Sinæ videri velint, in Japonia Japones: Sacra Congregatio de propaganda Fide admonuit aliquos Miſſionarios, quos mittebat, ut ſi opus foret ad ſuam Miſ-

ſionem

tionem occultandam, ſe ſimularent Mercatores: Quid ni ad Fidem melius propagandam Miſſionarii ſe Brammanes ſimularent?

Neque magis vitioſum eſt, velle videri Sanniaſem; cum enim Sanniaſis ſtatus conditioni Brammanis nihil addat aliud, niſi ſeverioris vitæ diſciplinam, maius virtutis ſtudium, maiorem deſpectum rerum mundanarum; convenientiſſimum erat, ut Viri Religioſi, & Miſſionarii illud amplecterentur; tum ut illa pænitenti vita in via virtutis progrederentur ipſi; tum ut magis idonei forent ad Evangelium prædicandum populis, qui illi vitæ auſteritati plurimum tribuunt. Sed quid opus, quæſtionem de his movere, cum illud vitæ genus olim amplexus non ſit primus Fundator iſtarum Miſsionum, niſi approbantibus Ordinario loci, & Indiæ Primate; Unde in illis controverſiis quæ extiterunt, ſuper conſuetudinibus noſtrarum Miſſionum, dubitatum nunquam eſt, utrum liceret Miſſionariis Brammanum, ſeu Sanniaſum more vivere: illud in quæſtionem vocatum eſt, ut ſupra dictum eſt, utrum fila quædam, & capillamenta, quibus uti ſolent Brammanes, qui non ſunt Sanniaſes, haberent vitioſi aliquid, ob quod geſtari non poſsent?

Malum etiā non eſt videri Sanniaſem, ideſt Brammanem vitæ ſeverioris.

Illud Miſſionariorum inſtitutum approbarūt Epiſcopi.

De

De quo S. Sedes pronuntiavit:

Ita videtur judicaſſe Illuſtriſs. Patriarchā: alioquin Miſſionariis non lavacra ſola, ſed alia multa vetuiſſet.

Nec levis eſt conjectura D. Patriarcham, illud vitæ genus, quo Miſſionarii aliqui utuntur, non judicaſse malum: Si enim judicaſset, non ſolum prohibuiſset, ne lavacra ad eum finem referrentur, ſed unà, eàdemque operà, omnia media ad eum finem adhibita prohibuiſſet, aut potius ipſum finem; edixiſsetque, ne ullus Miſſionarius deinceps illud vitæ genus profiteretur, ullamve conſuetudinem ad eum finem uſurparet. Cum ita non ſtatuerit, veriſimilius eſt, id tantum ſuam Excellentiam improbaſse, non quod Sanniaſes, ſeu Brammanes aliqui Miſsionarii videri velint, ſed quod ad eum finem lavacris uterentur.

Lavacris vulgo utimur, ut videamur mũdiores.

Antequam ulterius progrediar, operæ pretium fuerit obſervare, non omnes Miſsionarios ad eum finem lavacris uti, ut Brammanes ſeu Sanniaſes videantur: pauciſsimi nunc ſunt, qui Brammanum more vivant; non quod non putemus id maxime licitum; ſed ob alia incommoda, quæ illi conditioni annexa ſunt; quibus fit, ut Miſſionarii inter ſe, & cum Chriſtianis agendo, multa importune obſervanda ſint: An alii pænitentes, quos vocant Pandaras, & qui Brammanes non ſunt, poſſint dici etiam Sanniaſes, litigatur inter Indos: Ut ut eſt, ſi pro-

prie

prie loquamur, Miſſionarii nulli lavacris utuntur, ut videantur Brammanes, ſeu Sanniaſes, ſeu Pænitentes, cum uſus frequentis Balnei non ſit abſolutè proprius illarum conditionum: Verus finis eſt, ut videantur homines munditiei ſtudioſi, quod quam neceſſarium ſit, oſtendam poſtea: nunc id agamus, quod propoſuimus: Cumque jam oſtenſum ſit, malum non eſſe, videri Brammanem, ſeu Sanniaſem; probemus etiam malum non eſſe, ad eum finem, vel quemvis alium, lavacris uti.

Id videtur probatione non egere plurimum; nam ſi vitioſus non eſt finis, vitioſum non erit, media ad eum conducentia ſumere; modo illa media ex ſe, aut ex circunſtantiis mala non ſint: Lavare corpus ex ſe malum non eſſe, liquet; malum non eſſe ex prava aliqua circunſtantia, ſupponimus: Quid ſequitur, niſi malum non eſſe in Miſſionariis lavacro uti, ut Brammanes, ſeu Sanniaſes videantur.

Malum non eſt lavacris uti ad finem bonum; cum lavacra non ſint in ſe mala.

At enim id prohibet Gregorius XV. dum ait, ***Lavacra non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & à naturalibus ſordibus mundandi permittuntur***: Unde infert Illuſtriſs. Patriarcha, ***Propterea Miſſionariis non licere ſub quacumque alia cauſa, & fine, etiam***

Greg. XV. id non prohibuit, nec ulla lege humana prohiberi poteſt.

ad effectum ut exiſtimentur Sanniaſes, ſive Brammanes .... ablutionibus illis uti. Verba Bullæ ſic hactenus intelligenda putavimus, ut alii fines non prohiberentur, ſi modo mali non forent; & ita prorſus intelligere neceſſe eſt: Nam ex certiſſimis Theologiæ principiis, humanà lege vetari non poteſt id, quod malum non eſt, nec ex ſe, nec ex adjunctis, quodque bono communi non nocet; alioqui Legislator, id quod de Summo Pontifice cogitari non poteſt, authoritate ſua abuteretur, ſubditos inutilibus præceptis gravans: idque adeo certum, & indubitatum eſt, ut probatione fuſiori non egeat. Cum ergo Summus Pontifex lavacra inter Indos recepta, non alia occaſione, & fine, quam corporis reficiendi, & à naturalibus ſordibus mundandi permittit, neceſſe eſt dicere, vel nullum alium eſſe poſſe finem vitio carentem, vel ſi quis alius ſit, eum non prohiberi, ſed alios tantum vitioſos.

Præter duos fines à Gregor. XV. aſſignatos, alii ſunt minime mali, quos non vetat.

Conſtat corpus lavari poſſe ob multos fines, ut vocant extrinſecos, de quibus hìc agitur, quorum aliqui minime mali ſunt, immo boni: poteſt quis, etiam ſi paulo ante lotus fuerit, etiam ſi Balneum ejus valetudini aliunde noceat, ac proinde etiam ſi jam nequeat abluere ſe ſe ad corpus reficiendum, vel mundandum;

poteſt,

poteſt, inquam, vel tunc aliquis ſe ſe lavare, V. g. ad obediendum Superiori, qui forte ad probandam ſubditi obedientiam id imperaret, vel ad mortificandum corpus, vel ut amico obſequium præſtetur: Quis dixerit eam mentem fuiſſe S. Sedis, ut omnes illi fines prohibeantur?

Cur vero excluſive dixerit, *non alio fine*; id facilem habet explicationem: Sciebat nempe Summus Pontifex Indos lavari vulgo vel ex ſuperſtitione, vel ex neceſſitate corporis: ut ob neceſſitatem corpoream ablui corpus poſſet, concedit; omnem alium finem nempe ſuperſtitioſum, aut bonis moribus repugnantem interdicit. Hæc explicatio tam nativa eſt, quam neceſſaria; cum ſine S. Sedis injuria dici nequeat, fines, qui mali non ſint, prohiberi: hancque eſſe S. Sedis mentem conſtat ex toto contextu Bullæ, quæ tota eo ſpectat, ut quidquid eſt ſuperſtitioſum reſecet; quidquid ſine peccato fieri poteſt, permittat, ad faciliorem efficiendam illarum Gentium converſionem.

Excludit ſolum duos fines ſuperſtitioſos.

Miſſionarios decet proponere ſibi nobiliores fines, quam qui permittuntur in Bulla.

Dubium nullum eſt, quin Miſſionarii ſæpe poſſint lavare corpus ob duos fines in Bulla aſſignatos, nempe ad corpus reficiendum, vel ad naturales ſordes detergendas: Evenit ta-

men aliquando, ut aliquibus adeo ſit contrarius Balneorum uſus, ut inde debilitentur potius quam reficiantur: Rarius eſt, ut ob alium finem, nempe ad corpus mundandum lavare ſe ſe Miſſionarii non poſſint; Siquidem ob laborem aſſiduum climatis calori junctum, non magnum temporis ſpatium neceſſe eſt, ut corpus ſudore manet: Sed quamobrem adſtringeremur ad alterutrum illum finem, cum Chriſtiano, Religioſoque Viro multo ſit dignius nobiliores fines intueri, hortante Apoſtolo,

1. Cor. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite.*

Nempe ut ſint magis idonei ad Fidem prædicandam.

Quid ad gloriam Dei facit frequenter Miſſionarios corpus abluere? Facit in India plurimum; ita ut ad eam promovendam multo minus idonei forent Miſſionarii, ſi id omitterent; eſt quippe illa gens ab omni ſorde alieniſſima: Incredibili contemptu Europæos tum ob alias cauſas proſequitur, tùm in primis quod non Indicas obſervent munditiei regulas; quod rarius linguam, denteſque expurgent, os abluant, corpus lavent; præſertim poſt neceſſitates corporeas; quo vix quidquam gravius Europæo exprobari poſſe credunt. Si in illa corporis mundandi cura, nihil pluſquam Europæi faciamus, Europæi judicabimur, quo nihil

hil poſſet funeſtius Miſſionariis accidere: Cumque in India, ut in Europa, viri bene exculti, ac nobiles vulgo ſoleant eſſe cæteris nitidiores, Miſſionarii coguntur importunis illis peregrinæ munditiei legibus parere; atque inter alia, corpus abluere ſæpius, ne fugiantur à populis ut homines inculti, ac ſordidi: Cum ergo tantopere ad Dei gloriam faciat, Miſſionarios munditiei Sectatores videri, ſanè conſultius eſt, ut illum ſibi proponant immediatum finem, quam ſi propriam tantum utilitatem, ac neceſſitatem ſpectent: Itaque ſive opus habeant lavacro, ſive opus non habeant, maximi meriti erit lavare ſe ob illum finem.

Multi ob cũ finem non ſine merito lavant corpus, licet ſentiant id valetudini ſuæ nocere.

Tunc vero cæteris paribus meritum erit maius, ſi Miſsionarii ſpreto proprio incommodo lavent corpus, ut multis evenit: Unde nemo ſibi perſuadebit unquam mentem S. Sedis fuiſſe, ut permitteret lavacra uſurpari ad reficiendum, mundandumque corpus, id quod naturale eſt; & prohibuerit, ne ad animas Deo convertendas adhiberentur, quod eſt ſupernaturale, & Divinum: Nunc de circunſtantiis lavacrorum agamus.

§. II.

LAvacra permiſit Gregorius XV. *Rejectis tamen penitus Orationibus, & ritibus circa tempus, modum, & aliis, ſi quæ adhiberi ſolent, ſive ante ablutionem, vel poſt, ſive in ablutione ipſa*: Quæ verba ſic explicat D. Viſitator, ut primò ſupponat, illorum vi interdici tempus, & modum, quo Gentiles lavacra adhibere ſolent; deinde ſubjungit, propterea non licere Miſsionariis ejuſmodi ablutionibus uti Sanniaſum horis, & ante, vel immediate poſt quamcumque functionem Sacram: Ex quo ſequitur, ſi bene hujus loci ſenſum aſſequor, præcipi tanquam ex Conſtitutione Gregorii XV. primo, ut Chriſtiani non lavent corpus eo tempore quo Gentiles; Secundo nec eo modo, quo Gentiles; tertio, ut Miſsionarii vitent horas, quibus Sanniaſes corpus lavant; quarto, ut nec ante, nec immediate poſt quamcunque functionem ſacram corpus abluant.

De circumſtantiis lavacrorum.

Greg. XV. non vetuit, ne Chriſtiani eodem tempore lavarent quo Gentiles.

Quod attinet ad primum præceptum de non abluendo corpore eo tempore quo Gentiles abluunt, quamvis id ſua Excellentia ſupponat Conſtitutione interdictum, tamen ſi verba Bullæ accurate expendamus, non omnino id

Bullam

Bullam dicere comperietur: aliud enim eſt rejicere ritus circa tempus, & modum, aliud interdicere tempus, & modum, quo Gentiles ſe ſe lavant: qui vetat orationes, & ritus circa tempus, & modum, quemadmodum non niſi Orationes ſuperſtitioſas vetat, ita non niſi ſuperſtitioſos ritus circa tempus, & modum prohibere cenſendus eſt. Hoc unum igitur vetat Bulla, ne eo tempore Chriſtiani ingrediantur aquas, quo Gentiles in illius temporis delectu ſuperſtitione aliquà ducuntur. Id obſervant accuratè Chriſtiani: hinc tempore quo Sol, vel Luna Ecclypſim patiuntur, tempore certi Syderum aſpectùs, tempore quo Gentiles ad aliquod ſolemne Sacrificium peragendum corpus lavant, nullus Chriſtianorum committet, ut aquas adeat.

Niſi illi habeant ritum ſuperſtitioſum circa electionem illius temporis.

At neque nobis, neque Chriſtianis interdictum putavimus, quo minus corpus ablueremus matutino tempore, verbi cauſa, quo Indi omnes omnium Sectarum corpus lavant, non ex Religione aliqua huic tempori propria; ſed quod horam illam opportuniorem judicent, ut eſt reipſa maxime opportuna in illis terris ad munditiem, & ubique terrarum ad valetudinem. Neque id damnari poſſet, quin ſimul vetus Eccleſia condemnata videretur: Corpus lava-

Poſſunt Chriſtiani lavare corpus manè, & ante comeſtionem: ita olim in veteri Eccleſia factū.

Sat. 2. lavabant manè Ethnici, & interdum non ſine ſuperſtitione Teſte Perſio, - Hæc Sancte ut poſcas Tyberino in gurgite mergis Mane Caput - ; Lavabant nihilominus illa hora Chriſtiani teſte S. Clemente; Quilibet, inquit, *Con. Apoſt. l. 8. c. 38.* Fidelis vir, mulierve ſummo mane excitatus à ſomno, antequam opus aggrediatur, totus oret.

Solent præterea Indi tum nobiles, tum plebei cujuſcumque Sectæ ſint, atque etiam Mahometani ante prandium, & interdum ante cænam corpus lavare: Neque hoc Chriſtianis, aut Miſsionariis interdictum voluiſse S. Sedem credimus: Id fuit in more pariter apud Romanos tum Ethnicos, tum Chriſtianos: Ait B. Clemens, vel quiſquis eſt auctor libri ſecundi Recognitionum, S. Petrum cum laviſset in *Hoc Statuto Chriſtianis omnino probiberentur lavacrorum uſus.* mari, cibum ſumpſiſse. Quod ſi tria illa tempora, quibus lavare ſolent omnes Indi, omnes omninò gentes, apud quas frequens eſt Balneorum uſus, Chriſtianis interdicantur, ecquando corpus abluere poterunt? An poſt cibum ſumptum; at nihil valetudini contrarium magis: An reliquo dici ſpatio? Nec ſic quidem certi eſsent, tunc non lavare Gentiles; cum nulla ſit hora diei, qua non multi, nunc hi, nunc illi corpus lavent: Omitto invidiam in Chriſtia-

nos

nos concitandam, ſi inutilem affectent ſingularitatem; nam quodnam maius incommodum eſt, ſi Chriſtiani eo tempore, quo Ethnici corpus abluant, quam ſi eodem tempore, quo Ethnici, comedant, dormiant, laborent, aliaque faciant? Majus eſſe non judicavit vetus Eccleſia, quæ nunquam ſimile quid obſervandum præſcripſit.

Idem de modo ſe ſe lavandi dicendum ac de tempore. Rejicit Gregorius XV. ritus circa modum, nempe ritus ſuperſtitioſos; geſticulationes v. g. quas Ethnici faciunt aquam ingrediendo, aliaque ſimilia; quæ ante ablutionem, vel in ipſa ablutione, vel poſt ablutionem inepte obſervant: Neque aliud velle ſuam Excellentiam credimus, licet abſolute interdicat modum Gentilium; parumque reverenter loqui cenſendus forem de D. Patriarcha, ſi dicerem voluiſſe eum aliquem novum corporis abluendi modum Gentilibus inuſitatum Chriſtianis invenire.

De modo lavãdi corporis idem dicendũ eſt, quod de tempore.

Vult tertio loco Illuſtriſs. Viſitator vetari à Miſſionariis horas, quibus Sanniaſes, ac Bramanes corpus lavant: Verum nullæ ſunt eorum propriæ; iis horis lavant, quibus reliqui omnes, ideſt, omnibus diei horis; cum liberum unicuique ſit, quam voluerit eligere.

Sanniaſes nullas habent proprias lavãdi corpus horas.

Si neq; ante, nec poſt fun. ctiones Sacras Miſſionaris licebit lavare corpus, nunquã licebit.

Ultimum hujus Statuti præceptum eſt, ut Miſſionarii, - quod etiam de Chriſtianis credo eſſe intelligendum -, nec ante, nec immediate poſt quamcumque functionem ſacram corpus abluant: In quæ Decreti verba admonuit Illuſtriſs. Patriarcha Decretum explicans, omiſſam fuiſſe ab Amanuenſi vocem aliquam, & eſſe legendum, quantum memini, immediate ante, & immediate poſt quamcunque functionem ſacram; quod quidem magis accurate dictum erit; non tamen Miſſionariorum neceſſitati multo magis accommodatum: quippe cum tota Miſſionarii vita ex ſacris functionibus, pauciſque vitæ neceſſariis contexta ſit, omne omnino corporis abluendi tempus Miſſionariis ſua Excellentia interdicit: Nam quà tandem horà diei ſe ſe abluere poterit? An mane? Nequaquam, quia ſtatim ad Sacrum Pænitentiæ Tribunal Miſſionarius pergit; ibique ad meridiem uſque perſtat: hinc ubi ſurgit ad ſacrum faciendum tendit; ſacrum inter & prandium non poterit, quia Miſſa ſacra eſt functio: poſt prandium, id jubere, idem foret, ac Miſſionarios enecare, cum nihil ſit valetudini contrarium magis: Aliquanto poſt Breviarium recitatur, Baptiſmus adminiſtratur, Confeſsiones excipiuntur, à quibus cum diſcedit, alta nox eſt. Ex quo

San-

Sanctitas Veſtra cognoſcet, ita conceſſam à S. Sede facultatem fuiſſe à ſua Excellentia reſtrictam, ut non tam limitata, & explicata, quam ſublata, & revocata videatur.

Sed quodnam tantum eſſet periculum ſi ante functiones ſacras Miſsionarii corpus abluerent? An ne videremur lavacrum illud adhiberi præparationis loco, ut à Gentilibus adhibetur? Periculum illud contempſit, aut aliter cavit vetus Eccleſia, quam SS. Patres nobis in exemplum proponunt. Faciat, quæſo, Sanctitas Veſtra, ut ipſi in mentem redeat ſacræ antiquitatis memoria: Quid ibi crebrius videbit, quam lavacra ante Orationem, aliaſque ſacras functiones à Chriſtianis adhibita; quamvis idem uſurparent tum Græci, tum Romani Ethnici: Id docet doctiſsimus Eccleſiæ Annalium Scriptor: *Naturalis, inquit, quidam inſtinctus docet, non niſi puros ad Deum accedendum eſſe, mundoſque Numini ſupplicare: Unde evenit, ut apud Gentiles quoque uſu receptum eſſet, ſæpius ſe aqua mundare, antequam Templa adirent, & Numina precarentur.* Id quoque à Chriſtianis obſervatum fuiſſe probat S. Clemens ſupra citatus, & Canon Apoſtolorum, qui idem dicit.

Ante functiones Sacras Chriſtiani veteris Eccleſiæ lavabant corpus; V.g. ante Orationem.

Ad an. 57. n. 88.

Ante ingreſsum verò Templorum corporis lotiones ab antiquis Fidelibus uſurpatas eſse teſtantur Scriptores, ii præſertim, qui circa Conſtantini tempora vixere, tunc cum Eccleſia liberius reſpirare cæpit. Euſebius nobile illud à Paulino Tyri Epiſcopo extructum Templum deſcribens, commemorat pro foris poſitam fuiſſe aquam ad corpus abluendum; verba ipſa Euſebii ſubjicio: *Deinceps fontes ex adverſa fronte Templi profluenti aqua redundantes poſiti, quibus omnes, qui in ſacros Templi ambitus introeunt, ſordes corporis abluant: Qui fontes Sacroſanta Baptiſmatis lavacra repreſentant: atque hic locus in quo ſinguli introeuntium primum ut ſe lavent, morantur; ſicut cuique ornatum & ſplendorem affert; ſic illis qui primis Fidei principiis inſtituendi ſunt, percommoda eſt ad acquieſcendum.*

Idem ante ingreſſum Templorū, præſertim ſi qui matrimonio uſi eſſent.

Hiſt. l. 1. c. 4.

Præſertim vero poſt matrimonii uſum ſolitos fuiſſe Romanos Chriſtianos balneo uti, auctor eſt S. Hieronymus, & docet S. Gregorius Magnus: *Vir, inquit, cum propria conjuge dormiens, niſi lotus aqua intrare intra Eccleſiam non debet .... Quamvis enim hac de re diverſæ hominum nationes diverſa ſentiant, atque alia alii cuſtodire videantur, Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem*

Ep. 50.

R. 10. ad int. S. Aug.

tionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paulum reverenter abſtinere: Idem ipſe Sanctus confirmat in Dialogis. *L. 1. c. 10.*

In Hiſpania præterea conſueviſſe capita Catechumenorum ablui antequam ad Baptiſmum accederent, conſtat ex S. Iſidoro qui ait Dominicam Palmarum vulgo dictam fuiſſe Capitalavium, eo quod in ea die capita Competentium lavarentur, & hoc modo ad Baptiſmum præpararentur. Ea omnia lavacra cum ante ſuſceptionem Sacramentorum, ante ingreſſum Eccleſiæ, ante Orationem fierent in Eccleſia veteri, tunc cum Chriſtiani vivebant inter Ethnicos lavacris pariter utentes ante Orationem, ante ingreſſum Templorum, probant adhuc fieri poſſe in Indiis ſervatis ſervandis; cum nulla aſſignare ratio poſſit, ob quam in Indiis id magis periculoſum ſit, quam olim in Eccleſia foret. *L. 1. de off. Eccl. c. 2. apud Vaſq. de Bapt.* *Catechumeni ante Baptiſmum lavabant caput.*

Vetat Illuſtriſs. Viſitator non ſolum ut Miſſionarii lavacris non utantur immediate ante ſacram quamcunque functionem, ſed etiam immediate poſt; quod quidem ſatis admirari nequeo: nec explicite, nec implicite id Bulla Greg. XV. prohibet: nam quamvis daretur interdici tempus omne, quo Gentiles ſolent ſe ſe abluere, *Nulla ratio vetat, ne poſt functiones ſacras corpus Miſſionarii abluant.*

re, in eo non comprehenderetur tempus, quod ſacras functiones excipit: Nunquam enim Ethnici corpus lavant immediate poſt aliquam functionem, quam putant eſſe Sanctam; id quod ſi facerent, exiſtimarent contractam bono opere Sanctitatem aquà profluente aſportatum iri. Quod ſi in contraria opinione fuit D. Patriarcha, erit ille articulus unus ex iis in quos dixi obrepſiſſe falſum ex pravis relationibus hominum in Indiæ uſibus minime verſatorum; probabitque id quod dicebam ſub hujus operis initium; non omnia cognita fuiſſe ex Miſſionariis; non fuiſſe eoſdem ſuper omnibus Decreti partibus fuſe auditos, aut plus aliis teſtibus fuiſſe creditum. Quod ſi ſcivit ſua Excellentia nunquam ſolitos eſſe Indos poſt functiones ſacras ſe ſe abluere, neſcimus quam potuerit habere cauſam iſtud prohibendi. Quo ſe Miſſionarii vertent, ſi illis æqualiter prohibetur, ne id faciant, quod Idololatræ ſolent, & contra quam Idololatræ ſolent: In Europa ſi Sacerdos aliquis poſt ſacram functionem Balneum ingrediatur, nullà id lege ei prohibetur, modo abſit irreverentia aliqua ex circunſtantiis. Petimus ſupplices à Sanctitate Veſtra, ne ſinat Miſſionarios tam iniqua conditione eſſe, ut quod in Europa ſine ulla peccati labe, & ſuſpicione facere

Forte putavit D. Patriarcha Gentiles eo tempore uti lavacro.

Quam iniqua ſit Miſſionariorum cõditio, quibus ſub CE. ſuris vetentur res adeo innocuæ.

facere poſſent, in Indiis, ubi ferunt pondus diei, & æſtùs, etiam cum nulla adeſt ratio particularis, ſub pænis Eccleſiaſticis facere prohibeantur.

CAPVT XV.

Verba Decreti.

CIneres utique ex Vaccæ ſtercore confe-ctos, & impiam Gentilium Pænitentiam à Kutren inſtitutam redolentes benedicere, eoſque fronti Sacro Chriſmate delinitæ impingere; ſive alia quæque ſigna albi, vel rubri coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſſime in fronte, vel in pectore, vel in alia corporis parte utuntur, deferre prohibemus: mandantes ut S. Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi, ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam religioſe ſervetur, tempore, & modo ab Eccleſia præſcripto; ſcilicet Feria quarta Cinerum, & non alias.

Statutum de Cineribus fronti non imponendis.

Ob-

Obſervationes.

NI jam ex iis quæ ſupra Sanctitati Veſtræ expoſui, conſtaret, multa in hoc Decreto tanquam ſuperſtitioſiſſima damnari, quæ propius conſiderata nihil habent, niſi innocuum, timerem ne primus hujus articuli conſpectus ita Sanctitatis Veſtræ animum offenderet, ut ne dignaretur quidem ſuper eo Miſſionarios audire. At ſi Illuſtriſſimorum Indiæ Præſulum teſtimonia perlegere Sanctitas Veſtra voluerit, facile perſpiciet, in uſu quotidiano Cinerum apud Indos uſitato, non tantum eſſe veneni, quantum ex Decreto poſſet æſtimari. De illo uſu ſic ad Sanctitatem Veſtram ſcribit Reverendiſs. Indiæ Primas: *Tertium vulnus eſt uſus Cineris: hanc ceremoniam in ſignum pænitentiæ, & humanæ fragilitatis Sacra proclamat Scriptura: ideo namque S. Mater Eccleſia in die Cinerum hac utitur ceremonia: Oh utinam omnes Chriſtiani ſui eſſe fragilitatem meditantes hac uterentur ceremonia! hic enim uſus ſecum deducens maximam pietatem, nullam, adhibitâ benedictione Sacerdotali, ut mos eſt, habet ſuperſtitionem, nec Gentilitatis ſaporem.*

Quid de illo uſu ſentiant Reverendiſs. Indiarum Epiſcopi.

Illu-

Illuſtriſ. Cranganorenſis poſtquam expoſuit quanta mala ſecutura eſſent ex ingreſſu Miſſionariorum in Parearum domos, deſtructum nempe iri Miſſiones florentiſſimas; tot millia animarum in illis Regnis ad Fidem Chriſtianam converſarum; ſpirituale damnum irreparabile eſſe paſſura; & oſtium Infidelium converſioni clauſum iri, hæc addit; *Haud aliter eventurum eſſe judicamus, ſi Neophytis probibeatur uſus quotidianus Cineris benedicti pluſquam ſexaginta retro annis à prædeceſſore noſtro Illuſtriſ. D. D. Stephano de Britto Cranganorenſi Archi-Epiſcopo, & illius Chriſtianitatis Prælato jam admiſſus, ac conceſſus; expurgato quolibet fine ſuperſtitioſo, in ſignum pænitentiæ, & finalis judicii: præcipue cum in tali uſu nec minima ſuſpicio mali ab Ethnicis concipiatur.*

Illuſtriſ. Maliapurenſis ſic teſtatur: *Uſus Cinerum adeo inductus eſt in iſta Regna à tempore immemorabili, & Malabares adeo tenaciter adhærent huic conſuetudini, ut contrarium illis videatur indecentia, impolitia, & inurbanitas: Idcirco Illuſtriſ. D. D. Stephanus de Britto Archi-Epiſcopus Cranganorenſis ex commiſſione Suæ Sanctitatis poſt maturum examen conceſſit Neophytis uſum quotidianum Cineris*

benedicti, finem illi commutando in ſignum pœnitentiæ, & univerſalis judicii.

Ut de quotidiano Cinerum uſu, deque aliis rebus hoc articulo comprehenſis Sanctitati Veſtræ rationem reddam, exponam primo quæ ſit Cinerum neceſſitas; ſecundo ex qua materia fiant; tertio an eorum uſus ſit contra externam Fidei profeſſionem; quarto an ſcandalum præbeat; quinto an aliunde dedeceat; 6. an poſſint extra ſolitum Eccleſiæ tempus benedici; ſeptimo de aliis ſignis albi, & rubri coloris agam, quæ pariter à ſua Excellentia in hoc Statuto prohibentur: & quamvis multa proponam examinanda, conabor hìc eſſe brevis.

Diviſio obſervationũ in hoc Statutum.

§. I.

IIs, quæ de iſtius uſùs neceſſitate dicunt Illuſtriſs. Indiæ Præſules, hìc unum addam, quod ſi iſte articulus obſervetur, tum quoad Cineres, tum quoad ſigna albi, & rubri coloris, impoſſibile futurum ſit, ut Chriſtiani, ac Miſſionarii perſecutionibus quotidie graſſantibus remedium ullum afferant: Quid ita? Quod nempe illæ perſecutiones non aliter poſſint placari, quam Principes, Reges adeundo, eos alloquendo, & muneribus devinciendo: id autem

Interdictis iis omnibus quæ hìc vetat Illuſtriſs. Patriarcha, placari nequeunt perſecutiones.

tem

tem nequaquam facere poterunt Chriſtiani; eò quod ſumma ſit ruſticitas, & inurbanitas ſe ſe alicui Principi Viro ſiſtere, quin frons vel tegatur Cineribus, vel aliquo alio ſigno albi præſertim, aut rubri coloris, nempe Sandalo ligno obtrito, & fronti inuncto: quam ob rem ſi ſine illo ornatu alicui viro in dignitate conſtituto ſe Chriſtianus offerat, ut vir ſordidus, & communis vitæ inſcius amandabitur.

Quod ſi Ethnici reſciant Cineres, aliaque ſigna à Chriſtianis veluti ex præcepto ſuæ Religionis rejici; non modo Chriſtianus, qui ad Principem, Principumque Miniſtros aditum quæreret, non admitteretur, non modo non audiretur, ſi de aliqua perſecutione avertenda tractaret; Sed hoc ipſum ſatis foret ad perſecutiones in Chriſtianos excitandas, donec tolleretur Religio conſuetudinum Indicarum adeo inimica.

Immo excitabuntur nova.

Cineris vero particulatim ſumpti neceſſitas ex eo petitur, quod non omnes poſſint uti Sandalo utpote pretioſiori; alterutro tamen Sandalo nempe vel Cineribus, vel aliquo alio ſimili ſigno non poſſunt carere, quin homines inculti, ſordidi, impoliti habeantur; non quod ea perpetuo fronte geſtent omnes, ſed quod ſæpius uti cogantur; præſertim in occaſioni-

Cineres neceſſarii ſunt, quia Sandalo pauci uti poſſunt.

bus, quibus decenter apparere neceſſe eſt; ut ſi adeundus ſit Vir aliquis gravis, & authoritate fulgens; ſi in aliquem hominum cætum ſit veniendum; tunc niſi frontem habeant, eo quo dixi modo ornatam, ut omnis decori immemores redarguentur: Quam ob rem aut Sandalo utantur neceſſe eſt, quod pauciſſimi ob inopiam comparare poſſunt; vel Cineribus, qui magis ſunt parabiles. Intereſt igitur ſummopere, ut perſecutiones non excitentur, ut placentur eædem poſtquam excitatæ ſunt, & ut Chriſtiani inter ſuos honeſtè poſsint vivere, & agere, quotidianum Cinerum uſum non prohibere, ſi vitioſus non eſt, ut ſpero me demonſtraturum, ſi prius oſtendero ex qua materia fiant.

§. II.

Dubium an omnes, an ſolum ex Vaccæ fimo confecti Cineres prohibeantur.

D. Viſitator hujus Statuti initio mentionem facit Cinerum ex Vaccarum fimo confectorum; at ita de illis loquitur, ut non facile quis dixerit, an ejuſmodi tantum Cineres vetet, an vero omnes omnino Cineres vetans, omnes ex illa materia factos eſſe ſupponat; Sic enim habet; *Cineres utique ex Vaccæ ſtercore confectos ... prohibemus*. Hoc dubium cum ul-

tima

tima nocte ſuæ Excellentiæ proponerem, dixit ſtatim P. Quidus Tachard, manifeſtum eſſe, quod non alii Cineres à ſua Excellentia prohiberentur; illudque reſponſum ſuo ſilentio approbare D. Patriarcha viſus eſt.

Si is eſt Decreti ſenſus, quamvis hoc Statutum minime neceſſarium putemus, quia tamen obſervari poteſt, ei non vehementer obſiſtemus: Dixi minime eſſe neceſſarium; neque enim plus myſterii illis Cineribus eſſe putant Indi, quam reliquis communibus. Aiunt quidem retuliſſe aliquos ad Illuſtriſs. Patriarcham, colligi ab Infidelibus illum Boum fimum in Feſto quodam dicto *Ponguel*, & redigi in Cineres, quos toto deinceps anno aliis admiſceant Cineribus: At hoc fabulam eſſe Puducherii inventam jure jurando affirmant ad hujus operis calcem Indigenæ Catechiſtæ, quos ego, cum nunquam de hoc ritu audiverim, poſt D. Viſitatoris diſceſſum de hac re nominatim conſului.

In Cineribus ex Vaccæ ſtercore confectis nō plus myſterii, quam in aliis.

Ut verò Cineribus illis ex fimo factis aliquando utantur, ſequentes cauſæ faciunt: prima cauſa eſt neceſſitas, præſertim in certis illorum Regnorum Provinciis, ubi cum ligni ſit penuria, cum ligno ad ignem adhibetur paleis mixtus, & exſiccatus ille fimus: Secunda cauſa,

Cur adhibeant Indi Cineres ex Boum ſtercore.

ſa, cur ipſi Gentiles illis lubentiùs, quam aliis utantur, eſt quod illi Cineres ſint reliquis candidiores, & fronti tenaciùs inhæreant; ita ut meo quidem judicio non plus Religionis in eo interveniat, quam in alia Indorum conſuetudine oblinendi ejuſmodi fimo diluto parietes, & pavimenta domorum: quod ornamenti genus, ſi Europæis fætidum videtur, & ineptum, aliter judicant, qui viderunt.

Videtur ſupponere Illuſtriſs. Patriarcha Indos uti ſolum Cineribus ex Boum fimo factis; quod ei non expoſuere Miſſionarii.

Quod ſi mens Illuſtriſs. Patriarchæ fuit, quotidianum cujuſcumque Cineris uſum interdicere, non videmus quid cauſæ fuerit, cur diceret, *Cineres utique ex Vaccæ ſtercore confectos prohibemus*: Exiſtimavitne ſua Excellentia non alios Cineres adhiberi à Gentilibus, vel à Chriſtianis? Non id dixit P. Venantius Bouchet, neque in Tractatu ſuæ Excellentiæ oblato ſuper iſto Indorum uſu tale quid loquitur: neceſſe eſt id ex aliis teſtibus compererit ſua Excellentia; ſed teſtibus parum peritis, & fidis; cum notiſſimum ſit, & Fideles, & Infideles obviis quibuſque Cineribus vulgo uti: Verum æquis rerum æſtimatoribus non magni momenti videbitur, an ex Boum fimo, an ex ligno fiant Cineres: caput rei eſt, an uſus illorum Cinerum ex quàcumque materia fiant, ſit contra virtutem Religionis; quod nunc tertio loco expendendum venit.

§. III.

§. III.

SVpervacaneum puto dicere Chriſtianos Cineribus non uti in honorem *Rutrenis*, aut alterius cujuſcumque falſi Numinis, quod impietas manifeſta foret: Abſit ut quiſquam ſuſpicetur, Chriſtianos adeo parum Chriſtianos eſſe, aut Miſsionarios talem abominationem pati: Videndum igitur utrum iſte uſus ſit contra externam Fidei profeſsionem: quod ut melius perſpiciatur, neceſſe eſt illius conſuetudinis originem explorare, & attendere deinde quinam, & quà ratione Indi eà utantur.

Chriſtiani Cineribus utentes non peccant contra externā Fidei profeſſionem; aut Religionis virtutē; nec etiam contra internam.

Ait D. Patriarcha Cineres fronte geſtatos impiam Gentilium pænitentiam à *Rutrene* inſtitutam redolere: Poſſet hìc moveri quæſtio, an ejuſmodi pænitentiæ ritus fuerit à Rutrene inſtitutus? Si conſulamus Indorum libros, quibus eorum ſuperſtitioſa commenta traduntur *Xadùr Vedam*, *Xamma Vedam*, *Raccu Vedam*, & alios, reperiemus, famoſos quoſdam Pænitentes Pſeudo-Deo Rutreni ſuaſiſſe ad expiandum raptum, & adulterium ab illo commiſſum Cineribus ſe cooperiret; Cineribus, inquam, non ex Vaccarum fimo, ſed ex Cadaveribus humanis facto: ita ut illius ritus inſtitutores

Ex libris Indorum Rutren non inſtituit, ſed ab aliis accepit unum Cinerum in pænitentiæ ſimbolum.

res

res dici debeant potius Pænitentes, quam ipſe Rutren, ſi res ex fabula æſtimetur.

Mahometani Faquires contendunt, ſe eſſe uſus illius authores.

Mahometani illam originem negant, & contendunt à ſua Secta ad Indos manaſſe Cinerum uſum; id quod apertè declararunt menſe Aprili anni 1703. in celebri quodam cætu habito ad Civitatem *Canjiburàm*, in quam convenerant varii ex variis Sectis Magiſtri; aderatque P. Venantius Bouchet, quo audiente Faquires Mahometani dixere, fuiſſe in Indias inductum à Mahometanis Cinerum uſum; quamobrem, inquiebat unus eorum compellans Idololatras, aut deinceps abſtinete à Cineribus, aut eos in veræ pænitentiæ ſignum adhibete.

Re ipſa uſus ille ab Hebræis manat

Non eſt vero abſimile quod dicebat Mahometanus: At illud multo certius, & Mahometanos, & omnes Gentes illud pænitentiæ ſimbolum mutuatos eſſe ab Hebræis; apud quos in uſu fuiſſe primis temporibus exemplum Jobi, Thamar, Eſther, Ninivitarum abundè docet: neque opus erat, ut à Mahometanis in Indias induceretur; cum enim conſtet Indos à Judæis multas hauſiſſe conſuetudines, ipſamque Religionem, quam innumeris fabulis Poetæ mirum in modum deformarint; multo veriſimilius eſt, hunc quoque Cineris uſum ex ſua

origine

origine bonum ; ac Sanctum ab Hebræis de-rivari.

Nunc ſi attendamus quem ad finem referatur uſus Cinerum ab Indis; diſtinctione aliquà opus erit; primò Idololatras, quos *Xiviniſtas* vocant, quique ſunt Rutrenis, ſeu, quod idem eſt, Xivenis cultores, ſæpe in Rutrenis honorem Cineribus uti, non nego; tunc vero in primis ſuperſtitiosè utuntur, quando totum corpus nudatum Cineribus tegunt, quamquam iſtud raro evenit, ſicque Cinerati ad Fana ſua ſupplices pergunt, aut cum duodecim corporis partes iiſdem Cineribus ſignant, id quod aliquanto communius; denique cum Cineribus à ſuo Magiſtro ſuperſtitioſo ritu benedictis frontem, pectuſque inſigniunt.

Xiviniſtæ, ſeu Rutreniſtæ utuntur Cineribus in honorem Rutrenis.

Alia eſt in Indis percelebris Secta Idololatrarum, quos *Vixnuvitas* vocant, qui ſunt Xivenis, ejuſque Sectæ inimiciſſimi: Felix illa Secta, & ille Deus, cujus in Caſtris Princeps reperitur; videt ſæpius æmuli ſui Templa corruere. Utuntur Vixnuvitæ Argillà Cinerum loco; non tamen infrequens eſt videre qui Cineribus utantur: Hi certe fingi non poſſunt Cineres geſtare in memoriam pænitentiæ à Xivene factæ, cum jurata exerceant odia in Xivenem, Xivenis ritus, Xivenis Templa, & quid-

Anti-Xiviniſtæ ad alios fines nempe ad ornatum.

quid ad fictum illud numen pertinet. Quo ergo fine iſti Xiveniſtæ in ritu, & in corde Vixnuvitæ fronti Cineres imponunt? Ad ornatum: Unde ſi Rex aliquis Cineribus utatur potius, quam Argillà, alii quoque illis utuntur; quin ideo deſinant immortali odio Xivenem proſequi.

Athei, & Nhanes utuntur Cineribus non in cultum Rutrenis.

Non alium ob finem Cineribus utuntur Athei, qui Rutrenis, aliorumque Deorum fabulas, cultumque irrident: neque enim dici poſſunt, eo ritu velle ſe Deum illum colere, quem contendunt impiè, & ineptè coli. Idem dicendum de Secta Nhanum, ſeu Spiritualium Monotheorum, qui Rutrenem, ejuſque ritus abominantur; & in illo Cinerum uſu nihil ſibi proponunt, niſi decentem corporis ornatum. Ad quem finem eundem uſum referant Faquires, ſeu Pænitentes Mahometani jam ſupra memoratum eſt, nempe in ſignum pænitentiæ, quo verus Deus placatur.

Chriſtiani illis utuntur ob finem maxime Chriſtianū ab Ordinario præſcriptum.

Chriſtiani dum Cineribus utuntur eos ad finem referunt præſcriptum ab Illuſtriſs. D. Stephano de Britto Archi-Epiſcopo quondam Cranganorenſi, qui in declaratione ſuper ea re facta permittit Chriſtianis uſum quotidianum Cinerum ad memoriam infirmitatis humanæ, & univerſalis judicii; cujus ſeveritas per pæni-

tentiam prævertenda eſt. At quid obſervant Chriſtiani in illo Cinerum uſu, an eos ab obviis quibuſque oblatos fronti illinunt, nihil interrogantes propter conſcientiam? Ita forte poſſent facere, ut in cibis macelli conceſſit Apoſtolus eo tempore, quo teſte Auguſtino, *Omnis immolatitia caro in macello venundabatur, & de primitiis vini libabant Gentes Simulacris, & quidam in ipſis torcularibus Sacrificia faciebant*. Verum ut magis adhuc ab omni ſpecie mali recedant, nullos omnino Cineres admittunt ab Infidelium manu: & ſi quis contra fecerit, id veluti grande piaculum in confeſſione tremebundus aperit: Si vero alias, quam Confeſſionis via, culpa illa Miſſionariis innoteſcat, tunc Chriſtianus frequenti Eccleſia reprehenditur, & ad tempus aliquod arcetur ſacris; donec facta pænitentia ſcandalum datum reparaverit.

I. Cor. 10.

In exp. inč ch. Ep. ad Rom. c. 8.

Non latet Ethnicos Chriſtianis ſuos eſſe peculiares Cineres, nec alios admittere: hinc ſi in aliquo cætu, ubi Gentilibus Chriſtiani mixti ſint, Infidelis aliquis de more Cineres offerat, aut ſatis novit, aut ſtatim ab adſtantibus admonetur, prætermittendos eſſe Chriſtianos, ni velit turpem repulſam pati: Eandem ob cauſam cum Ven. P. Joanni de Britto oblati

Non accipiunt illos à Gentilibus.

 eſſent

eſſent Cineres, non prius illis uti voluit, quam ipſe iis benediceret; quod vix facere cæpit, cum gravi alapà percuſſus eſt.

Chriſtiani ex Cinerum uſu indicari nequeunt illius Idoli cultores; quia à variarum Sectarum hominibus adhibetur.

Cum is ſit in India uſus Cinerum, facile eſt judicare, an ſit contra externam Fidei profeſſionem: Ex regulis Theologiæ illud eſt contra externam Fidei profeſſionem, ex quo prudenter aliquis judicari poteſt, aliquem cultum Idolis exhibere: poteſtne prudenter in Indiis judicari, eum, qui Cineres fronte gerit, in honorem Rutrenis id facere; in Indiis, inquam, ubi notiſſimũ eſt, & Nhanes Monotheos, & Atheos, & Faquires Mahometanos, & Chriſtianos, & ipſos aliquando Vixnuvitas Cineribus uti, & tamen Rutrenis eſſe juratos hoſtes, ab ejuſque cultu alieniſſimos? Dico id neminem niſi imprudentiſſime judicaturum; ac proinde nihil omnino contra externam Fidei profeſſionem iſtum uſum habere.

Hoc argumentum, quo hìc utor, & quo in Teſſera nuptiali defendenda uſus ſum, ejuſmodi eſt, quod jam ſemèl Indicarum quæſtionum occaſione apud S. Sedem Fidem invenerit: Dubitabatur, utrum memorata jam fila in Indiis uſitata, quæ baltei inſtar geruntur, eſſent contra Fidem? Idem quærebatur de uſu frontis Sandalo inungendæ? Idem de quodam Ca-

pillo-

pillorum longiori Cincinno, quem Corumi-num vocant? Sciebatur in illis rebus aliquam ſuperſtitionem à nonnullis committi; uti patet ex ipſis Bullæ verbis, quibus illa ſuperſtitioſa reſecantur: Ubi tamen cognitum eſt, ea inſi-gnia à variis variarum Sectarum hominibus, Atheis, Nhanibus, ipſiſque interdum Mahometanis geſtari; intulit, diffinitque S. Sedes, ſublatis privatæ ſuperſtitionis ritibus, nihil habere contra Fidem. Confidimus, Beatiſſime Pater, hoc argumentum non minus in hàc Cinerum, & Teſſeræ nuptialis causà ponderis habiturum; cum iſta inſignia non minus à variarum Sectarum hominibus uſurpentur, quam illa priora, quæ S. Sedes ad faciliorem reddendam Ethnicorum converſionem permiſit. Quod ſi non valeret illa regula diſtinguendi, quænam ſint contra externam Fidei profeſſionem, quænam non ſint; novæ regulæ tradendæ Miſsionariis forent ad id ſecernendum; eſſentque comburenda omnia Theologorum volumina, quæ unanimi conſenſu eam regulam tradunt, non eſse contra Fidei profeſſionem, quod à variis, diverſiſsimis, pugnantibuſque inter ſe Sectis, vario fine geſtatur.

Illud argumentum Theologicũ à Sãcta Sede iam receptum.

Quam ob rem ſi quis Chriſtianus ad Fidem

ſuam

Scitur in India tota Chriſtianos uti Cineribus eſſeque Idolorum hoſtes infenſiſſimos.

ſuam perſecutionum tempore occultandam Cineribus uteretur, iis, quas aſsignavi, cautionibus, ſane non poſſet ex eo uſu prudenter judicari Idololatra: Verum Cineribus nequidem ad eum finem utuntur Chriſtiani, nec ad eum finem poſſunt adhiberi; cum tota India vix quiſquam ignoret, ſuos eſſe Chriſtianis Cineres, quod unum ſatis foret, ut intelligeretur, eos Cineribus non uti in Rutrenis honorem: Nam quis in India neſcit Chriſtianos Rutrenis, Idolorumque omnium eſse inimiciſsimos; eos nihil aliud, niſi Idololatriæ excidium meditari; ab iis Idola omnia Dæmonia appellari: Quoties Idololatræ Ethnicos Principes, Regeſq; adeunt, ad conquerendum partim verè, partim falsò, quod ſua Templa jam deſerta ſint, quod Numina irrideamus, quod ſimulacra in ingreſsu Templi defodiamus, ut à Chriſtianis introeuntibus conculcentur. Hæc in India adeo ſunt de Chriſtianis pervulgata, ut nemo ſciens aliquem eſse Chriſtianum, videnſque eum uti Cineribus exiſtimaturus ſit, id ab illo in Rutrenis cultum fieri; niſi forte ex aliquo adjuncto ad id credendum impelleretur; veluti ſi admonitus Cineres, qui ei offeruntur, eſse à Xiviniſta conſecratos, eoſque in Rutrenis honorem fronti imponere juſsus, obediret: Sed, uti

jam

jam obſervavi, id Chriſtiani ſi facerent, pænitentiam debitam pro tam gravi ſcelere ſubire compellerentur.

§. IV.

AT num forte ille uſus Cinerum aliquod ſcandalum præbet proximo? Omnino nullum: Nam ſi ſcandali nomine intelligatur, uti debet, occaſio ruinæ, vel peccati proximo data, non video, cui Cineres occaſio eſse poſſit vel leviſsimi peccati; Scio eſse potius occaſionem multarum virtutum exercendarum iis, qui animo Chriſtiano illos adhibent, nempe ad recordationem mortis, & extremi judicii: Unde merito Illuſtriſs. Indiæ Primas ait, optandum fore, ut Cineribus ſæpe uterentur Chriſtiani ad vilitatem ſuam, omniumque rerum periturarum cognoſcendam; maximamque ab illo uſu deduci pietatem. At quàm multis peccandi occaſio foret, & quàm gravium ſcelerum committendorum Cinerum prohibitio, ſive Chriſtianis, ſive Gentilibus; Chriſtianis, qui cùm vix poſsint ſine Cineribus in publicum prodire, præceptum illud tam difficile malà conſcientià violarent; Gentilibus vero, qui inde occaſionem arriperent, Chriſtianam Religio-

Vſus Cinerum nullis peccatis dat occaſionem; daret plurimam illius prohibitio.

gio-

gionem blaſphemandi, & ea graviſsima peccata committendi, quæ Religionem perſequendo patrare ſolent.

Si vero ſcandali nomine intelligimus tantum offenſionem aliorum exiſtimantium proximos in aliquo peccare; tale ſcandalum nullum erat: Cum enim ſinguli Chriſtiani bonà conſcientià, ſanctèque illos Cineres adhiberent, ſciebant ab aliis eodem modo adhiberi. Ab Ethnicis verò, uti Illuſtriſs. Cranganorenſis teſtatur, in tali uſu nec minima mali ſuſpicio concipitur. Ipſimet Europæi in Indiis degentes eo uſu non offendebantur; videbant eum ab omnibus Miſsionariis permitti, non ſolum à Patribus Societatis JESU, ſed etiam ab omnibus aliis Oram maritimam excolentibus; videbant eos geſtari, ſcientibus, ſpectantibuſque Præſulibus, qui non modo id non prohibuere, ſed permiſere; non modo Sacramenta non juſserant negari Cineres illos geſtantibus, ſed ipſimet eis Sacramenta conferebant; id quod etiam Illuſtriſs. Patriarcha fecit, Sacro Chriſmate ungens Chriſtianos, quos in fronte Cineres geſtare ſciebat, ungens, inquam, antequam id illis interdixiſset. Profectò ſiquis Europæus talia ſciens, eo uſu offenderetur, iniquiſsimus foret, qui malam in partem acciperet,

Nullum ſcandalum præbebat talis uſus.

ret,

ret, quod poteſt in bonam accipi; multumque ſibi tribueret, qui non dubitaret eos judicare, Epiſcopos dico, quos ipſi Deus judices poſuit.

Atque utinam Europæi ipſi non maiora præberent Indis ſcandala, quam ipſis Indi: Cum dico ſcandala præberi ab Europæis, non loquor ſolum de conſuetudinibus quibuſdam noſtris, quæ Indis turpiſſimæ videntur, ut eſt in Templis ſpuere, in ea calceatos ingredi, quod Indi judicant eſſe contra reverentiam Templis debitam; & quod tamen non ideo Europæis in India degentibus Sanctitas Veſtra prohibendum judicabit: Sed loquor de magnis, teterrimiſque vitiis, juramentis, blaſphemiis, furtis, quorum vitiorum exempla ab Europæis data plus interdum ad Chriſtianos Indigenas corrumpendos, & Infideles à Religione avertendos valent, quam conatus noſtris ad eos convertendos.

Utinam Europæi non graviora ſcãdala Indis darent.

§. V.

SOlet Illuſtriſs. Viſitator in hiſce rebus, quæ aliquam habent cum Ethnicorum conſuetudinibus ſimilitudinem reprehendere, quod Chriſtianos dedeceant: idque forte ſua Excel-

Chriſtianos non ita dedecet uſus Cinerum ut ſit prohibẽdus.

 lentia

lentia ſignificatum vult, cum ait, Cineres redolere impiam Gentilium ſuperſtitionem: apertiùs verò cum prohibet, eos fronti Sacro Chriſmate delinitæ impingere. Verum ſi illud omne prohibendum eſt, quod eo modo Gentilium ſuperſtitionem redoleat, ideſt, quod ſuperſtitioſe ab Idololatris adhibetur, ſequeretur profecto, juxta laudatum jam Auguſtinum, Chriſtianos, præſertim Indos, rebus ad vitam neceſſariis, ipſiſque quatuor Elementis uti non poſſe: Non licebit Orizà uti, quæ toti Indiæ panis vicem præbet, eò quod Orizam ſic venerentur Ethnicorum illorum plurimi quaſi ipſum Deum, quo mortales vivunt; Non licebit aquà uti, quam aiunt eſſe figuram omnium Deorum; nec igne, quem adorant; nec Butyro, quod eſſe Dei Semen exiſtimant; nec lacte, quia volunt eſſe Deorum nectar; nec auro, quod à Deo *Brummà* ortum prædicant; nec Panno albo, quia aiunt effigiem habere Deæ Lunæ, nec gemmis, nec floribus, quæ ſomniant eſſe Deorum ſtemmata; nec litteris, nec ſcientiis, quas aiunt eſſe Deam ipſam *Parà Xatì*; nec monetis, quibus impreſſa ſunt Deorum ſimulacra; non licebit comedere, & quod vix pudor dicere patitur, non licebit matrimonio uti, & excrementa egerere, quod nihil horum

Ep. ad Public.

Alioquin prohibenda forent fere omnia ad vitam neceſſaria.

horum ſine multà ſuperſtitione ab Idololatris fiat: Sic apud Indos vanitati creatura ſubjecta eſt, non volens; Sic ingemiſcit, & parturit, uſque adhuc expectans donec liberetur à ſervitute corruptionis in libertatem filiorum Dei. Rom. 8.

Miſſionarii in iis rebus poſita à D. Paulo de Idololatris præcepta ſecuti, cavent primùm, ne aliquid Chriſtiani faciant, quo lædatur Fides; ut ne cum malà conſcientià rebus illis utantur; ut ne ſcandalum aliis præbeant: quæ ubi caverunt, dicunt poſt Apoſtolum: *Scimus quia nihil eſt Idolum in Mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus*: Vel cum S. Auguſtino docent, *Illud eſſe probibitum ne in bonorem alienorum Deorum aliquà re utamur, aut uti exiſtimemur, ſic ea accipiendo, ut quantumvis animo contemnamus, eos tamen, qui noſtrum animum ignorant, ad bæc bonoranda ædificemus: Cæterum Olus, vel quemlibet fructum in quolibet agro natum ejus eſſe, qui creavit; quia Domini eſt terra, & plenitudo ejus, & omnis Creatura Dei bona eſt.* 1. Cor. 8. *Regulas S. Pauli, & Aug. in iis rebus ſequũtur Miſſionarii.* *Ep. ad Public.*

Eà D. Pauli, & D. Auguſtini regulà obſervatà, exiſtimamus uſum rerum illarum, quibus impie Ethnici ad ſuas ſuperſtitiones abutuntur, Chriſtianos, licet Baptiſmo, Sacriſque

 Un-

Unctionibus ſanctificatos minime dedecere: & ita vetus omnis Eccleſia cenſuit: Ab Ethnicis militibus nec ſine ſuperſtitione geſtabatur Laurea Corona; non ideo frontem Sacro Chriſmate inunctam dedecebat: Thiara quondam Ethnici Pontifices in prophanis ſuis miniſteriis utebantur; non ideo Auguſtam frontem, totieſque conſecratam Romanorum Pontificum dedecet: Mitrà Ethnici utebantur; non ideo Epiſcoporum frontem commaculat: Ab Ethnicis Antiſtibus geſtabatur Pileus; non ideo Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos dedecet Pileus, qui ſit Sacrarum illarum dignitatum inſigne.

Vſus Cinerum non dedecet frontem Sacro Chriſmate delinitam. Spond. an. 34.

Iſid. Ethy. l. 7. c. 12.

Quid de cæteris ornamentis dicam, quæ licet ſuperſtitioſe ab Ethnicis geſtata, ſine labe à Chriſtianis aſſumebantur? Togam quanta ſuperſtitione aſſumebant Ethnici; an ideo Chriſtiani minus illam induebant? Barbam admixtà multà ſuperſtitione prima vice tondebant Ethnici; an ideo radere barbam Chriſtiani omiſere? Non durat ſuperſtitio in Aquila, quæ erat Imperatoriæ dignitatis inſigne; an ideo Imperatores Chriſtiani eam non retinuere? Superſtitioſe Ethnici ad fundendas preces verſus Orientem ſe ſe convertebant; An ideo minus

Niſi veteris Eccleſiæ Chriſtianos dedecuere multa, quæ tunc permiſſa ſunt.

Apo-

Apoſtoli tradidere, ut Chriſtianì oraturi ad Orientem ſe ſe converterent? Quæ omnia, aliaque multa Chriſtianos dedecuiſſe cenſenda forent, ſi Chriſtianos Indos Cinis fronte illitus dedecet; aut ſi innocuè illa à primis Chriſtianis uſurpabantur, innocuè quoque à Chriſtianis Indis Cineres adhiberi fatendum eſt; cum vix quidquam ad veterum Criſtianorum defenſionem dici queat, quod non ad defenſionem quoque Indorum dici poſſit. Hæc omnia ſi D. Viſitator paulo maiori otio, ſemotiſque præjudiciis conſiderare voluiſſet, confidimus non ita facile damnaturum fuiſſe Cineres veluti Rutrenis cultum redolentes. Verum de iſto uſu ſua Excellentia Romæ audierat, ut ipſemet candide affirmavit; & ſtatim ab adventu ſuo demonſtravit eum ſibi vehementer diſplicere: Cum ſic præoccupatus eſſet, quid mirum ſi rationes ei à P. Venantio Bouchet ex ſcripto oblatæ, eum à ſententia jam præconcepta non dimoverint? Sed plus aliquid habeo dicere; nempe hunc uſum inter Chriſtianos pietate plenum eſſe ob Eccleſiaſticam benedictionem, quæ Cineribus impertitur.

Spond. an. 58.

Faſſus eſt Illuſtriſs. Patriarcha ſe Romà attuliſſe præjudicia in Cineres.

§. VI.

§. VI.

Non erat opus mandare, ut Cineres Feriâ quartâ Cinerũ populo darentur.

DE Cinerum benedictione duo præcepta in hoc Illuſtriſs. Patriarchæ Statuto leguntur, alterum affirmativuum, negativum alterum: Affirmativum eſt, quo ſuo Excellentia mandat, ut S. Eccleſiæ conſuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illiſque Chriſtianorum caput Cruce ſignandi ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religioſe ſerventur tempore, & modo ab Eccleſia præſcripto, ſcilicet Feriâ Quartâ Cinerum: Id quod in noſtris Miſſionibus obſervatum eſt eodem prorſus modo, quo tota in Eccleſia ſolet. Præceptum negativum eſt, quo mandat ſua Excellentia; ut id non alias fiat: in quo videtur aliquid plus dicere, quam in altero pariter negativo præcepto, quo prohibebat benedici Cineres utique ex Vaccæ ſtercore confectos, & impiam Gentilium pænitentiam à Rutren inſtitutam redolentes.

Benedici poſſunt Cineres aliis temporibus licet ex Boũ fimo.

Si prohibendæ benedictionis Cinerum non alia cauſa extitit, quam quod Cineres communiter uſurpati putarentur impiam Rutrenis pænitentiam redolere; puto huic difficultati me ita occuriſſe, ut tota ſublata videatur; cum oſten-

oſtenderim neque contra Fidem eſſe, neque parere ſcandalum, neque Chriſtianum dedecere. Non facile crediderim ideo prohiberi hanc Cinerum benedictionem, quod ſua Excellentia putaverit, ex Boum fimo Cineres fieri, quaſi tales Cineres benedici dedeceret. Quidquid in flammas conjicitur, adeo vi ignis immutatur, cum redigitur in Cineres, ut parum, nihilve prioris naturæ ſuperſit: Hinc videmus in Veteri Lege ad Aquam Luſtrationis parandam, ſic adhibitos fuiſſe Vitulæ Cineres, ut nominatim juberetur, ipſum illius fimum cremari: *Comburetque eam cunctis videntibus tam pelle, & carnibus ejus, quam ſanguine, & fimo flammæ traditis*: Sed hæc ſatis de Cineribus ex fimo factis, de aliis communibus agendum.

Cineres Vitulæ una cũ fimo combuſtæ adhibebantur in veteri lege ad aquam luſtrationis. Num. 19.

Mandat D. Patriarcha Cineres non alias benedici quam Feriâ Quartâ Cinerum: Hucuſque reſervavi, Sanctiſſime Pater, probationem, quâ ſingulis obſervationibus in hoc Statutum factis, uti poteram, ad probandum, neque contra Fidem, neque contra decorum, neque contra ullam omnino virtutem eſſe uſum Cinerum; ea eſt authoritas Illuſtriſs. D. Stephani de Britto Archi-Epiſcopi quondam Cranganorenſis, qui quotidianum illum uſum

Damnatur in hoc toto Statuto illud, quod ab Ordinario conceſſum Miſſionarii aſſerebant.

Cine-

Cinerum benedicendorum, & fronti imponendorum conceſſit Miſſionibus illis, quarum magna pars ad illam Diæceſim pertinet. Exhiberi ſibi illud Archi-Epiſcopi Diploma poſtulabat Illuſtriſs. Patriarcha: At Puducherii non habebatur; adeo nempe illic improviſo ſupervenit ſua Excellentia, adeo celeriter inde exceſſit, ut Acta ad hanc cauſam pertinentia perquiri non potuerint. Datam fuiſſe conceſſionem illam ab Illuſtriſs. Cranganorenſi aſſerebant ſuæ Excellentiæ Miſſionarii, tanquam rem certam, & indubitatam: Aliqua Diplomatis illius verba citata legit ſua Excellentia in Tractatu, quem de hac materia obtulit P. Venantius Bouchet; ubi ſic legitur citatio, vel ex ipſa Bulla, vel ex alio antiquiori Tractatu deſcripta: *Cineris uſum ita permittimus, ut non niſi Eccleſiaſticis precibus in Romano Miſſali per Sacerdotes benedictos Cineres uſurpare permittamus, ad eum finem videlicet, ob quem Eccleſia Catholica Cineres uſurpare, & capiti imponere conſuevit, ad excitandam ſcilicet poſtremi judicii memoriam, & in ſymbolum pænitentiæ*: Si D. Viſitator Miſſionarios non exiſtimavit inſigniter mendaces, id ſatis eſſe poterat ſuæ Excellentiæ, ut dubitaret ſaltem, num quotidianum Cinerum benedictorum uſum conceſſiſſet

Et ſi Diploma oſtendi non potuerit, non continuo cõdemnandũ fuiſſe videbatur.

Ordi-

Ordinarius; nec videbatur æquum, ut ſtatim pro falſo haberetur, quod Actis authenticis non poſſet demonſtrari; cum præſertim ea perquirendi tempus concedere noluerit, licet rogatus. Seu crediderit ſua Excellentia non fuiſſe reipſa conceſſum illum uſum; ſeu non admodum curandum, utrum fuiſſet conceſſus, eo modo Statutum condidit, ut & Cineres ipſos, & eorum benedictionem excepto Quadrageſimæ initio, ſub graviſſimis Cenſuris prohibuerit: in quo an quantum decebat Illuſtriſs. Archi-Epiſcopi rationem habuerit, meum non eſt expendere.

At ſi ante Decretum latum dubium erat, an D. Stephanus de Britto quotidianum Cinerum benedictorum uſum conceſſiſſet; nunc dubium eſſe nullum poteſt; Siquidem id ipſius ſucceſſor Illuſtriſs. Cranganorenſis teſtatur verbis, quæ non pigebit hic repetere: *Uſus quotidianus Cineris benedicti pluſquam ſexaginta retro annis à prædeceſſore noſtro Illuſtriſs. D. D. Stephano de Britto Cranganorenſi Archi-Epiſcopo, & illius Chriſtianitatis Prælato jam admiſſus, ac conceſſus, expurgato quolibet fine ſuperſtitioſo in ſignum pænitentiæ, & univerſalis judicii*: Secundus teſtis eſt Illuſtriſs. Epiſcopus Maliapurenſis, qui idem aſſerit: *Idcirco, inquit, Illuſtriſs.*

Datum rē ipſa fuiſſe, teſtantur Epiſcopi duo.

ſtriſs. D. D. Stephanus de Britto Archi Epiſcopus Cranganorenſis ex commiſſione Suæ Sanctitatis poſt maturum examen conceſſit Neophytis uſum quotidianum Cineris benedicti, finem illi commutando in ſignum pænitentiæ, & univerſalis judicii: Ubi obſervandum, quam in ipſis verbis concordent tum clariſſimi Præſules, tum citatio ſupra memorata aſſignando fine, ad quem voluit Reverendiſs. D. Stephanus de Britto Cineres referri, ſcilicet in ſignum pænitentiæ, & univerſalis judicii: Quod demonſtrat traditione conſtanti, & omnibus pervulgata notum eſſe, quibus verbis conceſſus fuerit ille uſus: Nempe duo Præſules mox citati cùm diu vixerint in Indiis, de re illa facile potuerunt cognoſcere; neque id tanquam rem certam Sanctitati Veſtræ commemorarent, niſi ipſis indubitata foret. Quod ſi tam gravium teſtium authoritatem opus eſſet aliorum occeſſione confirmare, aperuit mihi P. Simon Carvalho Miſſionarius notæ in Indiis Religionis, & Fidei viſum à ſe, lectumque fuiſse illud Diploma: Optarem illud ipſum offerre Sanctitati Veſtræ, animuſque mihi erat illud in Goano Archivo inquirere; verum tam præceps fuit Navium profectio, ut die non amplius unà ibi commoratus ſim.

Vnus noſtrorũ Miſſionariorum illud vidit: Ego in Archivio Goano perquirere non potui.

Illud

Illud igitur unum expendendum ſupereſt; utrum Ordinarius loci in uſu Cinerum approbando plus conceſserit, quam legitimè poſset? Si res ex antiquo Eccleſiæ uſu æſtimetur, reperiemus Archi-Epiſcopum Cranganorenſem in eo nihil feciſſe, quod non factum fuiſse doceant Eccleſiaſtica monumenta: Quam multa conſtat ab impietate Gentilium vindicata ad pios uſus inducta fuiſse? Teſtem laudavi jam Eminentiis. Cardinalem Baronium: *Nonne patet, inquit, multa ex ſuperſtitione Gentilitia in Chriſtianam noſtram Religionem laudabiliter eſſe translata; id quidem aliis adhuc exemplis, atque Patrum teſtimoniis, & authoritate oſtendimus; & nominatim quoad Cereos, atque Lampades: & quis jure calumnietur, ſi quæ olim Idolis, ait Hieronymus, eodem modo Martyribus offerantur? Quis denique calumnietur, ſi quæ olim diebus Sabbati Lucernæ accendebantur in Templis, modò conſimiles in Dei Genitricis honorem ſint translatæ?* Idem alibi repetit his verbis: *Sed quid, non licuit, quæ apud Gentiles ſuperſtitioſo cultu impiè agerentur, eadem expiata Sacro ritu ad pietatem transferre, ut maiori Diaboli contumelia, quibus ipſe olim coli voluerit, Chriſtus ab omnibus honoraretur? Id inter alios conſtat feciſſe Magnum Gregorium ob*

Recte D. Stephanus de Britto Cinerũ uſũ conſervavit

An. Chriſ. 58. & 78.

An. Chriſ. 99. n. 86.

Sic fecit Sacra antiquitas in Cereis, Lampadibus feſtis, ſupplicationibus &c.

præclaras ab eo res geſtas cognomento Thaumaturgum, qui Gentilium ferias ſuperſtitionibus cumulatas in feſta, & celebritates Sanctorum Martyrum commutavit.

Congeri hìc multa exempla poſsent rerum, quæ ab impietate ad pietatem, à Dæmonis cultu ad Dei, Sanctorumque venerationem, à Fanis ad Eccleſias feliciter tranſière. Ad ea, quæ ſuperius retuli, adjungi debent Tintinabula, Supplicationes, ſeu Proceſſiones, quæ circum agros fiunt; & præſertim Aqua benedicta: Referri hìc iterum poſset locus S. Gregorii Papæ jubentis, ut in Anglia Boves priùs occidi ſolitos in honorum Dæmonum, ad Convivia Fidelium occidantur; quibus rationibus probabitur hæc omnia in veteri Eccleſia juſtè, pièque facta fuiſse, contra hæreticos cavillantes, Eccleſiam eos ſacros ritus à Gentilitate traxiſse; iiſdem Cineres quoque ad pietatem rite traductos fuiſse nullo negotio defendetur: eodemque fere modo, quo Auguſtinus contra Fauſtum Manicheum jam dudum defendit Sacrificia Veteris Legis: *Sicut autem, inquit, non ideo contemnenda, vel deteſtanda eſt Virginitas Sanctimonialium, quia etiam & Veſtales Virgines fuerunt; ſic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia ſunt & Sacrificia Gentium: quia ſic*

Argumentatio Auguſtini in eam rem.

L. 20. c. 21.

ſic ut inter illas virginitates multum diſtat; quamvis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voveatur, atque reddatur; Sic inter Sacrificia Paganorum, atque Hebræorum multum diſtat, eo ipſo quod hoc ſolum diſtat, quæ cui ſunt immolata, & oblata: Et alibi de eodem Fauſto ſic loquitur: *Qui etiam dicit, nihil nos mutaſſe de moribus Gentium, neſciens quid loquatur; cum enim juſtus ex Fide vivat, finiſque præcepti ſit charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, maneantque ad confirmandam vitam Fidelium hæc tria Fides, Spes, Charitas; unde fieri poteſt, ut pares cum aliquo mores habeat, qui hæc tria cum illo paria non habeat? Qui enim aliud credit, aliud ſperat, aliud amat, neceſſe eſt, ut aliter vivat: Et ſi uſus quarumdam rerum ſimilis nobis videtur eſſe cum Gentilibus, ſicut cibi, & potus, tectorum, veſtimentorum, lavacrorum;.. longe tamen aliter his rebus utitur, qui ad alium finem uſum earum refert; & aliter qui ex his Deo gratias agit, de quo prava, & falſa non credit.* *C. 23.*

Dicet ne aliquis non fuiſſe in Illuſtriſs. Cranganorenſi D. Stephano de Britto ſatis authoritatis ad quotidianum Cinerum uſum ſuperſtitione rejecta in pios uſus convertendum? At Apoſtolica commiſſione id ab eo factum fuiſſe teſtatur *Non defuit authoritas in Ordinario, quia ex commiſſione S. Sedis ſtatuit.*

teſtatur Illuſtriſs. Maliapurenſis; ut omittam diſputare, quouſque pertineat poteſtas Ordinarii ad res Eccleſiaſticas in ſua Diæceſi conſtituendas: Talia poſſe Epiſcopos non obſcure indicat Eminentiſs. Cardinalis Baronius, cum

Ad an. 78. n. 61.

ait: *Quid mirum ſi inolitas apud Gentiles conſuetudines, à quibus eos, quamvis Chriſtiani effecti eſſent, penitus divelli poſſe impoſſibile videretur, eoſdem in Veri Dei cultum transferri Sanctiſſimi Epiſcopi conſueverunt*: Epiſcopus

Epiſcopi olim multas res eiuſmodi conſecrarunt; inter alios S. Gregorius Thaum.

erat, & non Summus Eccleſiæ Paſtor Gregorius Thaumaturgus, qui ut ait Baronius, *Cum advertiſſet, quod propter corporis voluptates ſimplex, & imperitum vulgus in errore Simulacrorum permaneret, convivia in honorem Idolorum fieri ab omnibus certis diebus ſolita, is permiſerit, ut eadem Chriſtiani, ſed in honorem S.S. Martyrum celebrarent*. Sic effecit, ut cum decem & octo Chriſtianos Epiſcopatum ingrediens reperiſſet, decem & octo Gentiles tantùm moriens relinqueret.

Si Cineres conſecrari potuerunt, potuerunt et benedici, ut res omnes Sacræ ex S. Paulo.

Quod ſi ad pios uſus transferre licuit Cineres ſane benedictionibus eos conſecrari maxime conveniebat; id quod & Luminarium, & Tintinabulorum, & Aquæ benedictæ exemplis patet: *Omnis Creatura, inquit Paulus, bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actio-*

ne

ne percipitur; '*Sanctificatur enim per Verbum Dei, & Oratione*: Quem in locum teſte Bellarmino, Chryſoſtomus, & Theophylatus ſcribunt, Apoſtolum loqui ex hypotheſi; ideſt, omnis Creatura bona, & munda eſt; tamen & ſi eſſet immunda, facile poſſes eam ſanctificare adhibito ſigno Crucis, & Oratione. Si ergo etiam res immundæ ſanctificantur per S. Crucis ſignum, & Orationem, quanto magis res alioquin bonæ fient meliores, & Sanctiores per S. Crucis ſignum, & Orationem?

Licet initio Quadrageſimæ Cineres benedicere, licet & aliis temporibus; ut patet exemplo Sacri Fontis.

Sic hactenus de ſanctificatione, & benedictione Cinerum egi, ac ſi jam in Eccleſia ſanctificati non fuiſſent: At fuerunt pænitentiæ conſecrati ab ipſo naſcentis Eccleſiæ tempore, non eo tantum modo, quo Eccleſia nunc illis utitur, ſed alio ferquentiori modo: Siquidem aiunt Tertullianus, Cyprianus, Pacianus debere Pænitentes Sacco, & Cineri incubare, eique inhærere per tempus pænitentiæ publicè initæ: Et quamvis uſus nunc ſit, ut initio tantum Quadrageſimalis jejunii benedici ſoleant; non ita tamen illud tempus Eccleſia videtur aſſignaſſe, ut Epiſcopis poteſtatem auferret permittendi, ut extra illud tempus poſſent benedici: veluti ex eo quod benedicendo Baptiſmali fonti aſſignatum fuerit Sabbatum ante

Paſcha,

Paſcha, & Sabbatum ante Pentecoſten,] prohibitum non eſt, ut ſi neceſſitas urgeat, alio tempore benedicatur: Id unum fecit Illuſtriſs. Cranganorenſis, novum Cinerum benedicendorum ritum non inſtituit; eundem qui ab Eccleſia obſervatur, juſſit obſervari.

Per Cineres benedictos plurima patrantur miracula.

Cineres eà Eccleſiaſticà benedictione donati apud Indos Chriſtianos non minori in pretio ſunt, quam ipſa Aqua benedicta; quamvis & ipſa maxima in veneratione ſit: Utrumque in domos ſuas religioſe deferunt; & quidem Cineres eò lubentius, quo facilius geſtari poſſunt, quam Aqua benedicta: Utroque, & alterutro utuntur ad ſuos, ſuorumque morbos curandos; ad pueros tanquam Sacro Amuleto tuendos; ad fugandos Dæmones, ſimileſque neceſſitates; idque tantà fide, ut multoties Deus magnis, certiſſimiſque miraculis uſum illum comprobaret. Res eſt adeo certa, & indubitata, ut nullum eſſe credam in noſtris Miſſionibus Operarium, qui non ſtupendos Cinerum cum fide adhibitorum effectus à ſe viſos, aut certis teſtibus cognitos non poſſit referre: Ego ut de me tantum loquar, ſcio Chriſtianos fide dignos ad me retuliſſe, ſe in ſuis morbis ſæpius Cinerum ope fuiſſe plurimum ſublevatos, aut omnino ſanatos; expertos eſſe Sacrorum Cinerum vim

ad maleficia tollenda, quæ malis Diaboli artibus Gentiles effecerant: eſtque illud tam pervulgatum; ut ipſi Gentiles poſtquam vident, ſe in ſuis Idolis, magiciſque Carminibus nihil habere præſidii, ſæpius ad Chriſtianorum Cineres confugiant; atque inde medelam nacti, Religionem amplectantur, quæ tale, tamque præſens illis ſuppeditavit remedium. Ariolus quidam Cineres noſtros ſecretò ſibi dari rogabat, ut quos ſuis Carminibus non poterat, noſtrorum Cinerum virtute curaret morbos, indeque quæſtum faceret.

Quæ etiam Gentilibus nota & mirabilia ſunt.

Neque ſola plebs Chriſtiano ritu con ſecratos Cineres ad curandos, & ſanandos morbos adhibet: ad eos interdum ipſi Principes Gentiles devenire coguntur: Id recens evenit uni Principi Regionis Maravæ, qui multis annis adeo ſævum Chriſtianæ Religioni bellum indixerat, ut Chriſtiani plerique tot malorum pertæſi, in alienas terras migrarent: Decumbebat ejus filius unicus; nihil in arte medica, nihil in ſuperſtitioſis ceremoniis intentatum reliquerat ad procurandam, aut à Superis obtinendam pueri ſalutem: fruſtra: Æger erat in extremis; jamque Pater Pugionem paraverat, quo ſe, auditâ filii morte, confoderet: Hac in deſperatione rerum admonetur, ut videat, num

Per benedictos Cineres reſtituitur ſanitas Principi in extremis poſito.

à Chriſtianorum Deo id conſequi poſſit, quod ſui Dii negaverant: Narrari multa, quæ Chriſtianis ſupra communes naturæ leges evenirent: Jubet Princeps accerſiri Chriſtianum: Venit ille cum ſuis Cineribus, eoſque imponit moribundi adoleſcentis fronti; multâ fide ſimbolum Apoſtolorum recitat; convaleſcit puer; & quanto eatenus furore ſævierat Princeps in Chriſtianos, tanto eos favore poſtea proſecutus eſt. Veni ego paulo poſt in illam regionem, cùmque neſciens quid contigiſſet, non auderem in illius Principis terras inferre pedem; ille me accerſiit, poteſtatemque fecit ibi morandi; quod magno totius illius tractùs bono effectum eſt; Nam intra viginti duos menſes, quos ibi egi, pluſquam tredecim hominum millia ſacro fonte expiavi. Sexcenta ſunt, Beatiſſime Pater ejuſmodi exempla, quæ poſſem hìc recenſere; ita ut de Cineribus dici merito queat, quod de Lampadibus apud Spondanum legitur: *Ipſum* *An. 58. n. 30.* *uſum luminum in Eccleſias feliciter introductum multoties à Deo ſignis editis confirmatum eſſe,* *innumera prope ſunt apud Authores exempla.*

Rogatur Sanctiſſimus ne res tam proficua Chriſtianis eripiatur.

Quocirca rogamus Sanctitatem Veſtram Miſſionarii omnes illarum Miſſionum, ut uſum adeo neceſſarium, adeo innoxium, adeoque

que utilem Sanctitas Veſtra ne Chriſtianis interdicat; Sed novum robur addens iis, quæ ab Illuſtriſs. Cranganorenſi ſtatuta ſunt, Cineres in Sacris Scripturis adeo commẽdatos ad pænitentiæ ſimbolum toties adhibitos, ab indigna impiorum Gentilium uſurpatione vindicet, priſtinæque reddat Sanctitati; & eos à Chriſtianis tanto ferventius, quanto utilius adhiberi permittat. Sequitur ut pauca dicam de reliquis, quæ hoc Statuto continentur.

§. VII.

PRohibet Illuſtriſs. Patriarcha alia quæque ſigna albi, vel rubri coloris, quibus Indi ſuperſtitioſiſsimi in fronte, vel in pectore, aut alia corporis parte utuntur: Varia ſigna albi, & rubri coloris adhibent Indi; in primis Argillam, quam non ægre ferimus generali hoc præcepto prohiberi, cum Chriſtianis neceſſaria non ſit: Utuntur præterea Sandalo, quod lignum affrictu cum aqua ut plurimum roſaceâ detritum inungunt fronti, ac pectori; eſtque duplicis generis, aliud album, aliud rubrum; Etiam ne hoc Illuſtriſs. Patriarcha condemnat? At illud Gregorius XV. Sanctitatis Veſtræ Prædeceſſor expreſsè conceſſerat in Conſtitutio- *De aliis ſignis albi, & rubri coloris.*

ne - Romanæ Sedis Antiſtes - , cujus Conſtitutionis verba in hanc rem ſunt ejuſmodi ; *Sandalis ad civilem ornatum corporis tantummodo utantur, abſtinentes prorſus ab ea materia, & forma, ab eaque parte corporis ungenda, unde cujuſcumque Idoli cultus denotari dicitur*, Finem ſuperſtitioſum prohibet, civilemque permittit S. Sedes: D. Viſitator abſque ulla diſtinctione finis, ſigna omnia albi, vel rubri coloris prohibet: eam materiam, eam formam prohibet Conſtitutio, quà cujuſcumque Idoli cultus denotatur: Dominus Viſitator in fronte, pectore, & quavis alià corporis parte ſigna omnia albi, vel rubri coloris Chriſtianis interdicit: Quid, exiſtimabimus deprehendiſſe Illuſtriſs. Patriarcham ad civilem ornatum non poſſe Chriſtianos uti Sandalo; omnium talium ſignorum materià, formàque denotari alicujus Idoli cultum; ex ſuperſtitione frontem, ex ſuperſtitione pectus inungi, & aliam quamcumque corporis partem? De illis omnibus reſpondere prætermitto, eo quod vix mihi perſuadeam D. Patriarchæ mentem fuiſſe, ut rem à S. Sede conceſſam revocare voluerit: & quamvis verba generalia ſint, puto noluiſſe ſub illis ſigna albi, vel rubri coloris à S. Sede conceſſa comprehendere. Neque etiam expendam, an non alia

Prohibet Illuſtriſs. Patriarcha illud, quod S. Sedes cõceſſerat.

aliqua ſint ſigna albi, vel rubri coloris, quæ ſint mere civilia, nullamq; habeant cum ſuperſtitione affinitatem; de quo fuſe agere & longum foret, & minus neceſſarium. Ad ultimum tandem Decreti Statutum devenio.

CAPUT XVI.

Verba Decreti.

ET demum quia ex Librorum de falſa Religione, & de rebus obſcænis, ſuperſtitiońs tractantium lectura venenum ut plurimum ſerpere ſolet ad cor Fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur; magnopere commendantes zelum, ac ſtudium Miſſionariorum, qui libros ſanam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, rerumque ſacrarum monumenta continentes, pro Indorum Chriſti Fidelium eruditione in Linguam Malabaricam, ſeu Tamulicam tranſtulere, vel novos pro illorum commodo, & inſtructione compoſuere; iiſdem Chriſti Fidelibus expreſſe interdicimus fabuloſos Gentilium libros, eoſque legere, & retinere prohibemus ſub pæna Excommunicationis latæ ſententiæ; niſi priùs habita licentia Parochi, ſeu Miſſionarii curam

Statutum de non legendis fabuloſis libris.

anima-

animarum exercentis: Quorum prudentiæ committimus facultatem ſuper hoc diſpenſandi; & libros; ſi qui forte ſunt, noxiâ ſuperſtitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes pro Chriſtianorum uſu ſeligendi, eorumque lecturam permittendi.

Obſervationes.

GRatias Illuſtriſs. Patriarchæ habemus, quod Miſſionariorum zelum in piis libris ſcribendis commendare voluerit; nobiſque gratulamur, quod ſaltem hac una in re conatus noſtros ſua Excellentia approbarit.

Ad hoc Miſſionariorum ſtudium promovendum, & compeſcenda mala, quæ gignere ſolet fabuloſorum librorum lectio, vetat Illuſtriſs. Viſitator ſub Excommunicatione latæ ſententiæ, ne Fideles ejuſmodi libros legant, retineantve: De hoc Statuto non conquerimur: Quanquam enim Libri Indorum tam ineptis, maleque conſutis figmentis pleni ſint, ut eorum lectio viris bono ſenſu præditis utilior eſſe poſſe videatur, ad eos in Fide confirmandos, quam ad gignenda dubia; agnoſcimus tamen plebem ubique plebem eſſe: Unde & illos libros Miſſionarii prohibuere diligenter;

De hoc Statuto non cõquerimur; modo liceat Miſſionariis dare facultatem libros legendi, quibus neceſſe eſt.

ter; & Chriſtiani adeo ducunt Religioni eos legere, ut ſi caſu ex eorum lectione à Gentilibus facta ad eorum invitas aures aliquid venerit; V. g. Si viciná in plateâ legatur, interea dum ipſi Chriſtiani aliquid agunt domi; id ſolent confiteri, perinde ac ſi rei forent.

Committit Illuſtriſs. Patriarcha Miſſionariis facultatem ſuper hoc, ideſt, ſuper fabuloſorum librorum lectione, diſpenſandi: Ob facultatem illam conceſſam debent non parum ſuæ Excellentiæ Miſſiones; quippe cum refutari errores nequeant, niſi cognoſcantur; cùmque apud Indos nulla ſit potior, evidentiorque confutatio, quam expoſitio tot ſcelerum immaniſſimorum, quæ ſuis portentoſis Numinibus libri Indici tribuunt, neceſsarium omnino eſt illos libros legiſse: Atque eo magis, quod ſæpe Indi calumniam inclament, cum dicimus, ipſorum Deos fuiſse monſtra ex omni ſcelerum colluvie conflata; ſeque viciſse putarent, niſi indicatis librorum locis obmuteſcere cogerentur. Neque vero ſatis eſt, ut Miſſionarii eorum librorum notitiam habeant; nam cum utantur vicaria ope Catechiſtarum aliorumque Chriſtianorum, qui in noſtra Religione accuratiùs eruditi ſunt, & quorum virtus explorata

eſt;

eſt; hi innumeras occaſiones habent cum Gentilibus, à quibus ſæpe provocantur, diſputandi; & præterea Infidelibus exponendi impietatem, ineptiamque fabularum Indicarum, ut eos ad Fidem convertant. Ad hoc utrumque nempe ad aggrediendam Idololatriam, veramque Religionem defendendam, prorſus neceſsarium eſt, Indicas fabulas benè cognoſcere. Unde qui ſine facultate fabuloſos libros legendi Catechiſtis uteretur, faceret ille perinde, ac ſi milites armis deſtitutos in prælia mitteret: Cum tamen D. Viſitator noſtræ prudentiæ committit illam diſpenſandi poteſtatem, ſpondemus nos eà ſobrie uſuros, nec conceſſuros facultatem fabuloſos libros legendi, niſi probatæ Fidei, & Virtutis Chriſtianis, quos maxime idoneos judicabimus ad prælianda prælia Domini.

Aliud jubet Illuſtriſs. Patriarcha ultima hujus Statuti parte; nempe ut pro uſu communi Chriſtianorum, ſeligamus libros innoxios, ſi qui ſunt, eorumque lectionem permittamus. In hoc quoque conabimur voluntati ſuæ Excellentiæ obſequi: atque utinam omnia Decreti Statuta hujus ſimilia fuiſsent; non coacti fuiſſemus, ſupplicatum venire ad pedes Sanctitatis Veſtræ, ne iſtius Decreti obſervantiam imperaret.

CA-

CAPVT XVII.

Verba Decreti.

EA igitur univerſa, & ſingula authoritate Apoſtolicà, & tenore prædictis damnamus, & diſtrictiori, quo poſſumus modo prohibemus; mandantes P. Provinciali Provinciæ Malabaricæ, cæteriſque Superioribus Societatis JESU in Indiis Orientalibus, ut hoc noſtrum Decretum notificent ſingulis Miſſionariis, ſeu aliis quibuſcumque curam animarum exercentibus ſibi ſubjectis; illudque perpetuo, & inviolabiliter exequi faciant ſub pœnà Excommunicationis latæ ſententiæ, quoad Provinciales, & Superiores, & ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendæ quoad ſubditos contrafacientes, ſeu aliter permittentes: atque ita decernimus, & mandamus in omnibus; donec aliud fuerit ab Apoſtolica Sede, vel à nobis ejuſdem authoritate proviſum, inviolabiliter obſervari; non obſtantibus quibuſcumque &c.

Statuitur quinam hoc Decreto, & quam graviter obligentur.

Obſervationes.

DVo hìc declarat D. Viſitator; primo quinam hoc Decreto obligentur; ſecundo quàm ſtrictà obligatione illud obſervare teneantur.

§. I.

ET ſi convenientiſſimum videbatur, ut Decretum traderetur Illuſtriſs. Indiæ Epiſcopis, ut per eos in Diæceſibus promulgaretur ab omnibus obſervandum; aliter tamen ſibi faciendum putavit Apoſtolicus Viſitator; qui nullà Epiſcoporum mentione factà, injungit Superioribus Societatis JESU, ut Decretum ſubditis ſuis notificent, & ab eis obſervari curent.

Solis Societatis Operariis illud imponitur; aliis multis idem facientibus non imponitur.

Solis ergo Societatis JESU Operariis Decretum promulgatur, ac proinde eam unam obligat: Res prorſus inaudita! Sunt in Indiis Orientalibus duo Archi-Epiſcopi, ſunt Epiſcopi duo: In quatuor illis vaſtiſſimis Diæceſibus innumera eſt Operariorum multitudo ex omnibus religioſis Ordinibus, qui multa permittunt ex iis, quæ D. Patriarchæ Decreto imperantur,

rantur; aut damnantur. RR. PP. Capucini Galli ad Madraſtum permittunt Teſſeram nuptialem, illius funiculum, iſtius croceum colorem, aliaſque matrimonii ceremonias, gratulationes primorum menſtruorum, lavacra, & alia, quæ Decreto prohibentur: Eadem permittunt RR. Patres Franciſcani Luſitani ad Nagapatam; permittunt inſuper Sandala, Cineres; non ſemper imponunt baptizandis nomina ex Martyrologio Romano petita; quæ omnia potuit ſua Excellentia optime cognoſcere ex Viſitatoribus eo miſſis. Eadem permiſerunt Theatini Itali, & permittit Sacerdos Indus ad Cudelur: Eadem Præsbyter ſæcularis Hiſpanus ad Frangambàr; eadem Luſitanus ad Portum novum; eadem multi alii in Ora Choromandelica, & Malabarica. RR. PP. Carmelitæ à S. Congregatione miſſi, plura adhuc vident, ſinuntque à Sacerdotibus à Chriſtianis obſervari, quoad expectandos in Eccleſia infirmos; quoad locum Ignobilibus ad atrium Eccleſiæ aſsignandum: Omnia quæ in noſtris Miſsionibus à Patribus Societatis JESU permiſſa ſunt, permittuntur à Præsbiteris Sæcularibus in Inſula Ceilano; ubi iidem fere ſunt populorum mores, eademque inſtituta vigent. Ii omnes non damnantur, ſoli Patres Societatis

Mixti inter alios Societatis Operarii prohibere cogentur, quod alii permittent.

damnantur; iis omnibus nihil præcipitur; ſolis Patribus Societatis JESU præcipitur: ergo in qua Diæceſi ea ab aliis permittentur, videntibus, tacentibus, approbantibuſque Epiſcopis: in eàdem prohibebuntur à Societatis JESU Operariis: In hoc Oppido permittet Cineres Sacerdos aliquis, vel Religioſus ex alio Ordine; in vicino ejuſdem Diæceſis, immo in eodem illos prohibebit Societatis Sacerdos: alii ea permittentes peccare ſe non putabunt; idem ſi permiſerit è Societate aliquis, reus tenebitur in S. Sedem, cujus authoritate id ei prohibitum à Viſitatore Apoſtolico fuerit.

Non ſolum Miſſionibus Mediterraneis factum Decretum; nam iniuſtiſſimum foret.

Dicetur ne factum eſſe Decretum ſolis Miſſionibus mediterraneis Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi, quæ à ſolis Patribus Societatis excoluntur? Primò talem explicationem non patiuntur Decreti verba; Vult enim ſua Excellentia ut Decretum notificent Superiores Societatis ſingulis Miſsionariis, & aliis quibuſcumque curam animarum exercentibus, ſibique ſubjectis. Deinde contra omnem rationem foret; ut in interioribus terris prohiberentur ea, quæ in Oris maritimis impune fieri ſinerentur; & pro certo teneo, non hanc fuiſſe ſuæ Excellentiæ voluntatem. Vidit D. Viſitator Puducherii Chriſtianos Indos in fronte

Cineres

Cineres geſtare ; eo ſpectaculo offenſus eſt: Quis credat voluiſſe Illuſtriſs. Patriarcham Cineres in Miſsionibus mediterraneis prohibere, & Puducherii impune geſtari? Nam cur ad Oras liciti forent, & ad duas à littore leucas illiciti? Vel quæ poſſet hujus diſcriminis veriſimilis ratio proferri?

Certe ſi aliqua eſſe debuit in decernendo diverſitas, ſeveriùs videbatur pro Oris maritimis decernendum, quam pro terris interioribus, propterea quod in Oris Chriſtianis à jugo Gentilium magis liberi, Europæorum auxilio adjuti in patrios uſus magis impunè peccare poſſunt: in terris verò interioribus, cum ſint ſub Ethnicorum poteſtate à more patrio vix poſſunt latum unguem diſcedere, ſine libertatis, ac bonorum diſcrimine: In Oris metui forte poteſt aliqua Europæorum offenſio, præſertim Hæreticorum, qui ad illas frequenter habitant; in terris interioribus nulla ejuſmodi offenſio reperitur: In Oris mixti Europæis Indigenæ Europæorum moribus faciliùs aſſueſcunt; in terris Europæorum ritus, ac modus vivendi execrationi ſunt.

Si quid prohibendum, prohibendū potius in Oris maritimis, quam in interioribus terris.

Multiplex affertur hujus rei cauſa.

Itaque nequaquam veriſimile eſt, D. Viſitatorem Decretum tuliſſe ſolis Miſsionibus terræ mediterraneæ: Illud igitur etiam obſervare

tene-

tenebuntur illi è Societate, qui Oras maritimas excolunt, & ſoli è Societate tenebuntur; Parochis aliis omnibus ad ſolam Societatem, non ad ſe pertinere demonſtrantibus ex ipſis Decreti verbis, ubi ſolius Societatis mentio fit, ubi ſola Societas damnatur.

Opem S. Sedis implorat Societas IESV, ne ſibi interdicatur, quod aliis licet.

Hìc auguſtiſsimum Sanctitatis Veſtræ Tribunal appello, imploro æquitatem: Satis ſuperque hactenus Societatis adverſarii ream illam fecère omnium, quæ à quibuslibet Doctoribus traderentur; illam unam accuſavere in multis, in quibus Societatis cauſa cum aliis omnibus conjuncta erat; perinde ac ſi aliquid tantum vitioſum foret, ſi à Patribus Societatis diceretur, & permitteretur. Ne ſinat Sanctitas Veſtra hanc eandem Societatem in tam ſolemni Decreto notari, & notari unam, perinde ac ſi illa ſola id permiſiſſet, quod Decreto prohibetur: Ne ſinat Excommunicatione latæ ſententiæ feriri Societatis Superiores, ſi id à ſuis ſubditis fieri patientur, quod ſine ullæ Cenſuræ metu aliorum Ordinum Superiores à ſuis ſubditis fieri permittunt: Ne ſuſpenſi ipſo facto cenſeantur Miſsionarii è Societate id agentes, quod ſine ulla ſuſpenſionis interminatione aliorum Ordinum Miſsionarii faciunt. Quid de S. Sede tam malè commeruit noſtra Societas,

ut

ut in eam unam in cauſa cum aliis communi Eccleſiæ fulmina torquerentur : Denique ne ſinat ſub gravi præcepto tam multa juberi Operariis è Societate , quæ aliis ne quidem ſub levi præcepto imperantur : De illa obligationis gravitate ſequenti obſervatione pauca ſubjungo.

§. II.

OMnia, & ſingula quæ in hoc Decreto continentur, prohibet, & damnat Illuſtriis. Patriarcha authoritate Apoſtolica, & diſtrictiori, quo poteſt, modo: Quibus verbis ſatis declarat gravem obligationem ſe imponere, mentemque ſuam eſſe contra illas leges ſine peccato lethali non factum iri: id quod adhuc magis certum efficitur ex Cenſuris adjunctis, quas licet verbo ſuſtulerit ſua Excellentia, non ideo præcepti gravitatem ſuſtuliſſe cenſendus eſt: Non conqueror hic tantam præceptorum multitudinem, quamvis immenſa ſit; non conqueror eorum difficultatem; ſi neceſſaria forent, ſuperanda eſſet omnis difficultas: At vero cum ſimul tam multa, tam difficilia, tamque parum neceſſaria ſint; non poſſumus non conqueri de gravitate oneris noſtris humeris impo-

Tam multa tam difficilia minus neceſſariò ſub gravi obligatione præcipiũtur.

impoſiti; fatemurque nos ei ferendo impāres eſſe.

Si in ſuas claſſes ea præcepta diſtribuantur, alia ad jus Divinum, alia ad Eccleſiaſticum jus referri poſſunt: Quod ſpectat ad jus Divinum, confidimus nulla in re à nobis fuiſſe violatum. Quod ad Eccleſiaſticum attinet, ſperare poteramus fore, ut Illuſtriſs. Patriarcha vexatarum Miſſionum infeliciſſimam ſortem ſuis oculis intuens, commiſeratione aliquà erga eas, in iis Eccleſiæ præceptis diſpenſaret, quæ ob continuas perſecutiones obſervare difficile eſt, aut etiam impoſſibile; attamen nihil omnino afflictiſſimis Miſſionibus indulſit: Sed quid favores negatos conqueror? Ea Eccleſiæ præcepta, quæ lethalis peccati obligationem non imponunt, & forte ne venialis quidem ob circunſtantias; uoluit deinceps à Miſſionariis ſine gravi peccato violari non poſſe: hujuſmodi eſt in primis aliquod Sacramentale palam adhibere, cum ſine magnà animarum ruinà, Sacrorumque myſteriorum deſpectu palam adhiberi nequit.

Illuſtriſs. Patriarcha in nullo Eccleſiaſtico præcepto diſpenſavit.

Multa nova induxit.

Neque hìc ſubſtitit D. Viſitator, ea quæ mera ſunt civilia juſſit in præcepta graviter obligantia tranſire: Tale eſt imponere baptizandis nomina Sanctorum in Romano Martyrologio

gio deſcriptorum, aliaque id genus. Quin etiam in præcepta graviter obligantia tranſeunt res per ſe, & in circunſtantiis prorſus indifferentes, ut eſt, exempli cauſa, corpus abluere poſt Sacram aliquam functionem.

Quamquam duriſſimum ſit Miſſionariis ita ſe videre conſtrictos, totque præceptis minime neceſſariis gravari, illud non adeo moleſte ferrent, ſi talia ſibi in Europa imperarentur, ubi ſolius ſuæ libertatis damno ea poſſent obſervare; Verum in illis Miſſionibus, ubi ex plerorumque Decreti præceptorum obſervantià, tot pericula in Miſſionarios, in Chriſtianos, tantaque animarum detrimenta ſecutura ſunt, ubi videbatur fuiſſe diſpenſandum in multis Eccleſiæ præceptis, non poſſumus non conqueri nobis præcipi quæ nunquam præcepta ſunt.

Quæ ſine maximo periculo, ac animarum damno obſervari nequeunt.

Addo juſſa pleraque ab Illuſtriſs. Viſitatore poſita talis eſſe naturæ, ut maximis conſcientiæ perplexitatibus locum præbitura eſſent; eo quod ſi ex una parte urget Illuſtriſs. Patriarchæ authoritas, quam veneramur; ex alia parte non minus urget lex naturalis, & Divina, quæ poſtulat, ne ſine neceſſitate ponatur obex Infidelium Converſioni; ne ſine cauſa accerſatur Eccleſiæ perſecutio, totque animarum ſtrages.

Immo nec ſine peccato.

Iſtud, iſtud eſt, Sanctiſſime Pater, quod altiſſimum pectoribus noſtris vulnus inflixit; quod nos tantas in anguſtias conjecit, cùm dubitatum eſt, an deſerendæ eſsent illæ Miſſiones, an Decreto promulgando prorſus perdendæ; an expectandum dum Sancta Sedes de vero rerum ſtatu certior facta ultimo ſtatueret. O triſtem, lugubremque deliberationem, in qua tot inter præcipitia hinc inde minitantia incedendum erat? Ignoſcat Sanctitas Veſtra, ſi in ea deliberatione id ſequuti ſunt Miſſionarii, quod unum ſine peccato ſequi ſe poſſe exiſtimaverint; præſertim ex quo Illuſtriſs. Indiæ Primas ad avertendam Miſſionum ruinam Decreti executionem differendam judicavit. Eà de re in patentibus litteris, quas ſuo nomine, ſigilloque ritè munitas mihi tradidit Sanctitati Veſtræ offerendas, ſic ipſemet loquitur: *His poſitis, Sanctiſſime Pater, executionem Decreti D. Patriarchæ Antiocheni diſtuli, volens ruinam harum Miſſionum his novitatibus oppreſſarum Sanctitati Veſtræ patefacere; neſcimus etiam hujus Prælati authoritatem, noluit enim Bullas publicare: hoc vero S. Mater Eccleſia ſuis Delegatis prohibet, eis præcipiens non ſolum Bullas promulgare, immo ad inſtantiam illas in ſcriptis oſtendere, & præbere.*

Immo Indiæ Primatis authoritate dilata eſt Decreti executio.

CONCLVSIO.

QVid reſtat, Beatiſſime Pater, niſi ut ad Sanctitatis Veſtræ pedes provolutus, per quidquid Sacrum, & Sanctum eſt, obteſter, ut tam multarum animarum periculo commoveatur: Quamquam non ego ſum, qui id rogo; id rogant Reverendiſs. Indiarum Epiſcopi, qui cum ſint illorum Chriſtianorum Paſtores, non poſſunt non plurimum ſentire Gregis ſui ruinam: Supplices à Sanctitate Veſtra petunt, ut quæ in ſuis Diæceſibus à ſuis anteceſsoribus ſapienter ordinata ſunt, & poſt maturum examen permiſsa, ne Sanctitas Veſtra ante ſimile examen, ante parem experientiam commutari, aut convelli patiatur. Norunt Indiarum ſtatum, norunt linguas, norunt conſuetudines; Theologi ſunt, Epiſcopi ſunt; eorum vigilantiæ, eorum zelo, eorum doctrinæ non prorſus diffidat Sanctitas Veſtra: Meminerit, quæſo, ab ipſis quoque reddendam eſse Deo rationem de Grege fidei ſuæ commiſso; quem ſanè nolent, pro ſanis laticibus, venenoſis aquis potari; pro ſalubribus paſcuis, noxiis herbis enecari: Eorum ſuffragium habeat illud pondus, quod eorum Religio, eruditio, dignitaſque poſtulat.

Concluſio Operis.

Supplicant ad Suæ Sanctitatis pedes Reverendiſs. Epiſcopi pro ſolicitudine paſtorali.

Epiſcopis adjungunt ſe ſe Miſſionarii omnes, qnotquot illas Miſſiones excolunt adhuc, & hactenus excoluere: in primis Miſſionis Madurenſis inſtitutor P. Robertus de Nobilibus, Vir, audeo dicere, omni exceptione maior; qui res in Miſſione eo compoſuit modo, quo cernuntur: Fallor, neque enim ita judicio ſuo confidebat; non eam ſibi putabat eſſe authoritatem; ut Religionis negotium in nova Eccleſia componeret. Rem tantam, uti par erat, remiſit ad Archi-Epiſcopum ſuum, virum litteris, virtute, cognitione linguarum inſignem, qui omnia eo modo compoſuit, quo expedire judicavit: accuſati poſtea apud S. Sedem, & abſoluti ſunt: Ne ſinat Sanctitas Veſtra, ut qui vivi abſoluti ſunt, nunc mortui condemnentur, iis condemnatis, quæ ipſi inſtituerunt.

Supplicant Miſſionarii Apoſtolatûs laboribus probati.

Habeat Sanctitas Veſtra rationem aliquam precum, quas humillime offerunt Sanctitati Veſtræ tot Miſſionarii, qui ut Sacra Scriptura loquitur, tradiderunt animas ſuas pro Evangelio, qui pro animarum ſalute vitæ genus amplexi ſunt, quo vix ullum in tota Eccleſia auſterum magis; qui fere omnes Confeſſores Chriſti merito dici poſſunt, exilia, vincula, ignominia, irriſiones, tormenta ſæpius paſſi; qui ſi cum Apoſtolo gloriari cogantur, cum

eodem

eodem dicere poſſunt, ſe in aſſiduis Apoſtola-tùs laboribus verſari; *In Carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, in itineribus, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in Civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore, in ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in* jejuniis; *præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarum*: Viri ſunt, qui euntes ibant, & flebant, mittentes Evangelii ſemen; venientes autem veniebant cum exultatione portantes manipulos ſuos; Et quales manipulos, Superi! cum multi viginti, triginta, quadraginta Infidelium millia ad Eccleſiæ Sinum adduxerint: Viri denique, quorum aliqui eam à Deo miſericordiam ſunt conſecuti, quam optant omnes, ut Fidem annuntiatam, ſuo ſanguine obſignarent. Hi omnes, tum qui Cælo certaminum ſuorum præmium ſunt conſecuti, tum qui in terris adhuc decertant, per ſuos labores, ſi quid de S. Sede, & de Eccleſia bene meriti ſunt, ſupplices petunt, atque poſtulant, non ut ſuæ, ſed ut ſuorum Chriſtianorum exiſtimationi, ac ſaluti, quantum fieri poteſt conſulatur; cum futurum eſſet illis morte triſtius, tantam 2. Cor. 11.

filio-

filiorum ſuorum calamitatem, ſtragemque Religionis miſerrimam intueri.

Supplicant Chriſtiani qui tam multa pro Chriſto tolerant.

Utinam hìc poſſet Sanctitas Veſtra ipſorummet Chriſtianorum, audire voces, excipere gemitus, videre lacrymas; procul dubio tenerrimum Sanctitatis Veſtræ pectus tam lamentabili ſpectaculo, & afflictiſſimi ſui Gregis infeliciſſima conditione commoveretur: Neophyti ſunt; plurimi tamen eorum qui in Fide

Rom, 11.

fortes, ac conſtantes ſatis ſe oſtendere: *Alii diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem; alii vero ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres; Secti ſunt, tentati ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ; & hi omnes teſtimonio Fidei probati*: Alii ſi ita fortes non ſunt, ſi ad commemorationem ſuppliciorum, carcerum, flagellorum, mortis pavent, horreſcunt, deque ſua infirmitate timent; tanto ſunt commiſeratione Sanctitatis Veſtræ digniores; tantoque impenſius providendum, ne non neceſſariæ patiendi, atque etiam fortè Fidei deſerendæ occaſiones ipſis ſuppeditentur. Sat, eheu! nimiumque frequentes aliunde ſe ſe offerunt neceſſariæ patiendi cauſæ: Nullus annus

eſt,

eſt, & quid annum dico, nullus fere menſis, qui non aliquam, & ſæpe multas perſecutiones pariat; quo non videantur Neophyti in odium Fidei pecuniis mulctati, infamià notati, ad Tribunalia, carcereſque rapti; Quam multi geſtant adhuc in corporibus flagellorum vibices, & ſtigmata ferro candente inuſta: Hæc ſuæ conſtantiæ monumenta Sanctitati Veſtræ offerunt: ad eorum conſpectum, ſi qua ſubit paternum pectvs commiſeratio, per ea ipſa ſupplicant, ut Sanctitas Veſtra, in ſuam gratiam ſumma poteſtate utatur, ad impediendum, ne cogantur magis in ſe accendere, & provocare Lupos illos rapaces, à quibus miſerrime vexantur.

Nihil petunt, quam concedere possit S. Sedes.

Nihil hìc petunt, Beatiſſime Pater, quod ſuperet Divinam illam poteſtatem ligandi atque ſolvendi, quam Chriſtus Sanctitati Veſtræ commiſit; atque ut de maximè neceſſariis hìc agam tantum; concedere Sanctitas Veſtra poteſt; ut Saliva in Baptiſmo omittatur; ut Teſſera nuptialis ad ſuum genuinum finem matrimonii ſignificandi relata geſtetur; ut gratulationes Puellæ parentibus fiant, quæ ita fieri conſtat, ut nihil Chriſtianum pudorem offendant; ut neceſſitate urgente, ſine Miſſionarii præſentia, matrimonia contrahantur: Annuere

poteſt

poteſt Chriſtianis Nobilibus, Ignobilibuſque unanimi voce flagitantibus, ut Pareæ poſſint extra domos Sacramentis expiari, propriumque habere ad Eccleſiam Atrium: Sic explicare poteſt Sanctitas Veſtra Gregorii XV. Bullam, ut declaret Miſſionariis non prohiberi corpus frequenter lavare, ad eum etiam finem, ut viri mundi habeantur, ideoque digni judicentur ab Indis, qui audiantur ut Magiſtri: Concedere poteſt Cinerum uſum eo modo, quo ab Archi-Epiſcopo Cranganorenſi ex commiſsione S. Sedis conceſſus eſt: Ea, aliaque de quibus egi ſuo loco tàm poteſt Sanctitas Veſtra largiri, quàm potuit Gregorius Magnus Anglis permittere, ut quos Boves ſolerent in ſacrificio Dæmonum mactare, in feſtis Martyrum occiderent ad convivia celebranda in Tabernaculis circa Templum extructis: Tam id Sanctitas Veſtra poteſt, quam Gregorius Thaumaturgus Gentilium ferias ſuperſtitionibus commaculatas in feſta, ac celebritates S. S. Martyrum commutavit: Tam id poteſt quam Gregorius XV. potuit Fila Brammanum, Capillamenta, Sandala, Lavacra concedere ipſis Indis, quorum cauſam nunc aut eandem, aut prorſus ſimilem apud Sanctitatem Veſtram ago: Tam id poteſt, quam potuit Alexander VII. diſpenſare ut ex gravi

Difficiliora cōceſſa fuere iam à Suæ Sanctitatis prædeceſſoribus.

gravi neceſsitate proportionata poſſent omitti quædam Sacramentalia in Baptiſmate fæminarum, ipſumque Sacramentum Extremæ Unctionis: Tam denique Sanctitas Veſtra id poteſt, quam multi prædeceſſores Sanctitatis Veſtræ potuere innumera alia concedere, quæ multo difficiliora videbantur.

Quod ſi Sanctitas Veſtra timet, ne minus fidè ipſi expoſitæ fuerint illæ Indicæ conſuetudines in hoc Tractatu, ubi Illuſtriſs. Epiſcoporum ſuffragiis, Miſsionariorum Catechiſtarum, Chriſtianorumque teſtimoniis pleraque corroborantur; Si plus ineſſe veri exiſtimat Sanctitas Veſtra inquiſitionibus illis, quas initio hujus operis dixi factas fuiſſe ab Illuſtriſs. Patriarcha; quam iis, quæ tot oculati teſtes, immo quotquot illarum Gentium conſuetudines, linguaſque callent, unanimi conſenſu aſſeverant; denique ſi ea imperat, aut damnat, quæ Decreto imperantur, & damnantur, quid ſupereſt, niſi ut anticipatis lachrymis Sanctitas Veſtra infelicis illius Chriſtianitatis ruinam deploret, & omnino conclamatum putet de Fide Chriſtiana in quinque Regnis Indicis, Madurenſi, Tanjaurenſi, Gingenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi; brevi ad Sanctitatem Veſtram luctuoſus nuntius veniet, illic ubi adhuc veros adoratores ha-

Hac niſi concedātur; ſub iſto Pōtificatu, peribit in quinque regnis Religio Christiana.

bet Deus; illic ubi multi è Miſſionariis ad mille, & amplius homines quot annis Sacro Baptiſmo abluunt; veniet, inquam, brevi nuntius, ſublatos eſſe barbarorum furore Sacerdotes; Paſtoribus percuſſis territas Oves diſpergi, & ab immanibus Lupis crudeliter vorari; Fidelium bona Fiſco addicta; pueros Chriſtianos in Baptiſmi dedecus Ethnicorum ſervituti addictos ethnicè educari, & inſtitui; Carceres Chriſtianis eſſe plenos; ibi frequenter fame, ac ſiti mori; eorum ſanguinem velut aquam profundi; quodque triſtius eſt, multos Fidem deſeruiſſe, aut in tormentis abnegaſſe; flammis abſumpta Templa, polluta Sacroſanta Vaſa; peſſumdata ab Ethnicis omnia Religionis monumenta; denique vaſtiſſimas illas Indiarum terras in eum incidiſſe ſtatum, in quem demerſam fuiſſe lugemus adhuc Eccleſiam Japonicam: Atque haud ſcio num futura ſit triſtior noſtrarum Miſſionum clades, quam Japonicarum; propterea quod S. Sedes illarum cladem nequiverit avertere, iſtarum vero potuiſſet. Si tam funeſtum vulnus Eccleſiæ aliquando infligendum eſt, ne ſinat Sanctitas Veſtra ſub ſuo Pontificatu infligi; nam quanto dolore ſua viſcera laniari, ac perfodi Sanctitas Veſtra ſentiret, ſi tantam Religionis ſtragem audiens, meminiſset,

miniſset, ſe non tantum indulſiſse afflictiſſimo illi gregi quantum indulgere poterat.

Equidem in illà, quam Deus avertat, ruinà, hoc habebo ſolatii, O Miſſio mihi vità ipsà charior, quod per me non ſteterit quo minus illud excidium averterem; quod poſt exantlatos tua cauſa tot labores, quod poſt expoſitum pro te mille periculis caput, ut te ab Infidelium furore tutarer, nulla maris, terræque diſcrimina ſubterfugerim, nulli curæ, ſtudioque pepercerim, ut tuam cauſam apud S. Sedem agerem, & te ab interritu vindicarem. Me miſerum, ſi cum Divinà Gratià adjutus te ſæpius feliciter à perſecutorum rabie defenderim, ab hoc tam inaſpectato periculo te nequeam liberare! Infelices Miſſionarios omnes, ſi poſt repetitos inſenſiſſimorum hoſtium conatus Religionem in illis terris retinuere, nunc poſito Viſitatoris Apoſtolici Decreto retinere nequeant! Infelices, ſi ſuis auribus Chriſtianorum querelas audire cogantur; ſuis oculis eorum, totiuſque Religionis ſtragem intueri! Tot mala ſi aliquando eventura ſunt, Deum precor, ne mihi eò uſque triſtem hanc vitam producat. Me miſerum, quod felici pro Chriſto morti toties proximus, eam conſequi non potuerim, ſi ad hanc uſque horam vita mihi producta non eſt, niſi

Illud ſaltē habebo ſolatii, quod illam ruinā, quantum in me fuit, averterim.

ut acerba chariſſimorum meorum in Chriſto filiorum funera videns, plus paterer, quam mediis in tormentis; totieſque morerer, quin poſſem mori.

FInio Beatiſſime Pater, iterum atque iterum Sanctitatem Veſtram deprecans, non jam per Miſſionariorum ſudores, ac labores; ſed per ſudores, laboreſque Domini JESU Chriſti; non jam per acceptas à Neophytis ob Chriſtum cicatrices, ſed per accepta ab ipſo Chriſto moriente ob Neophytos vulnera, ut Sanctitatem Veſtram afflictiſſimæ illius Chriſtianitatis miſereat: Meminerit non quanti Miſſionariis, ſed quanti Chriſto conſtiterit; non quantum in hoc Mundo à Barbaris paſſura ſint Chriſtianorum corpora, ſed quantum à Dæmonum furore æternitate tota paſſuræ ſint tot animæ, quæ pereunte in illis terris Religione æternum peribunt. Tendunt manus ad Sanctitatem Veſtram tot Infantes ſine Baptiſmo, tot peccatores ſine pænitentia morituri; tenderent, ſi ſtatum noſſent ſuum, innumeri Infideles Chriſto nomen daturi: Libenter Sanctitas Veſtra vel pro unicà animà ex auguſto Solio ſuo deſcenderet, ut Unigenitus Dei Filius è Sinu Patris deſcendit; mille turmenta pro ejus ſalute

Rogatur iterum, atque iterum Sua Sanctitas, ut tot animarum ſaluti provideat.

te toleraret, ut Chriſtus Dominus toleravit; errantem Ovem per rupes, ſylvaſque quæſiturus pergeret, inventamque ſuis humeris alacriter imponeret: Et Sanctitas Veſtra tot Oves à Lupis vexatas ad Sinum ſuum confugientes arcebit, rejiciet? In tot animas ad imaginem Dei factas, pretioſiſsimo Chriſti Domini Sanguine redemptas fatalem ſententiam pronuntiabit? Ah potius benigniorem, ſuoque Nomini, ac Pectori magis congruentem proferat; foveat Chriſtianos, Ethnicos ad Fidem prudenti indulgentià invitet: Sic Sanctitati Veſtræ ſalutem ſuam India debeat, ut Gregorio Magno Anglia debuit ſuam: Manus perpetuo in Cælum tollent tot optimi Chriſtiani, Deumque Optimum Maximum una cum Miſsionariis precabuntur, ut donet Sanctitati Veſtræ diutiſsimè, felicißimè, Sanctiſsimeque regere Eccleſiam Dei.

& tolerares, ut Chriſtus Dominus toleravit er-
rantem? Ovem per ſaxa, ſylvaſque quæſiturus
pergeret, inventamque ſuis humeris alacriter
imponeret: Et Sanctitas Veſtra tot Oves a Lu-
pis vexatas ad Sinum Tuum confugientes arce-
bit, rejiciet? Et tot animas ad imaginem Dei
factas, pretioſiſſimo Chriſti Domini Sanguine
redemptas fatalem ſententiam pronuntiabit?
Ah potius benigniorem, ſuoque Nomini, ac
Pectori magis congruentem proferat; foveat
Chriſtianos, Ethnicos ad Fidem prudenti in-
dulgentia invitet: Sic Sanctitati Veſtræ ſalu-
tem ſuam India debebit, ut Gregorio Magno
Anglia debuit ſuam: Manus perpetuo in Cœ-
lum tollent tot optimi Chriſtiani, Deumque
Optimum Maximum una cum Miſſionariis
precabuntur, ut donet Sanctitati Veſtræ diu-
tiſſime, feliciſſime, Sanctiſſimeque regere Ec-
cleſiam Dei.

TESTIMONIA

Quibus probantur

Præcipui hujus Libelli Supplicis Articuli.

EPISTOLA

Illuſtriſsimi, ac Reverendiſsimi D.

D. AVGVSTINI AB ANNVNCIATIONE

ARCHI-EPISCOPI GOANI,

Et totius Indiæ Primatis.

SANCTISSIME PATER.

AD noſtram audientiam pervenit quædam dubitatio ſuper cujuſdam Decreti obſervantia Chriſtianis Madurenſibus, Mayſurenſibus, & Carnatenſibus ſine experientia à Domino Carolo Thoma impoſiti, continentiſque prohibitiones quaſdam omnino in praxi minime obſervandas. Proh dolor! Nihil enim valet longævi temporis experientia, nihil prævalet authoritas tantorum Virorum ſcientia, pietate, virtutibus, moribuſque vigentium; ac etiam

etiam Epiſcopali, Archi-Epiſcopali, nec non Primatiali dignitate fulgentium. Vult enim Dominus Patriarcha nullo modo in moribus hujus gentis verſatus, unico intuitu, nullaque praxi, minimo experto labore, nec etiam oculorum, obſervantiſsimas Chriſtianitates, totque millia animarum gladio voluntatis penitus jugulare. Attamen meo Primatiali officio coactus ad pedes Sanctitatis Veſtræ vulnera, & medicamenta ſubmiſsione debita exponere volo. Primum vulnus eſt, ingreſſus domùs de Pareàs ægrotantium: ad primam oculorum aciem optima & pia reſolutio; in praxi vero minimè explenda: Sunt enim Pareàs homines quidam viliſsimi, tali horrore à Nobilibus, ac aliis gentibus ſeparati, ut ad illos, qui eos tangunt, communicant, ac etiam cum eis quamcumque converſationem habent; minimè accedant: Tunc, ne pereant, Miſsionarii illos clam docent, ac illis Chriſtianum præſtant ſtudium: Hac prudenti obſervatione Chriſtianitas augetur, Eccleſia Catholica multiplicatur, & Dei cultus floret; Magnates, Nobiles, ac Principes ad Patres Miſsionarios, eorum doctrinam audientes familiariter accedunt; Pareàs adhibito remedio. Secundum vulnus eſt, in Sacramento Baptiſmi Salivam Pueris applicare: Sanctiſsime

Pater,

Pater, quo me vertam neſcio; ſcio enim hanc ceremoniam non eſſe de jure Divino, ſciens tamen ſalutem animarum ad jus Divinum in Sanctis Evangeliis proclamatum pertinere: Applicatio Sputi impedit converſionem, & ſalutem animarum: Eſt enim Sputum apud has gentes materia immundiſſima, talique horrore, ut Sacramentum, illa applicata, deteſtarentur; neque adulti Baptiſmum reciperent, nec Patres pueros ad Aquam adducerent Baptiſmalem: Igitur non ſuppoſitâ diſpenſatione pro Sinis, debebant Prælati Ordinarii, habito conſilio, piiſſimam Sanctitatis Veſtræ interpretari voluntatem: Hoc fecerunt, ut experientia nobis oſtendit. Tertium vulnus eſt, uſus Cineris: Hanc ceremoniam in ſignum Pænitentiæ, & humanæ fragilitatis Sacra proclamat Scriptura; ideo namque S. Mater Eccleſia in die Cinerum hàc utitur ceremonià: Oh utinam omnes Chriſtiani ſui eſſe fragilitatem meditantes, hac uterentur ceremonia; hic enim uſus ſecum deducens maximam pietatem, nullam, adhibitâ benedictione Sacerdotali, ut mos eſt, habet ſuperſtitionem, nec gentilitatis ſaporem. Ultimum vulnus eſt, Teſſera Nuptialis, quæ vulgari lingua dicitur Tale; hoc monile eſt ſignum contractùs civilis inter Conſor-

tes, ſuas admittens varietates cujuſcumque Tribùs ſignificativas, decernendo cujuslibet qualitates; quem uſum, cum ſit ſignum matrimonii, & nobilitatis, niſi vità eradicatà non abjicient; immo ſi cogerentur, Chriſtum deſererent. His poſitis, Sanctiſſime Pater, executionem Decreti Domini Patriarchæ Antiocheni diſtuli, volens ruinas harum Miſſionum his novitatibus oppreſſarum Sanctitati Veſtræ patefacere: Neſciens etiam hujus Prælati authoritatem; noluit enim Bullas publicare: hoc vero S. Mater Eccleſia ſuis Delegatis prohibet; eis præcipiens non ſolum Bullas promulgare, immo ad inſtantiam illas in ſcriptis oſtendere, & præbere. Omne ſupradictum concernens ad Chriſtianitatum augmentum, & conſervationem judico præciſum; obtemperaturus tamen mandatis Sanctitatis Veſtræ, quam Deus incolumem ad multos conſervet annos. Datum Goæ ſub noſtro ſigno, & ſigillo, die vigeſima Decembris, anno Domini milleſ. ſeptingenteſ. quarto.

Loco ✠ Sigilli.

Arceb. Primas.

Suffra-

Suffragium Illuſtriſs. D. Ioannis Ribeyro Archi-Epiſcopi Cranganorenſis.

CVm nobis à R. P. Franciſco Laînes Societatis JESU Procuratore à Provincia Malabarica electo, & Romam deſtinato oblata ſit quædam ſupplica, in qua requirebamur, ut innixi certis notitiis, & experientia pluſquam viginti quatuor annorum, quam habemus harum regionum Malabaricarum, daremus noſtrum ſuffragium, authenticumque teſtimonium concernens mores, ac ritus, & modum vivendi hucuſque obſervatum in Miſſionibus, Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi: Noſque animadvertentes pro ratione noſtri officii magna cum diligentia bono, & conſervationi dictarum Miſſionum attendere debere, ſtrictamque de hoc Altiſſimo rationem eſſe reddituros, eò quod maior pars illius Chriſtianitatis recens factæ nobis, licet indignis, Apoſtolica authoritate ſit commiſſa; Supplicam adeo juſtam admiſimus: Ideoque teſtamur ſeparationem Nobilium Indorum ab Ignobilibus vulgo Pareàs, ex lege civili in his Regnis inviolabili, & quoad aliqua, indiſpenſabili, eſſe præcep-

eam; quæ lex abſque graviſſimis damnis, & infamia inevitabili violari non poteſt: eo adeo, ut violator hujus legis, vel capite plectatur, vel ad minimum ignobilis, & infamis declaretur, ac à Tribu ſuà ejiciatur; quod eſt genus quoddam Excommunicationis civilis adeo rigoroſæ, ut ſic ejecti à ſua Tribu, lumine, aquà, & commercio Nobilium Indorum ſint omnino privati. Hæc autem pæna non ſolum concernit Indigenas Orientales nobiles, verum etiam Patres Miſſionarios; eo quod hi rationem vivendi Nobilium propriam elegerint, utpote viam unicam, ut ab Ethnicis Orientalibus audirentur; in hoc maxime errori Nobilium Orientalium parcentes, qui certo ſibi perſuadent, in ſpectantibus ad ſalutem, & Religionem, indignum eſſe auditu hominem illum, qui à ſuorum Nobilium ratione diſcrepat, & peregrinos ritus, ac ceremonias admittit: Vnde ſi hæc lex civilis prohibens communicationem Nobilium cum Ignobilibus ſub eodem tectò violetur; cùm Ignobiles ſub eadem Eccleſia cum Nobilibus admittendo, tùm domos, aut Vicos Ignobilium ingrediendo, ut illis ægrotantibus Sacramenta adminiſtrentur; eo ipſo deſtruentur Miſſiones hæ florentiſsimæ; Spirituale damnum irreparabile patientur tot millia animarum

marum in illis Regnis ad Fidem Chriſtianam converſarum, & oſtium Infidelium converſioni claudetur: Accedit, opportuniori viâ, quà in præſenti rerum ſtatu fieri poteſt, Ignobilibus de remedio ad ſalutem ſufficienter provideri. Haud aliter eventurum eſſe judicamus, ſi Neophytis prohibeatur uſus Cineris benedicti pluſquam ſexaginta retro annis à prædeceſſore noſtro Illuſtriſs. Domino D. Stephano de Britto Cranganorenſi Archi-Epiſcopo, & illius Chriſtianitatis Prælato jam admiſſus, ac conceſſus, expurgato quolibet fine ſuperſtitioſo in ſignum pænitentiæ, & finalis judicii: præcipue cum in tali uſu nec minima ſuſpicio mali etiam ab Ethnicis concipiatur. Si velint quod fæminæ nuptæ ſecundum ſuum ritum, ac morem ſuæ Tribùs non deferant quoddam Monile nuptiale, dictum Tale, quod habet figuram quaſi triangularem; in quo Monili eminent aliqua puncta referentia magnitudinem capitis acùs unius, ita diſpoſita ut juxta aliquos Infideles exprimant caput Elephantis, quod dicunt ſymbolum cujuſdam Idoli nomine Pulleyar, aliis ſimiliter peritis Ethnicis hanc ſymbolicam ſignificationem negantibus; Si velint, inquam, quod fæminæ nuptæ non deferant prædictum Monile, funditus ruent Miſsiones

Mala-

Malabaricæ: Cum enim variatio hujus Monilis ſit fæminis Chriſtianis impoſsibilis; cùm propter conſanguineos, & affines Gentiles hanc variationem minime permiſſuros; tùm propter Aurifices, qui omnes Ethnici cum ſint, nullum aliud Monile ſunt laboraturi, niſi proprium cujuſcumque Tribùs; velint, nolint fæminæ Chriſtianæ, hoc determinatum Monile ſunt geſtaturæ; & ſi deferre recuſent, à Fide recedere cogentur: Unde licet in tali Monili nuptiali emineant illa puncta, quæ juxta aliquos ſymbolicè ſignificant Pulleyar; cum vero etiam in iſtorum met opinione nullo modo ad cultum, aut venerationem geſtentur à fæminis etiam Infidelibus, ſed ad ſignificandum civilem contractum matrimonii; & in ſpecie omnes ſciant fæminas Chriſtianas determinate ad hunc civilem matrimonii contractum, & non ad finem aliquem ſuperſtitioſum deferre ſuum Monile Nuptiale; ne ex variatione tot damna ſequantur, dicendum nobis eſt, illud minime prohibendum. Item judicamus inunctionem ſputi non poſſe adhiberi in his Miſsionibus, quando Baptiſmi Sacramentum ſolemniter adminiſtratur: Cum enim Orientales Ethnici habeant Sputum tanquam materiam immundiſsimam; adeo ut ſi Sputo manus tangatur,
ad

ad lotionem uſque maneat immunda, & coinquinata: Si hoc Sacramentale adhibeatur, cedet ceremonia hæc in contemptum Sacramenti, horrore, ac nauſea retrahentur Catechumeni, & Infideles nomen authoris Sacramenti blaſphemabunt: Unde cum in hoc Sacramentali, ſit jam ex cauſa diſpenſatum pro Miſſione Sinica, & in Miſſione Madurenſi appareant non minora fundamenta, judicamus hoc Sacramentale non eſſe adhibendum in hac Miſſione. Nobis etiam impoſſibile apparet, quod feſtive non ſit excipienda puella Chriſtiana; quando primum paſſa eſt fluxum menſtruorum, tum propter Genitores multoties Infideles, cognatos, affines, & amicos Ethnicos; qui omnes audito nuntio, quod quidem tegi non poteſt, velint, nolint Chriſtiani, concurrunt puellæ parentibus, ſibique metipſis congratulaturi abſque aliqua impudicitia; eo quod puella illa jam ſit libera ab infamia, quà laborant fæminæ, quibus deeſt hìc fluxus menſtruorum; tum etiam quia inurbani haberentur puella, & parentes ejus, ſi hanc fortunam occultarent; & congratulantibus de fortuna, & ſpe prolis concipiendæ, nulla ederent ſigna lætitiæ. Hæc ergo cum ita ſe habeant, judicamus Decretum Illuſtriſs. D. Patriarchæ Antiocheni, quo prohibet mores

ſupra-

ſupradictos, qui ab initio harum Miſſionum ſunt admiſſi, ab hominibus doctis, & prudentibus propugnati, & ex parte jam permiſſi tum ab Illuſtriſs. Domino D. Alexio de Menezes Archi-Epiſcopo Goano, & totius Orientalis Indiæ Primate, ac poſtea Archi-Epiſcopo Bracharenſi, & Hiſpaniarum Primate; tum ab Illuſtriſs. Dominis D. Franciſco de Roî, D. Stephano de Britto, & D. Franciſco Garcia prædeceſſoribus noſtris, non fore in bonum & ædificationem illius Chriſtianitatis recens factæ: Cum enim ejuſmodi Decreti obſervantia minimè ſuaderi valeat; & licet intimetur, nec Neophyti ſint acceptaturi, nec Principes Infideles illius obſervantiam permiſſuri; ideo ſi ſtrictè præcipiatur, noſtris met oculis, & inexplicabili cordis noſtri dolore inſpecturi ſumus everſionem illarum Miſſionum, & ruinam tot millium animarum. Igitur cenſemus in Domino, ne Miſſiones adeo florentes unico ictu ſuccidantur, ne pereant tot millia animarum, ne oſtium prædicationi Evangelicæ, & Infidelium converſioni occludatur, eſſe neceſſarium, quod Sedes Apoſtolica pro ſua clementia erga hos Neophytos Orientales, permittat, approbetque ritus, & mores ſuprapoſitos, quibus in Miſſionibus Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi

ad

ad hæc uſque tempora Neophyti abſque ullo ſcrupulo, vel ſcandali ſpecie uſi ſunt. Immo licet ritus hi ab initio nullam ſuperſtitionem ſaperent, & modo ab Infidelium impietate decurſu temporis aliquam ſuperſtitionis labem contraxiſſent, cum in Chriſtianis nullam redoleant impietatem, vel ſuperſtitionem; eo quod omnes Infideles Chriſtianos, ut veræ Fidei profeſſores, agnoſcant, Idolorum irriſores habeant, etiam ſi his ritibus, & moribus conformes videant, ejuſmodi ritus ab omni ſuperſtitione expurgatos Neophytis permitti poſſe judicamus. Datum in Chalacury ſub noſtro ſigno, & ſigillo, quo utimur 30. Octobris 1704.

D. Joannes Ribeyro
Archi Epiſcopus Cranganorenſis.

Loco ✠ Sigilli.

Teſtimonium Illuſtriſs. D. Gaſparis Alfonſi Epiſcopi Maliapurenſis.

CVm RR. Patres Societatis JESU Miſſionarii per Madurey, Mayſur, & Carnate, propter Decretum aliquod 1. Aprilis an. 1704. expeditum ab Illuſtriſs. D. Patriarcha Antiocheno, & Viſitatore Generali Miſſionum Orientalium, quarum magna pars ſubeſt juriſdictioni Epiſcopatus noſtri Maliapurenſis, per Procuratores ſuos recurrant ad pedes Suæ Sanctitatis; à nobis petière, ut teſtaremur id, quod ſpatio annorum decem, & amplius, quibus in iſta Ora Choromandelica commoramur, & trium annorum, quibus in Provincia Malabarica Provincialatùs munere functi ſumus, experientia nos docuit de conſuetudinibus, quæ in dictis Miſſionibus obſervantur. Sunt iſti Malabares, & generatim Indi omnes Orientales addictiſſimi ſuis conſuetudinibus, ritibuſque ſuæ gentis; ita ut Nationes Europæas barbaras, viles, ignobileſque putent, eo quod illos uſus non obſervent; & præſertim eo quod bubulà veſcantur; quæ res in tota iſta gentilitate

litate abominanda eſt; niſi in Pareis gente vilissima.

Cum ergo cernerent Religioſi Societatis JESU nullum à ſe fructum fuiſſe collectum, quandiu in iſtis Miſſionibus laborarunt eo veſtitu, iiſque conſuetudinibus utentes, in quibus educati fuerant, deſiderio viæ aperiendæ ad hujus Gentilitatis converſionem; ſtatuere induere veſtitum Sacerdotum iſtius regionis, ejuſque conſuetudines, rituſque obſervare, exceptis illis, quæ forent ſignificativa legis; ſibimet interdicendo omne carnis genus, ac vinum, ſolum veſcentes Oriza, herbis, ac leguminibus, vitamque pænitentem profitentes, ut animarum ſaluti conſulerent; & tam felici converſionum ſucceſſu id fecère, ut ſtatim cæperit copioſus fructus colligi, & Chriſtianorum numerus maxime augeri in illis Miſſionibus, ac præſertim in Miſſione Madurenſi, quæ hodie florentiſsima eſt totius Indiæ.

Pervenit Puducherium in arcem Gallorum D. Viſitator Generalis Miſsionum Patriarcha Antiochenus, & inquirendo de conſuetudinibus ſupradictarum Miſsionum ex conſilio hominum Europæorum ſine notitia, & experientia conſuetudinum, rituumque iſtius gentis, Decretum tulit variis punctis conſtans ſuper

uſu, conſuetudinibuſque in ea gente obſervatis: Punctorum illorum quatuor præcipua ſunt, quibus omnino, & radicitus perdit, deſtruitque illas Christianitates, & una hora evertit id omne, quod Miſsionarii tanto ſumptu, tantiſque laboribus effecerant ſeptuaginta, vel octoginta annorum ſpatio.

Juſsit ſub gravi præcepto, ut Miſsionarii intrarent Parearum infirmorum domos; ut ungerent Saliva baptizandos; ut Neophyti Cineribus non uterentur; ut à mulieribus nuptis non geſtaretur collo Tale, hoc eſt, Teſſera nuptialis, quà hactenus uſæ erant. Velle hæc quatuor præcepta obſervare, idem eſt, ac ponere obicem prædicationi Evangelii, & perdere animas jam converſas; eo quod cum hæc gens ſit addictiſsima patriis ſuis conſuetudinibus, & ſi Chriſtiani vellent hæc obſervare, nec Magiſtratus, nec parentes eſſent conſenſuri; ita ut ſit moraliter impoſsibilis iſtorum præceptorum obſervatio: Et ſcimus aliquos Patres fuiſſe in ea ſententia, ut traderentur Miſſiones in manus Domini Patriarchæ; eo quod, ſi Miſsionarii ingrederentur limen Parearum gentis ignobiliſsimæ, quam Indigenæ non tangunt, & ad quã nõ accedunt propius nobiliores, & multo minus Sacerdotes; Si id fiat, Lex Dei

vili-

viliſsima reputabitur, Xutrenſes non convertentur, & Miſsionarii abſque ulla venia Regno eijcientur. Propter has rationes Illuſtriſs. D. Alexius de Menezes Indiæ Primas permiſit, ut in Templis ſepararentur Nobiles à Pareis.

Uſus Cinerum adeo introductus eſt in iſta Regna à tempore immemorabili, & Malabares adeo tenaciter adhærent huic conſuetudini, ut contrarium illis videatur indecentia, impolitia, & inurbanitas: Idcirco Illuſtriſs. D. Stephanus de Britto Epiſcopus Cranganorenſis, ex commiſsione S. Sedis, poſt maturum examen conceſsit Neophytis uſum quotidianum Cineris benedicti, finem illi immutando in ſignum pænitentiæ, & univerſalis judicii.

Saliva ab iſta gente res viliſsima cenſetur, magis abominanda, ac fæda quam hominis ſtercus; ideo non ſpuunt in Templis, nec in domibus, nec manu Salivam tangunt; & ſi forte tetigerint, ſtatim manus lavant, haud ſecus ac ſi rem aliquam immundam tetigiſſent: Hinc judicarunt Patres, & Miſsionarii antiqui fore ut, ſi Saliva uterentur in Baptiſmo, redderent illud Sacramentum vile, & nauſeoſum Neophytis, Gentilibus verò ſcandaloſum: Et quia Summus Pontifex jam ab iſto Sacramentali

li diſpenſarat in Miſsione Sinenſi, cum magis neceſſariæ ſint rationes in Miſsione Madurenſi, à pari ratione uſi ſunt Miſsionari eàdem diſpenſatione.

Tali mulierum nuptarum ab initio conceſſum eſt ob difficultatem illius conſuetudinis tollendæ; & nobis videtur poſſe geſtari licitè, & in praxi videtur nobis nullum eſſe dubium, quia omnes Neophyti in bona fide vivunt ſine ſcrupuli umbris, nec ſcandalum datur activum, vel paſsivum in tali uſu.

Illud eſt quod certo ſcimus, & affirmamus noſtro teſtimonio de conſuetudinibus à principio obſervatis in Miſsionibus Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi: Et certum eſt deſtructum, everſum, & perditum iri tam ingentem numerum animarum jam converſarum, ſi obſerventur præcepta contenta Decreto Illuſtriſs. D. Patriarchæ Antiocheni, præcipue quatuor ſupra appellata; nec poſsibile eſt, ut Miſsionarii in iſtis Regnis Malabarenſibus exerceant Miſsiones. Itaque nobis videtur debere à Sua Sanctitate approbari conſuetudines hactenus obſervatas in iſtis Miſsionibus, ut non remaneant clauſæ Evangelio, & legi Chriſtianæ januæ iſtorum Regnorum, & non pereant tam multorum Neophytorum Animæ. Datum in

Urbe

Urbe S. Thomæ ſub noſtrà ſubſcriptione, & ſigillo 4. Auguſti an. 1704.

Gaſpar Alfonſo
Epiſcopus Maliapurenſis.

Ad Sigillum ✱ Ex officio
Diaz.

Teſtimonia Miſſionariorum Madurenſium.

EGo Franciſcus Laînez Societatis JESU Sacerdos, & Miſſionariorum Madurenſium pro tempore Superior ex mandato R. Patris Antonii de Barroz Provinciæ Malabaricæ ejuſdem Societatis JESU Præpoſiti; Provincialis, proteſtor, & inſuper juro in verbo Sacerdotis, judicare me coram Deo, eſſe valde neceſſarium ad conſervationem Chriſtianitatis, & converſionem Gentilium harum Miſſionum, ut in illis Patres Miſſionarii procedant juxta reſolutiones ſuprapoſitas; ita ut ſi ab illis recedatur, & uſus ejuſmodi rituum interdicatur, Neophyti exponendi ſint evidenti periculo relapsùs, & Gentiles plane abſterrendi à Lege Chriſtianorum. In Miſſione Madurenſi 29. Julii an. 1704.

Franciſcus Laînez.

Ego Simon Carvalho Religioſus Societatis JESU, & Miſſionarius Madurenſis, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & hoc ipſum juro in verbo Sacerdotis. Ex Miſsione Madurenſi, an. 1704. 31. Julii.

Simon Carvalho.

Ego Joannes de Britto Societatis JESU Religioſus, & Miſsionarius Madurenſis, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & hoc ipſum juro in verbo Sacerdotis. Ex Miſsione Madurenſi an. 1704. 7. Auguſti.

Joannes de Britto.

Ego Daniel Joſephus Boſchetto Societatis JESU Religioſus, & Miſsionis Madurenſis Miſsionarius, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & hoc ipſum juro in verbo Sacerdotis. Ex Varugapati in Miſsione Madurenſi 6. Auguſti an. 1704.

Daniel Joſephus Boſchetto. S. J.

Ego Antonius Diaz Societatis JESU Religioſus, & Miſsionis Madurenſis Miſsionarius, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & juro in verbo Sacerdotis judicare me eſſe valde neceſſarium ad converſionem Gentilium, &

con-

conſervationem harum Miſsionum; ut Patres Miſsionarii ſe conforment reſolutionibus ſuprapoſitis; ita ut ſi ritus illi prohibeantur, Neophyti exponantur periculo gravis ruinæ Spiritualis. Ex Miſsione Madurenſi an. 1704. 8. Auguſti.

Antonius Diaz.

Ego Carolus Michael Bertoldus Societatis JESU Miſsionarius Miſsionis Madurenſis, interrogatus à P. Franciſco Laînez ejuſdem Miſsionis Superiore, circa mores, & ritus ſuprapoſitos, affirmo, & juro in verbo Sacerdotis, prædictos mores, & ritus, conſiderato ſtatu rerum præſentium, eſſe valde neceſſarios, cùm ad conſervandam rem Chriſtianam, tùm ad converſionem Gentilium; qui mores, & ritus ſi prohibeantur, exponentur Neophyti evidenti periculo ſubverſionis, & claudetur oſtium Evangelio prædicando. In Miſsione Madur. 18. Auguſti an. 1704.

Carolus Michael Bertoldus.

Ego Petrus Martin Societatis JESU Religioſus, & Miſsionarius Miſsionis Madurenſis, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & juro in verbo Sacerdotis, quod conſervatio, ſeu

tolerantia rituum, juxta modum ſupra expoſitum, ad hoc ſit valde neceſſarium, ut Chriſtianitas Miſsionis Madurenſis non perdatur, & porta non claudatur converſioni Gentilium. Ex Miſsione Madurenſi 22. Auguſti an. 1704.

Petrus Martin.

Ego Bernardus de Saà Societatis JESU Religioſus, & Miſsionis Madurenſis Miſsionarius, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & juro in verbo Sacerdotis, judicare me, quod exacta obſervantia datarum reſolutionum in his novis Miſsionibus Orientis ſit omnino neceſſaria ad continuationem fructuoſæ prædicationis Evangelii, & conſervationem Miſsionum. Et ſi ritus illi hucuſque permiſsi prohibeantur, ſequetur infallibilis ruina ſpiritualis, graves perſecutiones, & totalis ſubverſio Neophytorum; uti certo colligere licet ex illis, quas aliis temporibus propter has cauſas acciderunt. Ex Miſsione Madurenſi 5. Septembris 1704.

Bernardus de Saà.

Ego Xavèrius Borzeſius Societatis JESU Miſsionarius Madurenſis, ex mandato meorum Supe-

Superiorum proteſtor, & juro in verbo Sacerdotis, judicare me eſſe valde neceſſarium ad conſervationem harum Miſsionum, & converſionem Gentilium in illis degentium, ut Miſſionarii conforment ſe reſolutionibus ſuprapoſitis: Et ſi obſervantia horum rituum prohibeatur, Chriſtiani exponentur periculo gravis ruinæ Spiritualis; neque deinceps in his terris, ubi prædicti ritus inevitabiliter exercentur, cum fructu poterit prædicari Evangelium. Ex Miſsione Madurenſi 10. Septembris 1704.

Xaverius Borzeſius.

Ego Ignatius da Coſta Societatis JESU Religioſus, & quondam Miſsionarius Madurenſis, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & affirmo hoc meo Chirographo, & inſuper juro in verbo Sacerdotis, judicare me eſse valde neceſsarium ad converſionem Gentilium, & conſervationem Chriſtianorum in Madurey, Mayſur, & Carnate degentium, ut Patres Miſſionarii conforment ſe reſolutionibus ſuprapoſitis; & ſi obſervantia rituum illorum prohibeatur, exponerentur Neophyti periculo gravis ruinæ ſpiritualis. Ita teſtor juratus manu proprià. Tutucurini 10. Sept. an. 1704.

Ignatius da Coſta.

Ego Joannes Antunes Religioſus Societatis JESU, & per aliquod tempus quondam Miſſionarius Madurenſis, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & juro id ipſum in verbo Sacerdotis. Ex Coll. Manaparenſi 13. Sept. an. 1704.

Joannes Antunes.

Ego Hieronymus Tellez Societatis JESU, & quondam Miſſionarius Madurenſis, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & in verbo Sacerdotis hoc ipſum juro. E-Cariapatam 5. Octob. 1704.

Hieronymus Tellez.

Ego Joſephus Pinheyro Societatis JESU, & quondam Miſſionarius Madurenſis, ex mandato meorum Superiorum proteſtor, & in verbo Sacerdotis hoc ipſum juro. Ambalacatæ 23. Octob. an. 1704.

Joſephus Pinheyro.

Teſtimonia Catechiſtarum, & Neophytorum Madurenſium.

EGo Xaverius Muttu Brammen, & Catechiſta, qui per decem annos prædico doctrinam Chriſtianam in Regno Ginja, & de præſenti in Maravà, proſtratus in terram, revereor præſentiam Prælatorum meorum, & teſtificor ſequentia: Patres Societatis JESU, à die, qua has regiones ingreſſi ſunt, uſque in præſens tempus direxerunt nos in viam ſalutis, accommodantes ſe conſuetudinibus patriis, cuique Tribui propriis, nec quidquam in moribus noſtris politicis immutantes; Unde factum eſt, ut Religio Catholica in his terris magnis aucta ſit incrementis: Ut igitur prædicta Religio non pereat, ſed conſervetur; ut de die in diem creſcat, ut Infideles, agnoſcentes verum Deum, recipiantur in unitatem Fidei; neceſſe eſt, ut permittamur vivere juxta mores, & conſuetudines patrias, nec facile aliquid in ipſis innovetur, ne forte ſi inducantur alii ritus noſtræ politiæ contrarii, cauſa ſint, ut Eccleſia Dei in his regionibus plane peſſum eat; ut Infideles, præter quam quod ſe Religioni noſtræ non

ſub-

ſubmittent ; verum Deum blaſphement ; & ut Chriſtiani continuis perſecutionibus vexati penitus extirpentur. Nam ſi prohibeamur benedictos Cineres ferre in frontibus noſtris ; Si Xutres jubeantur communicare cum Ignobilibus, vulgò Pareàs ; nec quiſquam ſinatur vitare Tribum ſuà inferiorem ; Si Patres jubeantur adire domos ægrotantium Parearum, nec permittantur eorum ſaluti aliis convenientibus mediis ſubvenire ; Si nuptis non liceat deferre Teſſeram nuptialem, quam dicunt *Tali* ; Si iſtis, inquam, & ſimilibus conſuetudinibus uti nobis non liceat, & alii his contrarii inducantur, præter quam quod eos non ſint accepturi noſtrates Indi, quod adverſentur noſtræ politiæ ; Principes, & Gubernatores, qui nos perſequuntur etiam dum obſervamus prædictos ritus, ſi viderint eos à nobis contemni ; concepto contra Divinam Legem maiori odio, noſtram Religionem penitus extinguent ; & ipſi conſanguinei noſtri, quin nos ſinant vivere ſecundum Legem Divinam, nos perſequentur, & ex Tribu ſuà excludent ; atque ita prædicatio Evangelii ceſſabit, ut experientià docemur in his regionibus. Ut igitur hæc mea teſtificatio apud quoſvis Eccleſiæ Prælatos fidem faciat, in Sancta Dei Evangelia jura-

vi,

vi; atque manu propria præſentes ſubſcripſi. In terris Maravà, An. Tarana, menſe Julio.

Brammen Xaverius Muttu.

Ego Xaverinayquen, qui à quinquaginta annis Catechiſten ago in diverſis Regnis Miſſionis Madurenſis, & modo in Ducatu Principis Naynàr, id ipſum teſtificor de ſupradictis politicis ritibus; & præterea, quod ſi inducantur mores contrarii, nullus amplius prædicandi Evangelii locus erit, nec vivendi juxta Legem Dei in his regionibus. Ita affirmo; & ut coram Prælatis meis hoc fidem habeat, omni conſtantia attingo Sacra Evangelia, & juro omnia hæc eſſe vera, & ad hoc me propria manu hìc ſubſcripſi. Anno Tarana menſe Julio.

Catechiſta Peria Xaverinayquen.

Ego Adiapen, qui à quadraginta annis Catechiſten ago, certifico id ipſum de moribus politicis ſupradictis: Nam cùm in iſtis Regnis prædicata ſit Lex Evangelica abſque eo quod memorati ritus prohiberentur; propterea Lex Divina crevit inter iſtas gentes: & ſi in poſterum voluerint inducere contrarios, nec eadem

Lex

Lex Divina poterit prædicari in iſtis Regnis; nec Chriſtiani deſinent pati perſecutiones ab Infidelibus: ad hoc affirmandum in experientia fundamur. In quorum fidem, tactis Sanctis Evangeliis, id ipſum juro, atque præſentes meà manu ſubſcribo. Ex Varugapaty, An. Tarana, menſe Julio.

Catechiſta Adiapen.

Ego Xaveriapen, qui à viginti quinque annis prædico Catechiſmum in Civitate Tanjaor, & aliis Regnis Miſſionis Madurenſis, certifico id ipſum de ritibus ſupra memoratis, & juro in Sacra Evangelia, atque manu mea ſubſcribo. An. Tarana menſe Julio.

Velala Xaveriapen Catechiſta.

Ego Xaveriapen Catechiſta, qui à decem annis annuntio doctrinam Fidei in variis regionibus, & nunc in terris Maravà, teſtificor idipſum de moribus ſupradictis: in quorum fidem juro in Sacra Evangelia, & me hìc ſubſigno. An. Tarana menſe Julio.

Pænitens Velala Xaveriapen.

Ego Paulus qui ab octo annis Catecheſim annuntio in terris Maravæ, aliiſque regionibus,

idip-

idipſum teſtificor de ritibus ſupradictis hujus Miſſionis Madurenſis; & inſuper addo, quod ſi alios noſtris contrarios inducere conemur, reſeratum jam Evangelio Oſtium penitus claudetur: in quorum fidem Sancta Evangelia juro. An. Tarana, menſe Julio.

Paulus Catechiſta Velala.

Ego Servus Mariæ, qui ab octo annis in Regno Ginja, & terris Maravæ Catechiſten ago, idipſum teſtificor de ritibus ſuprapoſitis, quorum praxis neceſſaria omnino eſt, cùm ad conſervandam rem Chriſtianam, tum propagationem Sancti Evangelii. In cujus rei fidem ſpontè juro in Sancta Evangelia, & manu meà ſubſcribo. Anno Tarana, menſe Julio.

Catechiſta Servus Mariæ.

Ego Franciſcus Nayquen, qui in Regno Madurey, & aliis regionibus Catecheſim annuntio, teſtificor idipſum circa ritus ſupradictos magno cum fructu animarum hucuſque permiſſos, & ſine quibus claudetur oſtium Evangelio prædicando. In cujus rei fidem Sancta Evangelia juro, & manu propria hìc me ſubſcribo. An. Tarana, menſe Julio.

Catechiſta Franciſcus Nayquen.

Ego Xinnapen, qui à triginta annis in diverſis hujuſce Miſſionis Madurenſis Provinciis prædico Catecheſim, ſupradictis teſtimoniis aſſenſum præbens, affirmo ſupra memoratos mores, & ritus politicos ita obſervari debere, ut ſi quis contrarios inducere ſtuduerit, Religio Chriſtiana neceſſario periturn eat. In quorum fidem, Sancta Evangelia juro, & manu mea hìc ſubſcribo. Anno Tarana, menſe Julio.

Catechiſta Xinnapen.

Ego Jegani, qui & progenitores mei à quatuor generationibus Catecheſim annuntiamus, ſupramemoratis teſtimoniis aſſentior; & inſuper affirmo, hanc Chriſtianitatem penitus abolendam, ſi patriis moribus hucuſque in eà permiſſis valedicere cogamur: In quorum omnium, & ſingulorum fidem, in Sancta Evangelia juro, & propria manu ſubſcribo. An Tarana, menſe Julio.

Catechiſta Jegani Velala.

Ego Muttu Catechiſta libenter aſſentior teſtimoniis ſupradictis circa ritus, & conſuetudines hujus Miſſionis Madurenſis; & inſuper affirmo, experientia compertum eſſe, contrarios

noſtræ

noſtræ politiæ ritus obſtaculo fore prædicando Evangelio: In quorum fidem, tactis Evangeliis juro, & ſpontè hìc ſubſcribo. Anno Tarana, menſe Julio.

Catechiſta Muttu.

Nos Xurapen, & Ignatius, qui ab Infantia Chriſtianam Religionem colimus, idem pronuntiamus circa ritus, & mores à tempore immemorabili in his regionibus admiſſos. Inſuper teſtamur, contrarios huic noſtræ politiæ ritus, ſi qui introducere conentur, impedimento fore Infidelium converſioni, & conſervationi Chriſtianitatis: In quorum fidem, juramus in Sacra Evangelia, & propria manu ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Julio.

Dux Xinnapen - Dynaſta Ignatius.

Nos infraſcripti, qui à viginti, & triginta annis Fidem Catholicam amplexi ſumus, teſtimoniis ſupra memoratis aſsenſum præbemus, idemque judicamus. In quorum fidem, tactis Sacroſanctis Evangeliis juramus, & propria manu ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Julio.

Nbani Retti, - Anna Retti, - Papu Retti, - Xinnama Retti, - Xarcarey.

Ego Jegani, qui ab octodecim annis Catechiſten ago in Comitatu Tottiam, & Retti, idem ſentio circa ritus Madurenſes : inſuper affirmo Legem Divinam deſtructum iri, ſi alios ſupramemoratis contrarios inducere conemur. In quorum fidem, Sacra Evangelia juro, & propria manu ſubſcribo. An Tarana, menſe Julio.

Jegami Catechiſta.

Nos Annà Retti hujus Oppidi Gubernator, Xarruvapanayquen Dux militiæ, & Raiapen, qui quadraginta, & quinquaginta ab hinc annis Chriſtianam Religionem colimus, teſtamur, & affirmamus Legem Divinam, ideo uſque ad præſens tempus inter hos noſtrates Indos propagatam fuiſſe, & de præſenti propagari, quia illius prædicatio permittere non recuſabat patrios Indorum ritus, & politicas conſuetudines, quæ ſi deinceps innoventur, procul dubio ipſa Divina Lex peſsum ibit, & Neophyti evidenti ſubverſionis periculo ſubjacebunt. In cujus rei fidem, in Sancta Evangelia juramus, & manu propria ſpontè hìc ſubſcripſimus. An. Tarana, menſe Julio.

Gubernator Xurapen, Dux Xarruvanayquem, Raiapen.

Nos

Nos infraſcripti viginti quatuor Neophyti, qui à multis annis ex Infidelitate Fidem Romanam amplexi ſumus, teſtamur, & affirmamus idem circa mores patrios, & ritus politicos hujus noſtræ Regionis: qui ritus, & mores ſi prohibeantur, res Chriſtiana evidenti periculo ruinæ ſubjacebit. In quorum fidem tactis Evangeliis juramus, & fidem facimus, ac manu propria hoc Chyrograhum obſignamus. Anno Tarana, menſe Julio.

Annandapapillay,- Devazagaiam,- Raiapen, - Xaveri, - Xinnapen, - Xaveriapen, - Xinnama Retti, - Ananden,- Arulapen, - Muttapen, - Anandapen,- Xaveriapen, - Nalladambi, - Mutten,- Raiapen, - Xaveriapen, - Jeganaden,- Xaveri, - Xinnapen, - Xandapen, - Xurapen, - Arulapen, - Nidiapen, - Xarcarciapen.

Nos Muttapen Dux militiæ, & Jeganiàpillei Gubernator hujus Oppidi Aiirenſis, nec non Raiapapillei, Arulapapillei, Raiapanayquen, & Vaitinanden, qui multis ab hinc annis Catecheſim annuntiamus, idem teſtamur, & affirmamus circa ſupra memoratos ritus, & mores, quibus nos uſque in præſens attemperantes,

multos

multos ex Infidelitate Chriſto lucrifecimus, aliter non facturi. In cujus rei fidem, Sacroſancta Evangelia juramus, & manu propria hanc noſtram ſyngrapham obſignamus. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Dux Muttapen, Gubernator Jganiàpillei, Raiapapillei, Arulapapillei, Raiapanayquen, Vaitinaden.

Nos infraſcripti viginti duo Neophyti, qui à multis annis Chriſtianam Legem colimus, idem teſtamur, & affirmamus circa mores, & conſuetudines politicas de quibus ſupra memoratum eſt. In quorum fidem, tactis Evangeliis juramus, & manu propria ſubſcribimus. An. Tarana, menſe Aug.

Muttu, - Ponambalam, - Bengarunayquen, - Muttapen, - Mariadajen, - Arulapen, - Muttapen, - Xinnapen, - Xaveri, - Nalladambi, - Muttapen, - Nalladambi, Xaveri Muttu, - Muttu Xaveri, - Paramananden, - Ananden, - Xaveri Muttu, - Nbani, - Raien, - Xinnamuttu, - Raien, - Ananden.

Nos infraſcripti idem teſtamur, & juramus in

in Sacra Evangelia, & manu propria ſyngrapham hanc noſtram obſignamus. An. Tarana, menſe Aug.

Arulen, Annaden, Xina Arulen-Nidi, Caſturi, Satianaden.

Nos Muttapapillei, Muttapamudali, & Xaveri Muttu, qui à multis annis Catecheſim annuntiamus, eiſdem teſtimoniis ſupradictis aſſenſum præbemus; & inſuper affirmamus, Legem Divinam ideo inter has gentes propagatam fuiſſe, quia prædicti mores cum illa conſentientes non prohibebantur. Unde ſi de novo ritus contrarios inducere voluerimus, Chriſtiana Religio penitus extinguetur. In quorum fidem hoc ipſum in Sacra Evangelia juramus, & manu propria ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Aug.

Muttapapillei, Muttapamudali, Xaveri *Muttu.*

Nos infraſcripri idem teſtamur circa ritus noſtrarum regionum, & hoc ipſum juramus in Sacra Evangelia, manuque noſtra obſignamus. An. Tarana, menſe Auguſti.

Nalladambi, Vellei Xaveri, *Satianaden, Arulen, Carunaguram, Satien.*

Nos

Nos infraſcripti idipſum certificamus, omniaque in prædictis teſtimoniis vera eſſe affirmamus, ac juramus in Sancta Evangelia, propriaque manu ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Aug.

Xi*nna Cattiorèian*, *Satien*, *Muttu*; *Muttapen*.

Nos infraſcripti fidem facimus, ac teſtamur, ſupramemoratos ritus neceſſarios eſſe, cum ad conſervandam rem Chriſtianam, tum ad propagationem Evangelii. In quorum fidem, hoc ipſum in Sacra Evangelia juramus, & manu propria ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Xi*nnapen*, *Clemente*, X*averimuttu*, *Nhanamurti*, *Satianaden*, X*averiapen*, *Nalladambi*, *Arulen*, X*averiapen*.

Nos infra obſignati idem judicamus circa ritus Madurenſes, prædictaque teſtimonia eſſe veritati conformia, juramus in hæc Sancta Evangelia, & manu propria ſubſcribimus. An. Tarana, menſe Aug.

Papunayquen, X*averiapen*, *Devazagaiam*, *Caſturi*, *Ananden*, *Raien*, X*averiapen*.

Nos

Nos infraſcripti fidem facimus ſupradicta teſtimonia eſſe conſona veritati. In quorum fidem, hoc ipſum in Sacra Evangelia juramus, & manu propria obſignamus. Anno Tarana, menſe Aug.

Xaveriapen, *Arulapen*, *Antoniapen*, *Sattianaden*, *Nalladambi*.

Nos infraſcripti teſtamur vera eſſe teſtimonia ſupra poſita circa ritus in his regionibus uſitatos; & hoc ipſum in Sacra Evangelia juramus, ac manu propria ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Aug.

Raien, *Muttu*, Xaveriapen, *Satien*, *Nidi*, *Muttapen*.

Nos Papunayquen, qui ab octo annis Catechiſten ago, & Jegani Neophytus, teſtamur, teſtimonia ſupra allata circa ritus patrios, & politicas conſuetudines hujus regionis vera eſſe: & inſuper addimus converſionem Ethnicorum, ac conſervationem Chriſtianorum, nullatenus ſperari poſſe, ſi tales ritus, & conſuetudines prohibeantur, & contrarii de novo inducantur. Hoc ipſum ut fidem faciat, in Sacra Evangelia juramus, & manu propria ſubſcripſimus. An. Tarana, menſe Aug.

Papunayquen Catechiſta, *Jegani*.

Nos infraſcripti teſtamur, & affirmamus vera eſſe teſtimonia ſupra allata circa mores, & ritus politicos hujus regionis; & hoc ipſum tactis Sacroſanctis Evangeliis juramus, & manu propria obſignamus. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Raiapen, Nhani, Muttapen.

Ego, qui à viginti annis per Regnum Tanjaurenſe Catechiſten ago, meorum Prælatorum pedibus humili reverentia procumbens, humili ſubmiſſione teſtor, ſupramemoratos ritus, & politicas conſuetudines ita eſſe neceſſarias Evangelio prædicando, ut ſi à principio non fuiſſent permiſſæ, nullatenus propagari potuerit idem Evangelium inter noſtrates Indos ſuæ politiæ tenaciſſimos. Quapropter ſi rejectis his jam permiſſis ritibus, alios illis contrarios inducere voluerimus, Religio Chriſtiana procul dubio peſſum ibit: Et ut hoc meum teſtimonium fidem faciat, omni conſtantia juro in Sancta Evangelia, verum eſſe id omne, quod hoc meo chyrographo affirmavi, & cui manu propria ſubſcripſi. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Nhanapragajam Catechiſta Velala.

Nos

Nos infraſcripti teſtamur, & affirmamus ſupradictos mores nobis patrios, & noſtratibus inviolabiles, nullo modo prohiberi poſſe, ſi res Chriſtiana ſervari lubet: præter quam quod etiam ſi alios iſtis contrarios inducere mens ſit, nullo modo eos recipient nobiles Indi; ac proinde nec etiam Divinam Legem, quæ hac de cauſa in Regnis noſtris perditum ibit. Et ut noſtri Prælati huic noſtro teſtimonio fidem præbeant, ad pedes illorum humillimè provoluti, & tactis Sacroſanctis Evangeliis illud ipſum juramus, & manu propria obſignamus. Anno Tarana, menſe Aug.

Magni Regis aulæ Præfectus Santoji Avaldar, Vectigalium Præfectus Raiapapillei, regiorum reddituum Præfectus Xaverimuttàpillei, Aulæ regiæ Vates Pelendira Vatiar, Dux militiæ Muttapen, Caſturiàpillei, Nalladambiapillei, Maleien.

Nos infraſcripti Catechiſtæ, qui à multis annis Legem Divinam annuntiamus, Maiorum noſtrorum ad pedes proſtrati reverenter teſtamur, Divinam Legem non alia de cauſa inter has gentes hucuſque propagatam fuiſſe, niſi quia illius promulgatio nullatenus adverſari vi-

debatur politicæ Indorum civilitati. Si igitur innovata nuuc Evangelii promulgandi ratione, & abolita Indorum civilitate, ritus, & mores illi contrarios inducere viſum fuerit, aboleri etiam neceſſe eſt, & à nobis exulare Chriſtianam Religionem. In quorum fidem, tactis Sacroſanctis Evangeliis hoc ipſum juramus, & manu propria obſignamus. Anno Tarana, menſe Aug.

Xaveriapapillei, Xaveri *Muttu*, *Jeganinayquen*.

Nos infraſignati, & qui à quadraginta annis Evangelium annuntiamus, in terram provoluti reverenter teſtamur, Divinam Legem uſque ad præſens tempus non ſolum propagatam fuiſſe in his Regnis, ſed etiam ſpem fore in dies propagatum iri, ex eo quod in illius promulgatione attemperemus nos ritibus Indorum patriis, & politicis conſuetudinibus: Unde ſi tales ritus, & conſuetudines abolere voluerimus, abolebitur etiam Chriſtiana Religio. Hoc noſtrum teſtimonium, ut fidem faciat, in Sancta Evangelia juramus, & manu propria obſignamus. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Velala Jagapen, *Velala Raïapen*.

Nos

Nos Mariadajen, & Satianaden, qui Catecheſim in his regionibus annuntiamus, ad pedes Prælatorum noſtrorum provoluti humili reverentia teſtamur, Legem Divinam nullatenus inter has gentes propagari poſſe, prout hactenus propagata eſt, & floret, ſi ritus, & mores ſupramemorati non permittantur nobilibus Indis. Unde contrarios uſus, & ritus in his regionibus introducere, perinde eſt, ac Evangelium ab illis penitus eliminare. Quod ut fidem faciat, in Sacra Evangelia juramus, & manu propria ſubſignamus. Anno Tarana, menſe Aug.

Mariadajanayquen, Satianadapillei.

Ego Nalladambi, qui a quinquaginta annis Catechiſten ago, in præſentia Patris Simonis Carvalho juro ſequentia: Omnes Indi, qui Chriſtianum profitentur in Regnis Madurey, Tanjaur, Ginji, & Mayſur, ſcientibus, & conſentientibus ſuis magiſtris obſervant plurimos ritus politicos, qui ſunt medium aptum, ut Chriſtiana Religio ſine ullo impedimento conſervetur in pace, ut Chriſtiani non incidant in plurima peccata mortalia, in quæ alias incident; & ut Infideles agnoſcentes virtutem, amplectantur Fidem Chriſtianam. Inſuper juro,

quod

quod ſi quis velit abrogare mores politicos in his Indiis uſitatos, is ſine dubio cauſa erit multorum malorum, quæ afficient hanc Chriſtianitatem, multarum blaſphemiarum, grandium perſecutionum, & impedimenti ad prædicandum Evangelium, & invocandum nomen Omnipotentis Dei. Et licet Europæi, qui de novo has Indias accedunt, non ſolum in genere noſtros ritus, ſed in ſpecie Cineres benedictos, Teſſeram nuptialem, vulgo *Tali*, quam nuptæ mulieres Tamulenſes collo geſtant; quod noſtri Magiſtri non accedant ad vicos Parearum; quod Xutres nobiles Indi evitent conſortium Ignobilium Parearum in eadem Eccleſia, ſub eodem tecto, arguant ſuperſtitionis; affirmo tamen, quod ſi hæc omnia, quæ nos minime pro ſuperſtitioſis habemus, voluerint abrogare, ſuperfluum erit noſtros Magiſtros has terras excolere, fruſtra verum Evangelium prædicare. Nam prædictos ritus, eo quod ſint mere politici, & obſervati ab immemorabili tempore, impoſſibile eſt abdicare, nec poſſibile introducere contrarios; & ſuppoſito quod inducerentur, & Chriſtiani vellent illos obſervare, Reges, Principes, Gubernatores, & Maiores noſtræ Tribùs, eo quod ſint Infideles, concipient maius odium in Chriſtianos, & impedient

pedient obſervationem novorum rituum. Concludo breviter, quod prædictos mores prohibere, & alios de novo inducere, ſit eo ipſo cauſam dari ſpirituali ruinæ tot millium animarum. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, in Sacra Evangelia juro, meque manu propria ſubſigno. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Catechiſta Nalladambi.

Ego Vedapen, qui ab octodecim annis Catechiſten ago, ſuprapoſitum teſtimonium Catechiſtæ Nalladambi cum legerem, omnia vera eſſe, & promulgationi Evangelii conſentanea judicavi; ac proinde prout ille juratus affirmat, affirmo & ego idem, juratus in Sacra Evangelia, & propria manu ſubſigno. Anno Tarana, menſe Aug.

Vedapen Catechiſta.

Ego Arulapen, qui à ſex annis Catecheſim annuntio, cum legerem teſtimonium ſupra allatum Nalladambi Catechiſtæ, omnia in eo contenta meo judicio, & praxi horum Regnorum conſona eſſe comperi: Unde prout ille juratus affirmat, juro & ego ſponte idem ipſum, quod ille, manuque propria ſubſigno.

Anno

Anno Tarana, menſe Auguſto.

Arulapen Catechiſta.

Ego Xaverinayquen, qui à viginti annis Catechiſten ago, teſtor teſtimonium Catechiſtæ Nalladambi ſuprapoſitum meo judicio conſonum eſſe; & hoc ipſum non coacte, ſed libere juro in hæc Sancta Evangelia. In cujus rei fidem hìc me ſubſcribo. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Catechiſta Xaverinayquen.

Ego Dairiapen, qui à decem annis Catechiſten ago, perlecto teſtimonio ſupra allato Nalladambi Catechiſtæ, teſtor omne illud meo judicio, experientiæque conſonum eſse; ac proinde quidquid ille juratus affirmat, affirmo & ego etiam, juratus in hæc Sacra Evangelia, manuque propria ſubſigno. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Catechiſta Dairiapen.

Ego Vaitinaden, qui à ſeptendecim annis variis in Provinciis, & de præſenti in Comitatu Ettapanayquen Catechiſten ago, teſtor ſupra allata teſtimonia meo eſſe judicio conſona: immo quia nos ſupramemoratos ritus, & mores

res non prohibentes, conſuetudinemque noſtram illis attemperantes, Evangelium prædicavimus, auditum fuit, & propagatum, prout nunc tanto animarum fructu propagari videmus. Si modo innovata nunc ejuſdem Evangelii prædicandi ratione, novos ritus, novamque politiam nobilibus Indis inducere viſum fuerit, Chriſtianam Religionem in his Regnis omnino abolendam, Neophytoſque noſtros metu perſecutionum ob hanc innovationem ſibi imminentium, eam deſerturos non dubito. In cujus rei fidem hoc meum pronuntiatum in Sacra Evangelia juro, manuque propria ſubſigno. Anno Tarana, menſe Aug.

Catechiſta Vaitinaden.

Nos infraſcripti teſtamur, affirmamuſque ſupradictum teſtimonium circa ritus patrios, moreſque politicos horum Regnorum, verum, experientiæque noſtræ conſonum eſſe; quod tactis Sacroſanctis Evangeliis juramus, manuque proprià ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Auguſto.

Muttapen, Maleiapen, Xarruvanayquen, Satianaden, Mandiramorcian, Muttunayquen, Arulananden, Devazagaiam.

Nos Bengaraien, ſtirpe Brammen, Caſturi Ràjà natu Vir Regius, Nalladambi deſcendentia Velalen, & Nhana Muttu etiam Velalen, qui omnes à multis annis in Regnis Madurey, & Malciamen Evangelium annuntiamus, ſequens teſtimonium in Sacra Evãgelia juramus: Patres Societatis JESU Magiſtri noſtri à die, quo hæc Regna ingreſſi ſunt uſque in præſens tempus, quia non prohibuere noſtros mores politicos Brammanum, Virorum Regiorum Velalàrum, & aliarum familiarum; quin potius nos direxerunt juxta noſtram politiam, propterea Brammanes, cæterarumque ſtirpium Infideles Legem Divinam amplexi ſunt. Unde ſi in poſterum quis voluerit inducere politiam noſtræ contrariam, non ſolum non augebitur Religio Catholica, ſed & ii, qui eam jam profitentur in Idololatriam relabentur: In ſpecie ſi prohibeatur uſus Cinerum benedictorum in fronte, Monile nuptiale mulierum nuptarum, vulgo *Tali* ſeparatio familiarum nobilium, etiam in Eccleſia; & quod noſtri Magiſtri non eximantur ab obligatione intrandi domos ignobilium Infirmorum, penitus ruit res Chriſtiana. Inſuper affirmamus, quod & ſimilia præcepta prohibitiva non ſint recipienda; & ſi illorum obſervantia urgeatur, quod non ſit conſervanda

ſervanda Lex Divina, Infideles deinceps non ſint convertendi, Chriſtiani terribiles perſecutiones ſint paſſuri; denique nomen Dei Optimi Maximi non poterit invocari in his Regnis. In quorum fidem hoc noſtrum teſtimonium, in Sacra Evangelia juramus, manuque propria ſubſcribimus. Anno Tarana, menſe Septemb.

Bengaraien, Caſturi Raja, Nalladambi, Nbana Muttu.

Nos infraſcripti, qui à multis annis in hoc Regno Malabariæ Catecheſim annuntiamus, illiuſque politiæ, morumque oculati teſtes ſumus, jurati affirmamus, ſupradictum teſtimonium circa mores, & ritus noſtratum Indorum veritati, experientiæque noſtræ conſonum eſſe, & fide dignum. Si tamen, hac experientia non obſtante, novam politiam, novoſque mores in has regiones inducere viſum fuerit; præterquam quod ipſi novi ritus à Regibus, & Principibus Ethnicis non ſunt permittendi, ipſimet Reges, & Principes, immo etiam parentes, agnitique noſtri maiori in nos odio ſævientes, Divinam Legem obſtinatè inſectabuntur; ideoque Neophyti tot, tantiſque adverſariis impares, Fidem deſerere cogentur. In quorum fidem hoc no-

ſtrum teſtimonium in Sacra Evangelia jurati propria manu obſignamus. Anno Tarana, menſe Septemb.

JESV Arian, Vaitinaden, Majiillamani, Satianaden, Raien, Amurden, Nalladambi.

Nos infraſcripti, & in hoc Regno Malabariæ habitantes, ad pedes Prælatorum Eccleſiæ provoluti, reverenti ſubmiſſione teſtamur, ſupra allata judicia circa mores, & conſuetudines politicas hujuſce regionis, fundari certa experientia, indoleque Indigenarum Indorum: ac proinde ut rei Chriſtianæ, hujuſque naſcentis Eccleſiæ primordiis conſulamus, novos ritus nullos, nullamque politiam novam induci debere, ſed Indigenarum naturæ indulgentes, patrios, politicos eorum mores permittere fas eſſe judicamus; & hoc ipſum in Sancta Evangelia jurati, manu propria conſignamus. An. Tarana, menſe Septemb.

Amburciàpillei, Nalladambiàpillei, Nalladambiàpillei.

Te-

Teſtinonia circa alios ritus, qui falſo, & recens imponuntur Miſſionibus Madurenſi, Mayſurenſi, & Carnatenſi.

EGo Simon Carvalho Societatis JESU, & Miſſionis Madurenſis Miſſionarius certifico; quod dum interrogarem Catechiſtas Nalladambi, Xaverinayquen, Vedapen, Arulapen, & Jegani, utrum Brammanes, qui medicinam profitentur, ingrediantur Colonias Ignobilium, vulgo Pareàs; utrum manu attingant illorum pulſum Arteriæ explorando; utrum illis porrigant medicinas; Item utrum Chriſtiani menſe Januario, quando Infideles celebri feſtivitate inſtituunt ſuum *Ponguel*, ſive Sacrificium Vaccarum, accipiant ipſarum excrementa, ea in Cineres redigant, ſerventque in uſum per totum annum, quibus poſtea benedictis frontes inungant? Responderunt hæc omnia eſſe mera figmenta, nec haberi fundamentum ad ea aſſerenda, neque ab ipſis unquam fuiſſe audita. In quorum fidem jurantes in Sacra Evangelia, propria manu ſubſcripſerunt.

ſerunt. Anno Tarana, menſe Septemb.

Nalladambi, Vedapen, Arulapen, Xaverinayquen, Jegani.

Nos infraſcripti coram Patre Petro Martin Societatis JESU, & hujus Miſſionis Madurenſis Miſſionario, teſtamur, & affirmamus, mera eſſe figmenta, quod Brammanes Viri nobiles medicinam profitentes Ignobilium Pagos ingrediantur, illorum pulſum Arteriæ explorantes manu attingant, medicinas illis porrigant: Item quod Chriſtiani menſe Januario, quando Ethnici celebri feſtivitate Sacrificium ſuum vulgo *Ponguel* inſtituunt, accipiant Vaccarum excrementa, ea in Cineres redigant, ſerventque in uſum per totum annum, quibus poſtea benedictis frontes inungant; hæc omnia teſtamur meram eſſe fabellam; neque fundamentum haberi ad ea aſſerenda, immo neque à nobis unquam audita. In quorum fidem nos omnes in Sacra Evangelia jurantes propria manu ſubſcribimus. An. Tarana, menſe Septemb.

Arulanandam, Papunayquen, Xaveri Muttuorèian, Xinnacattioreian, *Papunayquen*, Xaveriapen, *Raiapen, Muttapamudali, Muttapapillei, Nalladambi, Satianaden*, Xinnapen, *Xaveriapen, Nalladambi, Arulen: Ex his octo Catechiſtæ, cæteri Neophyti.*

Ego

Ego Bernardus de Saà Societatis JESU, & Miſſionarius Miſſionis Madurenſis teſtor, & certifico, quod dum interrogarem Catechiſtas, & Neophytos infraſcriptos, utrum Nobiles Viri, vulgo Brammanes medicinam profitentes ingrediantur Pagos ignobilium vulgo Pareas, utrum illorum pulſum Arteriæ explorando manibus tangant, utrum illis medicamenta porrigant? Item utrum Neophyti menſe Januario quando Ethnici celebri feſtivitate ſuum Sacrificium Vaccarum, *Ponguel* dictum, inſtituunt; excrementa illarum colligant, & ea in Cineres comburentes ſervent in uſum per totum annum, quibus poſtea benedictis frontes inungant? Reſponderunt ea omnia figmenta mera eſſe, neque ad ea aſſerenda ullum dari fundamentum, immo ab ipſis nunquam fuiſſe audita. In quorum fidem, in Sacra Evangelia jurantes, manu propria ſubſcripſerunt. An. Tar.

Vaitinaden Catechiſtæ, Muttapen, Maleiapen, Satianaden, Mandiramoreian, Arulanandam, Xarruvanayquen, *Muttunayquen, Devazagaiam.*

Nos infraſcripti coram Patre Xaverio Borzeſio Societatis JESU hujus noſtræ Malabaricæ

Reſi-

Reſidentiæ Miſſionario jurati affirmamus, merum eſſe figmentum, quód Nobiles Brammanes Colonias Ignobilium Parearum ingrediantur; quod illis manu attingant morborum indicem; quod illis morbo laborantibus medicamenta porrigant: Item quod Chriſtiani in Sacrificio Ethnicorum *Ponguel* dicto, & inter has gentes oppido celebri, Vaccarum excrementa colligant, eaque in Cineres redacta ſervent in uſum per totum annum, ut poſtea ipſis benedictis frontes inungant: hæc omnia utpote merum ſomnium, & fabella, nullum habent fundamentum, neque à nobis unquam audita fuere. In cujus rei fidem, jurantes in Sacra Evangelia manu propria ſubſcripſimus. Anno Tarana, menſe Septemb.

Brammen Catechiſta Bengaraien, Regius Vir Caſturi Raja, Velalen Catech. Nalladambi, Amburetam, Nalladambi, Nallan, Jeſuorcian, *Vaitinaden, Masiillamani, Satianaden, Raien, Amurden, Nalladambi; Septem ultimi Catechiſtæ.*

Te-

Teſtimonia aliquorum Catechiſtarum, & Neophytorum Tribuum Inferiorum circa ritus ad ipſos pertinentes.

MVltarum Tribuum ergo, quæ communi omnium conſenſu in his Regnis ſunt, & ultra hominum recordationem fuere, fieri non poteſt, ut Palaæ, Pareæque, ac plerique tanquam viles habiti, ingrediantur Eccleſias Deo dicatas, junctique, ac commixti ſint aliis ex ſuperioribus Tribubus; ſed ſolum eſſe poſſunt in porticibus, quæ contiguæ ſunt prædictis Eccleſiis, & inde ſacrum audire, Sacramentis Confeſſionis, & Communionis frui, reliquiſque bonis ad animam attinentibus. Inſuper quia dubium non eſt, quod ſecundum Legem prædictorum Regnorum, nec Medici Ethnici Superioris Tribùs, nec Medici Spirituales, quales ſunt noſtri Magiſtri, poſſint ullo caſu ingredi domum prædictorum hominum ex Tribubus inferioribus, nec quando ipſi ægrotant; prædicti noſtri Magiſtri non ſolum jubent, tales infirmos ducere in locum, ubi eos Sanctis Sacramentis juvent; ſed etiam quin eos

deſerant, ope Catechiſtarum, & Chriſtianorum eos levant, quoad poſſunt. Hic modus, quo noſtri Magiſtri Chriſtianos regere ſemper conſueverunt, æquus procul dubio eſt, gratus, & utilis; Si enim aliter eos regerent Palaas, & Pareas, in Eccleſiis Xutrium, aut ingrederentur domos eorumdem Palaarum, & Parearum infirmorum, certum eſt Ethnicos hoc ſcientes, non paſsuros prædictos Patres in his Regnis immorari, & ſimul eos ab illis expulſuros, Eccleſias ædificatas dejecturos, & perſecutiones excitaturos in Chriſtianos; nec ulſus Ethnicorum veram Legem audiret, & abſque dubio experiremur alia plura mala, impedimenta, & damna irrevocabilia: Quapropter ut certo probemus veritatem infallibilem rei ſupramemoratæ, nos Catechiſtæ, & Chriſtiani inferioris Tribùs infraſcripti, quatuordecim numero in Eccleſia Aùr in nomine Dei Veri tangentes Evangelia veritatis infallibilis omne ſupradictum juramus, & ſubſcribimus manu noſtra. Septembri An. Tarana. Omnia ad gloriam Dei, & laudem Matris Dei.

Canagen, Mariadaſen, Jagen, Xanden, Eſuvarian, Nalladambi, Santoji, Xinnen, Tiren, Xaveri, Canagen, Nbanapragaji, Arulen, Jagen.

Idem

Idem dico, & juro ego Catechiſta Camia-nayquenpaty.

Dairen.

Ego Parea Xuren, qui triginta jam annos doceo Spiritualem doctrinam, reſpiciens ad pedes meorum Superiorum, & proſtratus in terram eis reverentiam facio, ac ſubmiſse dico, Magiſtros noſtros tenuiſse optimè mores politicos harum regionum; & quia cum his ſe conformarunt, & quia eiſdem moribus inſiſtentes hucuſque Chriſtianos gubernarunt, ideo vera Lex ſemper accepta eſt: quam ob rem ſi voluerint noſtros Magiſtros ingredi domos Infirmorum Parearum, ſi voluerint eoſdem Pareas conjunctos eſſe, & immixtos Xutribus, nullum eſt dubium quin Dei Lex perſeverare non poſſit in his Regnis. Præterea audio neſcio quem dixiſſe Brammanes ingredi domos ægrotantium Parearum, ut eis mederentur, & ſolitos eſſe, ire, & redire ad Oppida inferiorum Tribuum; hoc tamen præter quam quod, magnum eſt mendacium, cenſeo ope ejuſmodi teſtis Dæmonem nos omnes perdere voluiſſe: Siquidem procul dubio ſi ſupradictum introducatur, in his regionibus nos ſimul & Divina Lex deficiet: & ut hoc veram mereatur authoritatem, attin-

gens Librum Sacrorum Evangeliorum, coram gravibus viris idem juravi. Septemb. Anno Tarana.

Xuren.

Idem dicimus, ac juramus nos infra ſubſcripti.

Neicupei, Xaveri, Rettiancuri, Arulen, Canagen, Jeganaden, Dairi de Vanacarei, Ambureian, Ductor Xanden, Arulen, Tirali Arulen, Xangandi Xinnen, Valatur Eſuvarian, Tanjaur, Tacha Rayen.

Affirmo ego Arulen de Varugapati Catechiſta inferiorum Tribuum tria hæc eſſe abſque ullo dubio in his regnis impoſſibilia, ſcilicet noſtros Magiſtros ingredi domos Parearum ægrorum, Xutres in Eccleſia commixtos eſſe Pareis, & ingredi Brammanes Oppida eorundem Parearum: & in rei veritatem, tangens Sacra Evangelia idem juravi. Anno Tarana, Septemb.

Arulen.

Idem affirmamus, & juramus nos infra ſubſcripti.

Xuren, Xaveri, Tacha Raien.

Horum teſtimoniorum Authographa apud me habeo; quæ, ſi placeat, libenter offeram.

Te-

Teſtimonia PP. Miſſionariorum Miſſioois Carnatenſis.

P. Guidus Tachard Superior Generalis P. P. Gallorum in Indiis quæſivit ex P.P. Miſſionariis Carnatenſis Miſſionis, quid ſentirent circa conſuetudines aliquas in eadem Miſſione uſitatas; quæ ſunt ejuſmodi.

Primo. Utrum uſus frequens Cinerum ſit neceſſarius Chriſtianis harum Miſſionum.

Reſponderunt affirmativè.

Secundo. Utrum Pareæ, qui adeo infames politice æſtimantur, ut vix explicari poſſit, debeant miſceri cum aliis Chriſtianis nobilibus ſub eodem tecto in eadem Eccleſia?

Reſponderunt negative.

Tertio. Utrum Patres Miſſionarii teneantur domos Parearum ingredi, ut poſſint eos juvare in Spiritualibus, cum ſint aliæ viæ, quibus adiuvantur, ſicut alibi notatur?

Reſponderunt negative.

Quarto. Utrum in prædictis Miſſionibus Saliva debeat adhiberi in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmatis?

Reſponderunt negative.

Quinto.

Quinto. Utrum debeant interdici Chriſtianis lætitiæ ſigna à parentibus dari ſolita, cum Puellæ prima vice fluxum menſtruum patiuntur.

Reſponderunt negative,

Sexto. Utrum debeat prohiberi uſus frangendi Nuces Indicas, quas *Coco* vocant in Matrimoniis contrahendis?

Reſponderunt negative.

Septimo. Utrum *Tali*, ideſt, Teſſera nuptialis, debeat immutari in Mulieribus Chriſtianis?

Reſponderunt negative.

Quæ ſuffragia in peculiari tractatu ſolidis rationibus probata, etiam jurejurando affirmarunt unanimi conſenſu Miſſionarii infraſcripti in hunc modum.

Ego Joannes Venantius Bouchet Societatis JESU, & Miſſionis Carnatenſis Superior fidem facio, & juro in verbo Sacerdotis obſervationem iſtarum conſuetudinum, prout notatur in datis reſponſionibus maxime neceſſariam ad harum Miſſionum conſervationem, & Gentilium converſionem; viderique mihi Neophytorum animarum evidens eſſe periculum, ſi prædictis ritibus uſus contrarius adhibeatur. Ita reſ-

reſpondeo ad Patris Superioris Generalis præſcriptum, quo jubet, ut meam reſponſionem circa illas conſuetudines juramento firmatam ſcribam: In cujus rei fidem huic ſcripto Chirographum, nomenque meum adhibui. Datum die 3. Novembris 1704. in Miſſione Carnatenſi.

Joannes Venantius Bouchet.

Idem juro Petrus Mauduyt Societatis JESU Miſſionarius Carnatenſis. Datum Erudurgam die 7. Novembris an. 1704.

Idem juro Philippus de la Fontaine Societatis JESU Miſſionarius Carnatenſis. Datum Punganùr die 8. Novembris 1704.

Idem juro Petrus la Lane Societatis JESU Miſſionarius Carnatenſis. Datum Tarcolam die 14. Novembris, 1704.

Idem juro Gilbertus Petit Societatis JESU Miſſionarius Carnatenſis. Datum Punncipundi die 18. Novemb. 1704.

Teſtimonia circa varios ritus Indicos Tamulicà Linguà ſcripta, & in Linguam Latinam fideliter translata.

SEcundum Indorum ſtylum, Anno Tarana, 6. die Novemb., ſecundum vero ſtylum Sanctæ Eccleſiæ, anno à Nativitate Chriſti 1704. die 16. Novemb., Sequentia teſtimonia ſcripta ſunt: In ſeptem Olis, i, in foliis Palmæ miſimus noſtra teſtimonia juramento firmata circa ritus ſequentes.

Primo. Si Brammanes, & nobiles Raji ſæpe inviſant Pareas, & eorum domos ingrediantur, ex Tribu ejicientur.

Secundo. Si Brammanes, & nobiles Raji ſemel ſubeant Parearum domos, ignominioſa pæna caſtigabuntur, & Prâxittam facere cogentur; ideſt, ad reparandum hàc infamià honorem perditum, varias aſperas ceremonias ſubire cogentur.

Tertio. In *Tali*, ideſt, in Teſſera nuptiali, nulla eſt figura Deorum, qui à Gentilibus Indis adorantur.

Quarto. Funiculus quo Teſſera nuptialis mulie-

mulierum collo appenditur, ideo ſolum cro-
ceo Succo delinitur, ut magis gratus oculis ap-
pareat.

Quinto. Inter Gentiles Lacxam ſunt, ideſt, centum millia, vel potius ſine numero, qui nullo modo ad Xiven, ſeu Rutren attendentes, urbanitatis, & civilis comitatis, ac elegantiæ gratia Cineres ad frontem apponunt.

Sexto. Cum Puellæ prima vice fluxum menſtruum patiuntur, earum parentes, & hujus loci Incolæ licet lætitiæ dent ſigna, modeſte tamen, & nihil in verbis incompoſitum auditur.

Septimo. Magis Indi abhorrent, & execrantur Salivam, quam hominis excrementum.

In hos ſupramemoratos ritus teſtimonia juramento firmata in ſeptem Olis diverſis miſſimus nos infraſcripti: veruntamen ut hæc teſtimonia veriſſima eſſe credantur, & iis maior fides adhibeatur, ea tactis Sacroſanctis Evangeliis confirmavimus.

Muttu Retti, - *Muttunayquen*, *Raiapapandaram*, - *Papayen*, - *Addiapen*, - *Arulapen*, - *Malciapen*, - *Raiapen Cramani*, - *Aiarapen*, - *Narajapayen*, - *Aienpettey Raiapen*, - *Paruur Xinnanayquen*, - U*tramanalur Raiapen*.

Ego Joannes Venantius Bouchet Societatis JESU Superior Miſſionis Carnatenſis, fidem facio, & juro in Verbo Sacerdotis, eos qui *Olas*, ideſt Palmaria folia prædicta ſuo nomine, & juramento firmarunt, libere omnino feciſſe prædicta; & nemine cogente Sacroſanctum Evangelium, quod ſingulis diebus ad finem Miſſæ legitur tetigiſſe, ut fidem facerent iis, quæ ſuperius ſcripta ſunt. Præterea hæc teſtimonia lingua Indica ſcripta me fideliter in linguam Latinam tranſtuliſse affirmo: In cujus rei fidem huic ſcripto meum nomen, & chirographum appoſui. Romæ 3. Decembris 1706.

Joannes Venantius Bouchet. ✠.

Trium aliorum Catechiſtarum teſtimonia prædictis omnino ſimilia miſere Patres Carnatenſes; & plura miſiſſent Chriſtianorum teſtimonia, niſi eſſet peculiaris difficultas in hac nova Miſſione circa inquiſitionem rituum Indicorum. Ita teſtor: Romæ 3. Januarii 1707.

Joannes Venantius Bouchet. ✠.

Horum teſtimoniorum authographa apud ſe habet idem P. Joannes Venantius Bouchet;

à

à quo ſi petantur, ea libenter exhibere paratus eſt.

Denique notandum eſt, quod multi ex ſupradictis Catechiſtis, & Neophytis utriuſque Miſſionis Madurenſis, & Carnatenſis, vel in Carceres detruſi diu languere; vel atroces paſſi ſunt perſecutiones; quæ omnia pro Nomine JESU cum gaudio ſuſtinuere; proindeque digniſſimi ſunt, quibus fides adhibeatur.

FINIS.